SCRIPTORES RERUM POLONICARUM,

ex recentioribus præcipui quotquot extant

LATINI,

In unum corpus nunc primùm congesti
&
In III. Tomos distributi,

Collectore,

C. T.heophilus L.udovici

Sorniz: Misn:

Tomus Tertius.

AMSTELODAMI,
Sumptibus GYSBERTI van VALCK,
M. DC. IIC.

HISTORIÆ LITVANÆ PARS PRIOR,

De rebus Litvanorum ante ſuſceptam Chriſtianam religionem.

auctore P. alberto Wiuk Kojatowicz
Dantisci sump. Georg Förster
1650.

LIBER I,

De rebus Litvanorum ante Italorum in Litvaniam adventum.

HIſtoriam Litvanam, ſingulari ſedulitate parique fide, è Ruſſorum atque Crucigerorum monumentis erutam, primus ferè vulgaverat Matthias Stryikowski Oſoſtevitius, *Canonicus* Samogitiæ, gente Polonus, vir ſua ætate pereruditus. Longè tamen minore operæ pretio id præſtitit, quàm vel ipſe ex æquo ſperabat, vel labor impenſus merebatur. Rerum enim ab eo comprehenſarum notitia, neque loco ultra terminos, intra quos geſtæ ſunt; neque tempore, ad poſteritatem multùm *Hiſtoriæ Litvanæ ſcribendæ occaſio.*

 tùm

tùm propagari poterat. Vtrumque autem evenire, necesse erat; quòd liber Polono sermone conscriptus, exterorum quidem usibus planè inutilis esset: domi verò, distractis pridem paucis exemplaribus, brevi interiturus videretur. Optabant itaque non pauci, ad auctoris rerumque ipsarum memoriam in securo reponendam, librum iteratò sub prœlum mitti: & quidem latinè loquentem, ut à pluribus posthac intelligeretur. Non omninò votum hoc probabam. Nam quemadmodum latinarum literarum cultus, in patria nostra in dies cumulatius excrescens, meritò exigere videbatur; ut juventuti quispiam scriptor ad manum esset, è quo cum domesticæ Historiæ cognitione, Romanæ linguæ notitiam gustumque, à tenero hauriret: ita non leviter vereri oportebat; ne si candidus nimis interpres integrè universa è patrio sermone reddita latinè vulgaret; auctorem optimè de Litvania meritum, at plerisque locis extra leges Historiæ liberè inter suos provectum, censuræ eruditi Lecto-

Lectoris obnoxium faceret. Quare ita aliorum desideriis faciendum erat satis, ut auctoris opinio integra relinqueretur. Quod quanquam præstitum à me, nullatenus confirmare ausim: tentatum tamen esse, ingenuè fateor. Inde verò pronum erit non malevolo Lectori advertere, quid à me exigere debeat, quidve ab illo, cujus nomen non dissimulavi: ut ita utriusque labore, absque alterutrius injuria, si velit, frui possit. Neque enim Historiam novo à me labore concinnatam, sed ex annalibus Matthiæ Stryikovii excerptam, ad ordinem legesque literarias, quantùm tenue ingenium, & longè minor eruditio, inter alia severiora studia, permittet, redigere aggredior.

Atque ut inde mihi scribendi sit initium, unde rerum scribendarum; profectò fidem, quæ scriptoribus semper inter primas curas, nullibi ferè minùs Historia apud posteros meretur: quàm ubi populorum progressus, ad primam originem ac veluti fontem revocat. Mutatio sedium, atque appel- *Origo Litvanorum.*

appellationum, viciſſitudine plurium ſæculorum implicata,ita ſæpè veritatem confundit; ut eam à fabulis expeditam promere, negotium ſit omninò inſuperabile. Initia enim rerumpublicarum intra barbariem plerumque concepta, ſcriptoribus caruerunt: Maturior deinde earum ætas diſciplinis variis ad humanitatem exculta, quidquid inter natales ſuos humile deprehenderit, ut alienum reſpuit: ſolaque ea in veris & ſuis numerat; quæ altiùs ſurgunt, magiſque ornant. Exteri verò Scriptores alienorum plerumque non admodum curioſi ſunt: & quamvis exactiùs quandoque conſignent, quidquid cum aſſumpta ſcribendi materiâ, geſtorum ſeries confudit, in cæteris tamen illam veri ſpeciem ſequuntur, quam vulgaris fama obtruſerit; multum, ut ſolet, de falſo trahens. Quòd ſi inſuper affectu aliquo ſtylum ferri permiſerint: *tota planè, ſub odio aut æmulatione, veritas diſperit. Diſſidia enim animorum, occultâ quadam vi, finitimis ingenerari videntur, quæ armis quoque quieſcentibus, ſtylo obſtinatè proſequi, pleriſque mos eſt.*

Hæ ipſæ fortaſſe cauſæ ſunt, cur de origine & moribus Litvanorum & pauca prodita, & ex iis multa incerta, pleraque apertè falſa, circumferuntur. Illud tamen apud omnes extra controverſiam: Vniverſam hanc Sarmatiæ Europææ portionem, quæ Pruſſiam, Samogitiam, Curoniam, Livoniam, Eſthoniam, Litvaniam, Iatvieziam ſeu Subſylvaniam, aliaſque aliquas à Venedico mari remotiores terras complectitur, ab illis olim populis habitatam fuiſſe, quibus communis ut ſermo, ita & origo cum Litvanis. Gothos eos alii, Cimbros alii fuiſſe volunt, ex inſulis Gothici Oceani egreſſos. At verò quoniam numeroſiſſimi hi populi mutatis primis ſedibus totâ latè Europâ, ſub diverſo nomine ſæpiùs exundarunt; non eſt planum, quo nomine ab externis ſcriptoribus appellentur ii ipſi, qui noſtratibus dicuntur Pruſſi, Litvani, Samogitæ, Lotavi, Iatvingi, Poloucii, Piecinigi. Mihi inter tot ambages, ubi cardo rei ſolis conjecturis vertitur, delectum inſtituenti, non leve argu-

mentum è Wolfgango Lazio fuerit, antiquitus eos populos Herulos nuncupatos. Hic, ſcriptis præterito ſæculo commentariis, Septentrionalium populorum mutationes eruditè veſtigans, cùm lib. 20, in Herulorum mentionem deveniſſet, memorat eorum reliquias Italiâ pulſas in Megapolitano territorio conſediſſe, Veruloſque nunc dici. Sermo illis, à reliquis circumjacentibus populis omninò diſcrepans eſt; cujus, ut exemplum Lectori ſcriptor exhiberet, vulgari eorum linguâ ſacram Orationem cubitalibus literis executus eſt. Hanc cùm attentiùs legerem, eandem omninò magnâ parte eſſe deprehendi, cum illa, quam inter Litvanos ac Lotavos, uſus hodie retinet. Herulis proindè veteribus, Litvaniam, & reliquas ejuſdem gentis provincias, ſedem atque originem fuiſſe vix poſſum ambigere. Accedit, quòd leges & inſtituta Herulorum, paria ſint illis, quæ de Majoribus Litvanorum varii prodiderunt. Vtriſque iidem ferè in religionibus ritus: utriſque olim mos propinquos, ſenio aut morbo ſpem

Herulorum populares Litvani.

bo ſpem

bo ſpem omnem evincente confectos, trucidandi: mancipia, equos, canes, & quidquid in vivis carum habuiſſent, funerali rogo, unà cum defunctorum cadaveribus exurendi: aliaque ſexcenta. Ipſa vetera Ducum ejus gentis nomina, ſimilium vocum affinitate, ad commune populorum iiſdem terris progreſſorum genus, legentis memoriam retrahunt. Quis enim Zivibundum, Algimundum, Narimundum audiens, non facilè cogitet Herulum quempiam aut Longobardum nominari? Hæc porrò nomina Litvaniæ Principum ſunt. Populi nimirum Litvanis loco finitimi, origine ac lingua ſocii, à Sclavinis Duce Lecho Sarmatiam ingreſſis, ſedibus ſuis moti, atque ab iiſdem per convicium (uti quidam annotarunt) Sclavonico vocabulo Vandali dicti ſunt. Longobardi etiam, quorum primas ſedes Lotaviæ finitimas Scriptorum aliqui collocant, à longiore barbæ pilo vulgari Lotavis ac Litvanis ſermone *Ilgabarzdaii* nuncupati, à Ruſſis fortè è Sarmatiâ exacti, Germaniam primùm,

tum

tum alias Romanorum provincias invaſerunt. Heruli denique,variis occaſionibus à regione ſua avulſi, ſæpiùs imperium Romanum,ipſamque Italiam infeſtarunt: paulò poſt ex hoſtibus ſocii, inter auxiliares copias recenſi, pluribus ſæculis ſtipendia ſub Romanis ſignis meruerunt. Qua autem potiſſimum occaſione, quove ſæculo, aliqua Gothorum aut Cymbrorum,aut (quod propius vero eſt) Herulorum tribus, Litvani dici cæperint, nihil uſpiam certi reperio. Illi primùm ante alios exerrant, qui huic appellationi annos ab Italorum adventu ſupputant. Placet illis Italos in haſce regiones delatos, ſeu exilii locum, ſeu erroris terminum Italiam nuncupaſſe: quòd, inter barbaras terras, dulce patriæ nomen conſervare voluiſſent: ſed paulatim poſteris memoriam præteritorum deponentibus, tempus ſenſim literas permutaſſe, & Italiam in Litaliam, tandem in Litvaniam transformaſſe. Alii potiùs, vel à littore in quod primum peregrini exſcendiſſent, vel à littore tubæ nomen ductum contendunt.

Vnde Litvaniæ nomen & de Litta'ano ſeniore.

Vocum

Vocum ſimilitudine illi capiuntur: vernaculo enim ſermone Litvania, Littuva ſeu Littuba dicitur. Certè quanquam multæ Latini ſermonis reliquiæ inter Litvanas voces paſſim occurrant; imò inflexione ipſâque accentuum varietate, ultra alias Sarmaticas linguas, ad Latinam & Græcam ſeſe acclinent: leve adhuc inde eſt argumentum, pro adducta ſuſpicione. Livonibus enim ſeu Lotavis ac Litvanis, ſimilis ſermo eſt; æquè Latinis Græciſque vocabulis inſperſus: cum tamen ad eos nec nominis communio, nec commercia advenarum Italorum pertigerint. Quemadmodum igitur Livoniæ, ita Litvaniæ nomen, Italorum in eas partes adventu antiquius eſt. Latinæ verò, Græcæque linguæ veſtigia, quæ inter hos populos hæſerunt, ab ipſiſmet indigenis illata ſunt. Poſt plures illi annos, per Italiam aut Thraciam in caſtris exactos, cùm majore identidem numero domos repeterent; ultra opulentas prædas, exteræ linguæ uſum ad ſuos reportabant. *Vetus eſt, & commune malum: extra pa-*

 triam,

triam, de peregrino aliquid haurire; atque fastidium rerum domesticarum præseferre: & ut supra vulgus sapere videantur, voces exteras, patriis abolitis, per intervalla substituere. Ad eos igitur magis animus ac fides propendent, qui unam aliquam Herulorum tribum, Alanos olim dictam, existimant: sedemque ejus (in ea Litvaniæ ora, quæ Samogitiæ propior Nemeno seu Chrono, Vilia seu Neride, & Duna fluviis intercipitur) Alaniam primum, posterioribus verò annis, Littalaniam & Litvaniam à Principe suo Littalano seu Littuone juniore nuncupatum.

Alani à Principe suo dicti Litvani.

Anno 366. Valentiniano enim Primo per Orientem imperante, Heruli, Gepidæ, Alani, magnis copiis in varias sese Romani imperii provincias effuderunt: in Germania cùm latè cædibus atque igne sævirent, Alani ad Rhenum in Sicambros impegerunt: atque ab iis, repressi, ac propè deleti. Accisis eâ clade Herulorum viribus, cùm nec ulteriùs laceratæ legiones securè promoveri possent; nec loco, quem ceperant, diu consistere: Dux Copiarum Littalanus auctor fuit,

fuit, ut maturo in confinia receptu, quæ supererat, juventutem periculo exemptam, meliori fortunæ servarent. Arreptum est avidè consilium, non tam Ducis auctoritate, quam hostium metu urgente. Fugientibus similiores in Prussiam sese receperunt. Vitatâ enim patriâ, quam ingredi sine probro non poterant; profugis, proxima ex sociorum provinciis Prussia, occurrebat. Ibi Littalanus, magistratu inauspicatò militiæ gesto, more gentis abiit. Nulli nimirum tunc illis domi Principes erant, nulli Iudices, imò nulla in commune societas: sed familias singulas per agrum ac nemora dispersas, propinquior tantùm cognatio colligebat. Rumor verò hic de ingenti Alanorum strage, ac desperatus reliqui ex cæde militis reditus; eos, qui castris inepti, domi manserant, plurimùm sollicitos habuit. Circumspiciebant sese: atque inde latera finitimorum injuriis obnoxia; hinc amissis quos opponerent viris, nulla præsidia videbant. Nihil omninò succurrebat aliud ad communem salutem præ-

Alanorum in Prussiam adventus.

præſentius, quàm convaſatis omnibus in Pruſſiam migrare. Nec difficile fuit factu: cùm conclamatum fuiſſet ad iter, tenuem fortunam ditiſſimus quiſque facilè curru cepit: neque multum impedimentorum erat ex reliqua re familiari; cujus copia, ultra neceſſaria armenta, non extendebatur. Suſcepta in fidem libenter à Pruſſis natio finitima: non enim metuebant periculum à populo, religionibus, linguâ, ritibus, origine, ſocio: quem ſupra tot publicæ pacis vincula, novum etiam hoc beneficium arctiùs ad concordiam obligabat. Gaudebant acceſſionem virium non levem factam, eo potiſſimum tempore, quando finitimi populi ſedibus ad Viſtulam promotis, arma jam ex propinquo incipiebant Pruſſiæ intentare. Sed creſcentibus deinde per mutua connubia utriuſque gentis familiis, multitudo hoſti formidabilis, ſibi propè fatalis evaſit. Vix in ſe ipſam per domeſtica odia non concidit. Vbi primum cultus ager deficere; mox potentiores, tenuioribus exactis, aliena uſurpare, & poſ-
ſeſſio-

ſeſſionum fines pro cupiditate prolatos, vi invadere: hinc jurgia ac lites; nec alius controverſiarum exitus, quam ille, quem abſque lege ac Magiſtratu viventibus, feroces animi primùm occupant: nempè per mutuas cædes. Quanquam non tam exitus hic controverſiarum erat, quàm fons perpetuus odiorum: cùm injurias alii promovent, alii amovent cædibus; ipſas deinde cædes, totis mutuò ulciſcuntur caſtris. Status hic rerum omnium perturbatiſſimus, barbara licet pectora tangebat: neque etiam illa, ita omnem humanitatem exuerant, ut non ſentirent; præſertim, cum quæ in aliis vel deteſtarentur vel lugerent, eadem in ſe ſuiſque timere, illi magis cogerentur, qui innocentiores. Cum igitur ex pacis cupiditate, tædium turbarum, animos occupaſſet; de remediis primùm ſinguli apud ſe agitare, tandem cum amicis communicare. A privatis in publicos congreſſus, res derivata, prudentioribus grata accidit, probataque eſt vehementer. Duplex conſilii genus animo ſuccurre-

Veidewutas primus Prussorum atque Alanorum Princeps.

 curre-

currebat. Vnum, ut Princeps legeretur, qui ſingulorum cupiditati legem authoritate ſua poneret; agros limitibus definiret, de controverſiis decerneret; jus belli ac pacis ſummum haberet. Alterum, ut coloniis aliquot ab ſe dimiſſis, Reſpublica populi multitudine, velut corpus ſanguinis exundantis imminutione, relevaretur. Neutrum tamen ſtatim perfici potuit. Soluti hactenus omni legum metu, ſub arbitria Magiſtratus ire, refragabantur: & nemo primus, ad peregrinas ſedes per pericula quærendas, paterno agro excedere, volebat. Attamen ad conſentiendum tam ſalubri conſilio, vel tempus ipſum feroces animos emollivit; vel neceſſitas, ſi quid reſiduum de duro ſupererat, perfregit. Nam qui variis expeditionibus Romani imperii provincias pervagati domi conſederant; pacem publicam, velut portum à tot naufragiis, curioſiùs perquirebant. Adverterant illi, *quietem publicam, communi ſub iiſdem legibus ac Magiſtratu, ſocietate conſiſtere:* idemque in ſua patria factum ſtudioſè cupiebant.

piebant. Sed qui primus manum operi admoveret, nullus erat: tum quòd ratio, qua res adeò inſolens perficeretur, non appareret; tùm quòd inter feroces legumque ac imperiorum impatientes populos, de tanti negotii eventu, deſperaretur. Auſus eſt tamen rem arduam aggredi Veidewutas, ætate grandis, familiâ copioſus, tribu Alanus. Fuerat viro à natura, ingenium verſatile & audax, atque in agendo dexteritas mira: accedebat, quòd diuturnis extra patriam ſtipendiis, fortitudiniſque militaris opinione, & inter ſuos princeps haberetur, & inter hoſtes clarus. Duo ille potiſſimum agenda menti præfixerat. Gentem ferocem ad humanitatem aliquantum componere, ut facilior illi eſſet Principis cum ſummâ poteſtate incumbentis patientia: tum ita ſucceſſus temperare; ut ſi conſilia Principis eligendi populo placuiſſent, ille Princeps diceretur, qui ſolus ferre Principem, reliquos docuiſſet. Cùm igitur inter publica gentis comitia, privatus de præficiendo omnibus uno Duce ſermo fuiſſet

fuiſſet illatus ; & plerique propenſas ſententias ad Rempublicam ſub commune caput redigendam, apertè præſeferrent: petitâ acceptaque dicendi copiâ, ancipites adhuc reliquæ concionis animos, in ſuas partes eum agreſti hac oratione pertraxiſſe traditur. *Niſi*, inquit, *apibus ipſis ſtultiores eſſetis: res, de qua agitis, pridem concordiam apud vos, atque optatos eventus, habuiſſet. Nam quibus res familiaris inter manus eſt, probè ſcitis, tanto apum examini unicum Regem præeſſe; penes quem ſint imperia: reliquis obſequendo intentis. Ille ſolus operas ſingulis diſpenſat, ille ocio torpentes nec laboris ferentes, alveori velut civitate, extorres agit: cæteræ verò in obſequium promptæ, deſignatis laboribus ſtudiosè inſtant, nec priùs quieſcunt, quàm opus ad numeros abſolutum advertant. Hæc, quæ in ſingulos dies, ſub veſtris oculis agi, certi eſtis; in veſtra commoda prudenti imitatione transferte. Renunciate unum Principem, cujus imperio libertas veſtra permittatur. Ille de controverſiis decernat, injurias cædeſque arceat, fas ac juſtum tueatur, ſecuritati publicæ provideat. Quod ut rectè atque ex officio exequi poſſit, vitæ mortiſque jus ei in omnes,*

cum plena poteſtate eſto. Mirum quanto ut dicentem ſilentio, ita cum dicere deſiiſſet, plauſu, concio ſit proſecuta. Comitii totius, in ea quæ ſuaſerat Veidewutas conſentientis, vox unica erat. *Num Veidevvutas ipſe, vellet eſſe Boioteras*, nimirum, apum Rex? Neque ille novi regni onus detrectare poterat: ne quod dicendo perſuaſerat, fugiendo ſuſpectum redderet. Integris itaque Comitiis, ſummo conſenſu, primus Pruſſorum atque Alanorum (qui poſtea Litvani dicti ſunt) Princeps eſt renunciatus. Initia principatus ad ordinandam aliquam Reip. formam, quantum barbarâ aſſequi potuit cogitatione, ſtudium advertit. Plebem inprimis vagabundam, nulliſque ſedibus affixam, per tribus ac cohortes recenſuit, & certis villarum agrorumque limitibus circumſcripſit. Tum, hactenus actâ tantum ex hoſtico prædâ vitam & rem familiarem tueri ſolitos, agri colendi, pecorum alendorum, venationum, aliarumque ruſticarum operarum ſtudiis addixit. Leges deinde tulit, quibus vagos

Ordinatur Reſpublica Pruſſorum & Alanorum.

concubitus ſeverè inhibuit; perpetua verò conjugia, ad unam thori conſortem reſtrinxit. Familiam tantam cuique permiſit, quanta domeſticis laboribus ſufficeret: eadem neceſſitate pecorum numerum definivit. Debiles præterea, laboribuſque ineptos, ali vetuit: qua in re, ita durior ejus genius humanitatis jura procul caverat, ut naturæ ipſius oblitus fuerit. Permiſit enim filiis, ut parentes, ob ætatem aut morbum, labori jam impares, ſtrangulatione è vivis expungerent: atque ita ſeſe & domum impenſis inutilibus expedirent. Iſtis legibus Rempubl. novam adminiſtrabat. Multum interea diſſimulare cogebatur, ne *inſolentia imperii* (quæ *inaſſueto pluſquàm gravis eſt*) ex nimia imperantis ſeveritate, priùs faſtidium odiumque contraheret, quàm in conſuetudinem uſu abiviſſet. Fortunæ igitur progreſſus, ipſe benevolis alloquiis, & mirâ comitate adjuvabat. Faciliores in dies ſubditi ad imperata capeſſenda reddebantur; cùm mutuam benevolentiam, quâ animi emollirentur, ac ſecum invicem

vicem inne&terentur, variis novus Princeps promoveret artibus: potus ex aquâ melle diluto conficiendi rationem invenit ac edocuit: convivia publica, locaque amicis compotationibus deſtinavit: jus hoſpitii ut ſacroſanctum eſſet, omnique humanitate coleretur, graviſſimè cavit. Brevi itaque effectum eſt, ut per hæc commercia, humanitatis dulcedine agreſtes animi illecti, ſpem non dubiam facerent: tanta jam concordiæ publicæ fundamenta jacta; ut & ad conſtantiam in ferendo imperio ſatis eſſet, & rudibus cogitationibus aliquantum caperetur; eſſe aliquid, quod privatis cujuſque rationibus anteponi deberet, nempe bonum commune: de quo cùm ageretur, junctis viribus ac ſtudiis, per vitæ etiam ipſius diſpendia, contra quemvis hoſtem decertare, expetibile atque laude dignum eſſe, perſuaſum haberent. *Bellum* tamen nullum Veidewutas movit: *ſciebat illud ſolvendis, quàm firmandis legibus commodius eſſe, & efferatos militiæ frequentiâ animos, faciliùs armorum deſuetudine mitigari.* Vitabat caſtra,

 in

in quibus uſu diuturno didicerat, *multitudini in armis ſeſe conſpicienti, contumaciorem ſemper eſſe contra imperia audaciam*. Vereri etiam non ex vano cogebatur, ne ſi inchoata conſilia, repentè vita deſereret: vixdum coaleſcentis Principatus curſus, morte Principis abrumperetur. Iam enim ille centeſimum annum tranſcenderat, ſextum inſuper ſupra decimum ingreſſus: prolem verò maſculam copioſam numerabat; è qua ſi vel plures imperium ambirent, vel unus aliquis detrectaret obſequium, molem quam parens eduxerat, filiorum diſcordiis conciſuram facilè pervidebat. Maturè itaque Provincias inter filios partitus, Principatum ſpontè abdicatum, in majorem natu, volentibus omnibus, tranſtulit. Ne tamen aut Rempublicam, inter juvenum manus, omninò deſereret; aut in ordinem redactus, authoritate omni, inter populares excideret: honores callidè auxit, quorum faſtidium ſimulabat. Summum ſe ſacrorum Regem ſeu Pontificem, antequam Principatu abiviſſet, creavit: eum qui

qui hoc magiſtratu deinceps fungeretur *Krive Kriveito* dici voluit. Nomen hoc, à Græco ſermone derivatum, & ſanctum ſanctiſſimum ſignificare, quidam autumant. Sedem Antiſtiti & ſacris, in oppido Romnove fixit: lucum quernum ibidem Diis conſecravit. Locus is vaſtatus deinde, atque exciſus eſt à Polonis, mortem D. Adalberto ſupremi ſacrificuli juſſu illatam ulciſcentibus: Oppidum verò eodem loco deinceps excitatum *ſacra ſecuris* etiamnum nuncupatur.

Pax Pruſſiæ fratrum Principum concordiâ ſubſiſtebat: hæc verò parentis, ſimulque ſacrorum præſidis, reverentiâ. Sene deinde fatis concedente, juvenum ambitione atque levitate, reſpublica univerſa propè in ruinam impulſa. E cineribus ferè parentis, filiorum diſſidia accenſa, innoxium populum, integris exercitibus commiſſis, miſerè exercebant. Maxima belli moles incubuit, in Littalanum ſeu Litvonem, minimum natu, matre Alanâ aliorum novercâ genitum. Plus ut ferè ſolet ad diſſen-

Litvos ſeu Littalanus junior, primus Litvanorum Princeps.

diſſenſionem valuit odium novercæ, quàm ad concordiam, communis genitoris memoria. Atque ut proniores ſunt vulgo animi, in eam partem, in quam ejuſdem nationis communione trahitur: non parum momenti Litvoni attulit, Alanâ ortum fuiſſe. Nam præter populum ejus Provinciæ, cui à Patre fuerat præfectus, Alani omnes apertè Litvonis partes ſequebantur. Ne tamen diuturno bello populi utriuſque vires ad internecionem deducerentur: Litvos, ut erat mitiore ingenio, primus ad pacem fratrum animos tentat: quam cùm obſtinatè aliis conditionibus negari videret, univerſam Alanorum gentem, Pruſſiæ
Anno 373. finibus eduxit: atque ad antiquas ſedes regreſſus, illas occupavit, quæ ducta ex Principis hujus appellatione Litvania & Lotvia ſeu Lotavia, vulgò vocantur. In Samogitia verò ſeu Sudinia, atque eâ parte Pruſſiæ, quam Sambiam dicimus, Saimo Litvonis frater imperabat. Populis illius provinciæ aboriginibus, conſtans ſemper, cum Litvanis amicitia fuit. Quid deinde toto Litvo-

Litvonis Principatu actum ſit, qui Reip. novæ progreſſus, quæ cum finitimis bella? nihil uſpiam reperio. In ejus tempora incidiſſe videtur inſignis clades Poloucio- *Poloucii ab Hunnis cæſi.*
rum, quos Hungari ſeu Hunni ab Hugro fluvio, Pannoniam verſus tendentes, ad Tanaim fuderunt. Erant Poloucii gens *Anno* 383.
ejuſdem cum Pruſſis, Litvanis, ac Lotavis originis: argumentum ejus rei eſt, ex reliquiis quas ad Phinoniæ fluvium Chorelam reſiduas, intra Moſchi imperium, communi cum Litvanis ſermone, proximo adhuc ſæculo, uſas eſſe, qui viderant teſtantur. Sedes Polouciorum à Volgâ fluvio, in Phinoniam uſque excurrebant. De ſucceſſoribus Litvonis, nihil inter ſcriptores habetur. Illud tamen dubio vacuum eſt, Alanorum ſeu Litvanorum copias, fuiſſe admixtas iis, quibus Gothi, Vandali, Longobardi, ac præcipuè Heruli, varias à Septentrione in Romanum imperium ſuſceperunt expeditiones. Neminem igitur ægrè habere debet, ſi calamum extra Litvaniam extulero, & leviter ea perſtrinxero, quæ ab hoc

ab hoc ipso sæculo per Herulos primùm, deinde Longobardos, in Italia acciderunt: præsertim, quòd inde semina narrationis sequens liber ducat.

Herulorum extra suam Patriam bella. Ottocharus inprimis seu Odoacer Herulorum Rex, à nepote Romani Imperatoris Augustuli hoste, è Germania evocatus, Ticinum primo impetu aggressus, brevi oppugnatione in potestatem redegit, &
Anno 475. Orestem Imperatoris parentem captum, in vincula conjecit. Promotis ulteriùs cum victoriâ armis, Romam occupavit; atque extinctis per Occidentem Romani Imperatoris titulis, primus exterorum Romæ regnavit: sed absque nominis, purpuræque regiæ, usu. Anno regni duodecimo insignibus aliquot victoriis Rugios confecit, Pheleteum Regem cepit, filium ejus
Anno 487. Fridericum profligavit. Victus Rugius Theodorici Gothi opem implorat: Herulus semel atque iterum à Gothis profligatus, ex ea Germaniæ parte, quam vectigalem obtinebat, vires reparabat: aliquoties deinde inauspicatò congressus, non ampliùs

pliùs Fortunam aperto campo credidit, sed intra Ravennam recepit. Hîc, bello omni ad unam urbem compulso, cùm triennali obsidione neque ad pugnam hostem elicere, neque ad deditionem cogere Gothus potuisset: pacem ea conditione Herulo obtulit, ut pari dignitate uterque in Italia regnaret. Admissa conditio: non diu tamen stetit integra, seu pax, seu Regni societas, inter communis tituli non tam collegas, quàm æmulos. Theodoricus enim Ottocharum convivio humaniter in speciem acceptum, submissis percussoribus inter mensas vitâ & regno exuit: inde ad exercitum Herulorum sibi conciliandum versus, faciles eorum animos reperit. Magna tamen pars Herulorum, ex Italia in *Anno* 493.
Græciam transiit: quòd per fœdera permissum esset Byzantino Imperatori, militem inde in auxilia educere. Et quidem imperante Iustiniano singulari operâ Herulorum, Duce Gethero, ad victorias Persicas Bellisarius usus est. Pars alia advocato è patria Duce Date, ad Istrum circa Norici

Anno 553. rici fines consedit. Narses quoque in Totila vincendo, Gothisque per Italiam excidendis Herulorum copiis adjutus est: qui cùm recepta Italia, mortuoque Iustiniano, Byzantium revocaretur, Heruli cum Ducibus Aliuto & Philimunto, inde excesserunt, ac per Liguriam in Thraciam penetrarunt, stipendia apud Imperatorem continuaturi: reliqui deinde electo per
Anno 559. tumultum Sylvaldo Duce Valeriam occuparunt. Circa eundem annum Longobardi Alboino Duce è Pannonia egressi, vocatis ad prædæ societatem variis Sarmatiæ populis, atque inter eos Gepidis (qui Procopio teste omnium expeditionum Herulis socii fuerunt) ingenti exercitu Italiam invaserunt. Continuatum deinde longa serie in Italia Longobardicum imperium, duo ferè integra sæcula complexum est.

Anno 591. Agilulpho regnante, ad Christiana sacra gens tota transiit: tam primorum plerique, Arriani; (sectam hanc in Germania & Pannonia hauserant) quàm populus, hucusque Idolorum cultor. Seculum proximum quietè

quietè fermè exactum, diuturna civilia bella exceperunt. Quare cùm ea occasio- Anno 703.
ne partium miles possessionibus Romanæ Ecclesiæ plures injurias inferret, Stephanus Pontifex Pipini Gallorum Regis auxilia evocavit. Victi à Gallo Longobardi Anno 754.
pacem cum Romanis non iniquis conditionibus impetrarunt. Sed mortuo Stephano Pontifice, Longobardis metu Gallorum levatis, vetus rediit ingenium. Desiderius Rex cum novis motibus intricatam Galliam spatium sibi vexandæ Italiæ relicturam speraret (ut sæpè *facilis est bellum volenti, ad sumenda arma occasio*) Romanas atque Pontificis ditiones, novis injuriis divexare cæpit. Ad Gallorum igitur auxilia rursus, Stephani exemplo, Adrianus Pontifex confugit. nec defuit Christianæ Reipublicæ Carolus Magnus: robusto exercitu Italiam ingressus, non debellavit modò, sed semel ac iterum profligatos, cum nomine excidit Longobardos. Anno 776.

LIBER II,

De rebus Litvanorum, ab Italorum in Litvaniam adventu, imperante Palæmonis familia.

Italorum adventus in Litvaniam. ITalos quoſpiam Venedico mari in Curonenſem ſinum, atque deinde ad oſtia Nemeni delatos, adverſo fluvio in Samogitiam, & Litvaniam, penetraſſe; tradunt conſtanter omnes, quicunque res Litvanorum attigerunt. In exiliumne acti, commodam ſedibus ſtationem veſtigando? an vi tempeſtatum à ſociis inſulis abrepti huc appulerint? ignotum eſt. Conſtans tamen ejus rei opinio, à majoribus propagata, firmiorem fidem facit, quàm ut ad fabulas, abſque antiquitatis violatione, moveri poſſit. Cæterùm, in quæ tempora hæc navigatio Italorum inciderit, quibuſve ex cauſis ſit ſuſcepta, cùm exactiùs ſcriptores explicare incipiunt: univerſam rerum ſeriem, plurimùm confundunt. Nam ſi, quemadmodum illis placuit, vel Pompejanarum partium navalis Legatus Libo, Victorem Cæſa-

Cæſarem tanto intervallo declinavit; vel Neronis crudelitatem, Attilæve clades, aliqui vitaturi, è fortunarum naufragio vitam & capita huc uſque extulerunt: omninò neceſſe eſt plura ſæcula, inter Italorum adventum, ac Zivibundi in Litvaniæ principatum, interceſſiſſe. Hunc tamen Principem, tertium à Palæmone aut P. Libone, iidem ſcriptores numerant; ad annum inſtauratæ ſalutis humanæ, ducenteſimum ſupra milleſimum.

Quis porrò crediderit tot ſeculis occupandis trium Principum vitam atque imperium ſuffeciſſe? Supputanti itaque annorum rationes, ſimulque componenti numerum Principum, perſimile vero videtur, Italorum in has regiones adventum, poſt nonum à Chriſto nato ſeculum, contigiſſe. Ardebat tunc civilibus furiis tota Italia. *Anno 900.* Inde à Berengario, ac Ludovico, de imperii jure, armis decernebatur. Inde, cùm Pontifex Româ Ravennam exceſſiſſet: Vrbs velut emortuum abſque capite cadaver, totuſque Reip. Romanæ ſtatus, ex

 impo-

Anno 908. impotentis fæminæ Theodoræ nutu, circumagebatur. Vndique alia ex aliis bella, perpetuò ſurgebant. Facilè itaque fieri potuit, ut tot malorum ſenſu ac tædio, ad deſerendæ Patriæ conſilia, atque eximendo tot cladibus capiti, ſuſcipiendam peregrinationem aliqui compulſi fuerint. Sive autem fortunam fugientes, ſive à victore hoſte proſcripti, Italia deſerta curſum huc direxerunt: non facilè mihi perſuaſero, fortuiti erroris hunc eventum fuiſſe. Alani fortaſſe, aut Heruli, (quos eâ tempeſtate in caſtris Italicis ſtipendia feciſſe, hiſtoriæ memorant) auctores fuerunt: ut quandoquidem pacis cupiditate patriâ excederent; in eas ſe regiones converterent, quæ & coloniarum capaciſſimæ, & bellis liberæ, eſſent. Quacunque porrò ex cauſa, ſeu occaſio, ſeu neceſſitas, tam longinquæ peregrinationis ortum habuerit; illud conſtanter majorum memoriâ ſervatum eſt: advenas Italos, quingentorum capitum Equites fuiſſe. Natalium prærogativâ, geſtiſque militaribus muneribus Principes cenſe-

cenſebantur; Palæmon, ſeu P. Libo, gente Columna: Iulianus Dorſprungus; cui pro gentilitiis ceris Centaurus: Priſper Cæſarinus, Columna: Vrſinus, & Hector; *Vnde hi Itali, & quando, in Litvaniam venerunt.* Roſæ, ſeu Roſirii. Hinc, & olim inter inſignia Principatus Litvaniæ, Centaurus: & nunc, Columnæ. Non levis certè ſuſpicio eſt, eos ex Inſubria ac Liguria prodiiſſe. Nam in illis Italiæ regionibus hucuſque ſupereſſe familias nominum atque inſignium ſimilitudine cognatas, perhibetur. Deinde, Berengarius Italis maximè adnitentibus, regno dejectus, ad reponendam hoſtibus per mutua damna ignominiam, Hunnos in eam ipſam regionem immiſiſſe legitur: qui poſt Ticinum urbem regiam *Anno 924.* ſolo æquatam, univerſam provinciam barbarè populati, cumulatis novis cladibus, jam ex præteritis malis deſerendæ Italiæ conſilia agitantes, ad deſperationem & fugam adegerunt. Iſti itaque aut alii, (nihil enim omninò certò, in tam obſcurâ re, confirmare audeo) Venedico ſeu Balthico mari, per exigui freti anguſtias Curonenſem ſinum

ſinum invecti, littus legendo in oſtia Nemeni ſeu Chroni inciderunt: ubi is longo per Ruſſiam Litvaniam & Pruſſiam curſu collectas aquas, duodecim alveis exonerat. Adverſo flumine interiora continentis ingreſſi, ad oſtium Dubiſſæ amnis, loco commodo, inter amænam camporum latè à littore excurrentium planitiem, prima coloniæ novæ fundamenta jecerunt. Romanova tunc dicta eſt, à poſteris Romnove & Romove, Krive kriveiti poſtea ſacrorum apud Litvanos præſidis ſedes: Gedimino imperante, ab Equitibus Ordinis Theutonicorum Fratrum, vulgò Crucigerorum, funditus exciſa. Inde ulterius progreſſi, ſuperato Niewiazâ fluvio, ad ea loca penetrarunt, quæ ab Alanis ſeu Litvanis incolebantur. Excitatis ibi tumultuario opere munitionibus, præſidia impoſuerunt, ut incolarum impetus, ſi forte vim hoſpitibus novis admoverent, ſecuriùs ſuſtineretur. Humanitate deinde, cæteriſque pacis artibus, ad vicinorum animos pertentandos converſi, facilè perfecerunt; ut æquo ſecum

Progreſſus Italorum in Litvania.

cum jure, agros ab advenis coli, haud gravatè & abſque injuriis paterentur; omnique belli jure in eos abſtinerent. Iam creſcebat in dies potentia; jam valida, jam vicinorum cuique bello, par erat: neque tamen convaleſcentes in vicino alienas opes, quiſquam Litvanorum aut tanquam ſuſpectas formidare, aut tanquam hoſtiles oppugnare. Ingenio enim agendique dexteritate ita utebantur Itali, ut res ſuas domi ſatis firmatas haberent, & apud ſocios extra invidiam & ſuſpicionem. Imò exigui temporis commercium, advenas atque incolas in unum planè confudit: nam non modò communem Rempublicam uterque populus eſſe ſibi voluit, ſed etiam ſub imperium advenarum ſpontè Litvani conceſſerunt. Quemadmodum igitur, aliquot poſtea ſæculis, Theutones armis Litvoniam, ac deinde alii Pruſſiam, ſibi aſſeruerunt: ſic Itali Litvaniam induſtriâ ſingulari, morumque humanitate. Ita prodigioſâ fatorum viciſſitudine, cùm Septentrionales gentes Italiam bello & armis lacerant,

Itali humanitate earundem populares, domi suæ expugnant. Occupati enim eorum virtutibus animi Litvanorum non amare modò, ac colere jure hospitii atque societatis exteros, sed honorare etiam cæperant. Mortuo Principi Palæmon communi omnium suffragio subrogatus est. Tantum virtus, etiam apud ignotos & barbaros, admirationis habet. Quid deinceps à suscepto in Litvanos Principatu, auspiciis ejus, domi militiæque fuerit gestum; altum apud scriptores silentium. Illud meritò quis admiretur? Cur Princeps hic, si Christianus, ad eadem sacra subjectos sibi populos non traduxerit? aut si Ethnicus, quomodo Italus? eo nimirum tempore, quo per universum ferè orbem, nedum per Italiam, à summis ac infimis Christus publicè coleretur. Verùm ut in ulteriore Italia, nemo fortasse aliter, quàm Christiano ritu, superis litabat: ita Provinciæ Alpibus admotæ, & primæ erant ad injuriam, barbaris ex intervallo in Italiam irrumpentibus; & ad colluviem variarum superstitionum privatim reti-

Palæmon Italus Dux Litvaniæ & Samogitiæ.

retinendam, pertinaces. Idolorum enim cultus sæpiùs instaurabatur ab iis, quorum familiis Herulorum, Gepidarum, Gothorum aut Longobardorum reliquiæ, initia dederunt. Per hos, hæreditate transscriptæ superstitiones, ad posteros propagabantur. Palæmon itaque inde oriundus, plurium Deorum venerationem, in Litvania non sustulit: quin etiam ex vetere ritu ordinatam, novis insuper religionibus auxit. Ille est, qui primam in Litvania coloniam Romanovam, religionibus servandis, ipsarumque supremo Pontifici, dedicavit: quemadmodum Petrus à Dursbuch, illi ætati, quàm nostræ propior, Livoniensium Equitum Sacerdos, & Historicus, quarto hinc ante seculo editis commentariis, observavit. Palæmonis ætatem attigisse, videtur insignis Iatvingorum clades, à Russis accepta. Populus hic, Litvanis vicinus ac socius, post plura bella fortiter cum Russis peracta, tandem Volodimiri Kijoviensium Ducum fortunatissimi, armis cessit: subactus atque libertate mulctatus, annuo tri-

Anno 970. Iatwingorum clades.

 buto

buto imperato. Natus erat Volodimirus parente Suentoslao, qui cum expeditione Thracica Græcos graviter profligasset, eodem victore exercitu, in reditu Piecinigos aggressus; militem, regnum, ac vitam paulò antè amiserat. Dux Piecinigorum Litvanus Cures, formato ex cæsi calvâ cratere, illud insculpi jussisse perhibetur. *Aliena quærendo, sua amisit*. Sed nullæ tunc adhuc fortè Russis literæ; quantò magis Piecinigis. Dixisse igitur tantùm ea verba, Cures credendus est. Fortunam parentis correxit Volodimirus, finitimis provinciis ad imperium Russorum adjectis: inter quas, Litvania etiam, ab aliquibus numeratur. Post administratam pluribus annis Rempublicam, è vivis abscedens Palæmon, tres filios imperio maturos reliquit. Provincias illi, ab excessu parentis in eum modum partiti sunt. Borcus ad ipsa Iuriæ amnis Nemeno illabentis ostia, Iurborco arce excitatâ, in eam Samogitiæ partem (jam enim Samogitia sese Litvaniæ adjunxerat) quæ à Iuria & Nemeno versus Curonensem

Piecinigi Russos profligant.

Litvania à Russis subacta.

Filii Palæmonis, Duces Litvaniæ, Borcus, Spera, Cunassus seu Cunas.

sem sinum protenditur imperium obtinuit. Cunonis seu Cunassi principatus, Nemeno, Dubissâ, Niewiazâ & Viliâ sive (patriâ voce) Neride, fluviis terminabatur. Sedem curiæ in ipsis Viliæ ac Nemeni congredientis faucibus firmavit. Oppidum id, cum castello, ad auctoris memoriam Cauna dictum, hucusque inter celebriora Litvaniæ loca est. Tertius Spera longiùs aliquantò ad Orientem progressus, inter Niewiazam, Swientam, & Szerwentam amnes imperavit: Arcemque ingenti lacui imminentem permunivit. Locus de auctoris nomine Spera etiamnum vocatur. Iulianus quoque Dorsprungus in colle, naturâ loci commodissimo, arcem ad Swientam amnem excitavit, quam vulgari sermone Vilkomergiam dicimus. alteri deinde castello non procul inde fundamenta jecit, & Dziewaltoviam, nimirum DEI possessionem, dixit, ipse inde à popularibus Dux Dziewaltovius vocatus. Ad supremum imperii jus, & ætatis judicio, & omnium voluntate successerat parenti mortuo Borcus:

 sed

ſed hic quoque abſque prole extinctus, Speræ fratri ceſſit. Parentatum Principi ex more gentis rogo funerali. Cineribus eodem loco cum honore ſepultis: Mauſolæi vice, ſtatua impoſita: illa à poſteris, ſimul cum loco, in ſacris habita; & in tempora uſque Iagiellonis Divinis honoribus culta. Auxilia deinde vicinæ Pruſſiæ contra Polonos aliquoties miſſa; cùm eam gentem Boleſlaus Chrabryarmis tentare cæpiſſet. Cæterùm Principatus Speræ, domi foriſque fuit quietus; ſed non diuturnus. Extincto fratri Cunaſſus natu junior, ſenatus populique ſuffragiis ſucceſſit. Quid ille ad memoriam deinceps geſſerit, ad poſteros non tranſiit. In vivis adhuc cùm ageret, ne moriendo odiorum fontem filiis ipſa hæreditate transſcriberet; maturâ principatus diviſione, occurrit. Kiernuſium ſeu Kiernum, intra Viliam, Niewiazam ac Dunam fluvios Litvaniæ præfecit: Gimbuto juniori Samogitiam attribuit.

An. 1040. *Kiernus & Gimbutus* Diviſi à patre principatus, nec damna ſenſerunt, nec pericula, Kiernus & Gimbutus Cunaſſidæ. Vnum eſſe videbatur imperium; ubi inter Principes, & ſubjectos populos ſumma concordia. Ita his Principibus res Litvana non ſervata modò, ſed etiam inſigniter cumulata. Finitimis quoque inferre arma auſi. Neceſſitatem porrò belli attulit, quòd populus familiis auctus, agris ad colonias egeret. Inprimis verò verebatur non ex vano Kiernus, ne ſi fortè Viliam cum populo agrorum cauſa transgreſſus in hoſtem incidiſſet, iſque irritatus vim propulſaret, aperta in Litvaniam via relinqueretur. Quare excludendo hoſti primam coloniam ad fluvii ripam duxit, arcemque ſitu & præſidiis validam impoſuit, Kiernoviam, Litvanis quondam urbem regiam. Locus hic nomen quidem jam inde à conditore tractum, huc uſque retinet: ſed quidquid hoc nomine dignum, pridem vetuſtate abolevit. Cùm tranſportatus deinde per fluvium populus, & in colonias deſcriptus, imminentes ripis agros colere cæpiſſet; ſuſpecta novorum vicinorum propinquitas Ruſſos, ad injurias & arma,

Duces; ille, Litvaniæ; hic, Samogitiæ.

Kiernovia olim Litvaniæ Metropolis, ædificatur.

arma,excivit. Agebatur res latrocinio magis molesto, quàm justi more belli: continuis excursionibus divexabantur coloni: Kiernus & Gimbutus injuriam in speciem dissimulabant; tacitè verò expeditionem in Russiam decernunt. Ne tamen res temerè tentata, adverso eventu plus incommodi inferret, quàm esset id quod ultum ibant; in omnes occasiones animo intenduntur. Tandem ipsa rei gerendæ commoditas, in destinatum bellum, suapte proclives, impulit. Polowcii Duce Sekal, semel iterumque instauratis latè populationibus, miserè universam Russiam afflixerant: civiles verò dissensiones mutuis fratrum odiis Iaroslai Ducis Kijoviensis filiorum accensæ; evocatis etiam in mutuam perniciem armis Boleslai Audacis Polonorum Regis pænè confecerant. Non negligenda occasio Kierno & Gimbuto visa: junctis viribus validam è Litvana & Samogitica juventute manum, in Russiam, diversarum cladium sensu aliò aversam, Kiernus duxit, atque primo impetu Braslaviam cepit, quæ semper

An. 1058. *Braslavia Russis eripitur, Polocia vastatur.*

semper deinceps Litvani juris permansit. Inde promotis in Ducatum Polocensem, vicinosque agros, castris: quidquid pagorum Dunâ & Viliâ fluviis intercipitur, igni ac ferro populatus est. Iam opulentâ prædâ onustum militem reducebat: cùm rei ex sententiâ in hostico gestæ lætitiam, tristis domi nuntius corrupit. Lotavi finitimi ac socii populi, seu injuriarum præteritarum recordatione provocati, seu etiam prædæ cupiditate, per Ducum militumque absentiam, Litvaniam Dunæ adjacentem, & Samogitiam sinui Curonensi propinquam, vastaverant. Litvanis Ducibus, ut *post victoriæ de Russis partæ voluptatem ex domesticâ clade insolentior mæror, ita gravior indignatio.* Victorem itaque exercitum, è vestigio quo nuntius deprehenderat, in Lotaviam ducunt. Transmisso Dunâ, universam provinciam cædibus & flammis implent: & quòd non prædæ, sed ulciscendi studio res ageretur, tantâ ferociâ nullo in omnes delectu sævitum est, ut gens tota pænè excisa sit. Qui cædibus supererant, non tam

An. 1065. *Lotavia vastatur ac propè exscinditur.*

commiſeratione ſævientium,quàm ſæviendi faſtidio ſervati, ingenti numero in ſervitutem abducti ſunt. Hac duplici expeditione finitimis partim territis, partim attritis, quietus in longam ſenectutem Kierno Principatus ſtetit. Ruſſi vindictâ abſtinebant: quòd multiplici bello interea implicatis, vires in plura odia non ſufficerent. *An. 1073.* Poloucii enim crebris prædationibus agreſtes vexabant, tumultibuſque atque incendiis magnam partem Ruſſiæ implebant. Domeſtica etiam inter cognatos Duces ambitio, perpetuum alebat bellum; non civilibus modò armis, ſed etiam exterorum potentiâ: hinc Polonis; inde Polouciis, in auxilia evocatis. Zaſlaus beneficio Boleſlai Audacis Poloni, Dux Kijovienſis; cùm Vſevoldo Czernichoviæ Duci patrimonium vi ereptum, bello repeteret; *An. 1076.* victor Polouciorum & rebellium Ruſſorum, inter ſuum peditem ſecuriùs à pugnâ inambulans, ab hoſte qui Zaſlavianis fortuitò immixtus hæſerat, haſtili confoſſus interiit. Necem Zaſlai ampliora diſſidia atque

atque inde ingentes clades ſubſecutæ. Tum primùm reſpirare viſa Ruſſia, cum Polonia amiſſo Rege Boleſlao, ferrum à cervice Ruſſorum removit. *Litvani evocantur à Ruſſis contra Polonos.* *An. 1082.* Odioſa illis jam pridem atque gravis Polonorum potentia erat, florentiſſimis opibus fulta: eoque periculoſior, *quòd non ſolùm vicina, ſed per mutuas Ruſſorum diſcordias, ſubſidiorum occaſione intra viſcera Reipublicæ admiſſa.* Communi itaque omnium voluntate, bellum contra Poloniam decernitur. Trahuntur in ſocietatem Poloucii & Litvani. Ingentes copiæ quadrifariam diviſo exercitu, in hoſtiles agros immittuntur: fit ingens undique ſtrages, cum populabundæ legiones ad Viſtulam uſque ferro & igne penetrarent. Redibat jam victoriâ prædaque lætus exercitus: & *quòd hoſtilibus agris egreſſus, omnia ſecuriora putaret, ex lætitia liberiùs miles in caſtris agere*; ordines, excubias negligere; diſciplinam ſolvere. *Cæduntur à Polonis.* Id ubi per idoneos intellexit Ladiſlaus Hermanus, (qui interea exiguas copias hoſti non erat auſus objicere; ſed à longè veſtigiis abeuntium in

 occa-

occasionem intentus hærebat) accelerato itinere Russos assecutus, ipso noctis primæ conticinio, somno ex securitate & hilaritate fortiùs oppressos, ingenti cum tumultu invadit, perturbatos cædit, castris exuit, prædamque omnem recipit. Prima ea Litvanis in Poloniam expeditio, alienis auspiciis suscepta, infeliciter cessit: viam autem ad diuturna plurium annorum bella, primùm aperuit. Intercessere deinde mutuæ Polouciorum Hitan & Itlar Ducibus, Russorumque clades: quibus Litvaniæ pax promovebatur. *Ne tamen longa armorum desuetudine, inutilis militiæ juventus redderetur:* nova expeditione lacessita est Russia; vocatis ad prædæ societatem Iatvingis. Ab expedito milite Luceorienses, Vlodimirienses, Leopolitani agri, igne ac ferro latè vastati: prædaque ingens prosperè abducta. Iam Kiernus annis gravis, neque imperio neque vitæ sufficiebat. Metuebat porrò cautus Princeps, ne discordiarum contagione, quam per vicinam Russiam magno ejus malo serpere videbat, Litvania corriperetur.

An. 1083.

Russiam invadunt Litvani.

An. 1089.

tur. Evenissetque id fortasse, si morte ejus res ad interregnum devenissent: neque enim hæredem fortunæ suæ filium habebat. Quare convocatis proceribus & magnitudine periculi indicatâ, Zivibundum è Iuliani Dorsprungi posteris, juvenem imperio parem, filium sibi adoptat, dataque ei mox in connubium unicâ filiâ Pojatâ, dotis nomine Ducatum Litvaniæ attribuit. E vivis deinde cùm excessisset, magnificâ (quam illa ætas ferebat) pompâ elatus, in edito colle Dziewaltoviæ propinquo, sepultus est. Posita honori ejus statua lignea, quæ deinde divinis cæremoniis per plures annos culta, cùm tempestatibus tandem cessisset, lucus peramænus ibidem succrescens Vestæ dedicatus est. Attributi prætereа sacerdotes, qui perpetuum ignem quercu alerent: hi superstitiosos hos ritus, ad Christiana usque tempora perduxerunt.

Ab ulteriore historiæ cursu, insignis error detinet, in quem primi Litvanarum rerum scriptores hìc impegerunt: neque à me dissimulari potest. Non enim tam minutus

De annorum & temporum rationibus.

 nutus

nutus eſt, ut etiam non omninò curioſi Lectoris oculum prætereat. Integrum ſequens ſæculum alto ſilentio ſepultum, hiſtoriæ contextum ingenti hiatu abrumpit. Hunc tamen illi ſine ſenſu prætergreſſi ſunt, licet tanto intervallo parentem à filiis, ſucceſſoremque proximum à majoribus ſuis divellere cogerentur. Deinde in ſexaginta annos, quatuor Litvaniæ Duces attribuunt, rectâ ejuſdem familiæ à proavo ad pronepotem propagatione, quorum ſinguli Reipublicæ adminiſtrationem cum juvenilibus propè annis ſuſceptam, nonniſi exactâ jam ætate abſolverint. quod quantùm omnem fidem ſuperet, proclive cuique eſt animadvertere. Illud etiam, & ad fidem, æquè difficile; & magis ridiculum eſt. Montuilonis poſteros eorundem annorum decurſu, per continuam nepotum abnepotumque ſucceſſionem, ad octavam uſque progeniem imperium Novogrodenſe tranſmiſiſſe. Vtinam verò tam de facili corrigi poſſet error, quàm advertitur. Divinare quidem poſſumus plures ejuſdem

ejuſdem nominis Principes in Litvania regnaſſe, atque hinc cum unius geſta alteri perperam attribuuntur, confundendorum temporum materiam præbitam. Sed in re à noſtra memoriâ tantùm remotâ, & vetuſtate omninò incompertâ, *omnis ſuſpicio ſcriptorum veterum authoritate deſtituta, facilius in hiſtoria errores cumularet, quàm corrigeret.* Quare ipſe quoque veri incertus, totam annorum ſupputationem ad Mendogi uſque Principatum, ſuſpectam, ut reperi, relinquo. Cum enim præcipuum mihi ſit propoſitum, ea quæ ab aliis conſignata inveni, ſub compendium latinè mittere: abſque vitio me facere puto; cum temporum ſeriem ut ab eiſdem diſtinctam accepi, immutatam adjungo.

LIBER

LIBER III,

De rebus Litvanorum obtinente Principatum, familiâ Iuliani Dorſprungi.

Zivibundus Litvaniæ, Montwilo Samogitiæ Duces.

Zivibundus à morte Kiernuſii Princeps renunciatus, Columnis, quibus Palæmoniadæ in ceris utebantur, Centaurum ſuæ gentis inſigne adjunxit; & relictâ Dziewaltovia; ſedem Principatus Kiernoviam tranſtulit. *Faciliùs ex propinquo in omnes rei gerendæ opportunitates excubare poterat, & firmandis Reipublicæ viribus, juventutem finitimis excurſionibus ad juſti belli labores exercere. Ruſſia, ipſa propinquitate in aperto erat: hæc, ob civiles ſuorum tumultus, exterorum injuriis facilis credita.*

Bella inter Ruſſos & Litvanos vario eventu.

Nec tam Principis voluntas, quàm ſpes prædæ apud egentem tunc populum, pluribus militiam perſuaſit. Agebatur res mira celeritate: oſtenſum ſimul bellum, & illatum eſt. Ne qua verò mora in fluviis eſſet, toti exercitui imperatum: ut bini quique milites, utrem ex Vri corio confectum, duobus per fluvios deportandis commodum, ſecum ferrent.

Amiſſus tamen eſt aliquoties, his expeditionibus exercitus: & reddentibus vicem Ruſſis, magna pars Litvaniæ de libertate dejecta. Romanus enim Haliciæ ac Volodimiriæ Dux, devictis aut in exilium actis reliquis Ruſſiæ regulis, per univerſam Ruſſiam ſolus rerum potitus, à domeſticis bellis ad externa verſus, primùm in Iatvingos & Litvanos movit. *An. 1200.* Cùm victoriis pluribus proxima eorum loca ditioni ſuæ adjeciſſet, neque tamen incolas obſequentes quietoſque habere poſſet; eo impotentiæ ab indignatione devenit, ut deinceps bello captis Litvanis ad onera & currus, agroſque colendos, equorum & boum vice uteretur. *Litvaniæ pars Ruſſis ſubjecta.* Sed deinde *ſurgentem fortunam vehementiùs ad ſumma urgendo, repentè præcipitavit.* Delectu per univerſam Ruſſiam, & occupatos nuper Iatvingorum Litvanorumque agros, magnâ curâ habito, ingentibus copiis Poloniam, non minore voto quàm audacia, invaſerat: *An. 1205.* ſed ad Zawichwoſtum Duce Chriſtino Comite Gozdovio Pala-

Russos à Polonis victos Litvani invadunt: sed cæduntur à Ducibus Holhoviciis.

tino Plocensi à Polonis fusus, amisso exercitu inter promiscuas plebeji militis cædes, interiit. Clades ea Russorum, spem viamque Litvanis, ex aliena dominatione emergendi aperuit. Communicatis consiliis Zivibundus, & Montwilo Gimbutides Samogitiæ Dux, decernunt alienam victoriam in sua commoda vertere, atque à recente ictu jacentem usque hostem adoriri. Iunguntur itaque utriusque gentis vires, ingentes copiæ in hostiles agros immittuntur: Ducatus Novogrodensis, Luceoriensis, Volodimiriensis igne ac ferro absumuntur. Iam latissimè Russiam Litvani pervagati opulentam prædam domum reducebant. Holhovicios Duces res inopina ad arma exciverat; sed feroci tam victoriâ quàm numero hosti, palàm acie occurrere, non sunt ausi. Impeditos tantùm per sylvas passus, armato milite insederunt, atque succisis arborum truncis ita dolum ordinarunt, ut deducto intra insidias hoste, impulsæ magna vi ab extremo, mutuo se ictu in casum arbores protruderent, Litvanos-

que simul protererent. Si quos ab ea strage casus servasset, eos, armati extrema sylvæ observare jussi, opprimerent. Sed non ita fraus acta, ut non patuerit Litvanis: flexo illi paulisper itinere, & periculum superarunt & hostem eluserunt. Vbi artes non successerunt, consilii incertos Russos dolor justus ad apertam vim tentandam subegit. Assecuti abeuntem Litvanum, audaciùs extrema agmina premunt, carpuntque: cæduntur multi, quos vel itinerum ratio, vel impedimentorum onera longiùs à reliquo exercitu abstraxerant. Tandem cùm uterque exercitus in Slonimenses campos fuisset effusus, totis viribus commissæ acies. Primus impetus utrisque non incruentus, ad neutras tamen partes spem inclinavit. Pugnatur acriter: illinc prædæ amor, hinc suorum libertas, diu pari pernicie, eventu dubio, spiritus & prælium accendebat: donec subsidiariæ Russorum cohortes leviter circumductæ, in nudatam defensoribus Litvanorum à tergo aciem (quòd omnes in frontem aversi essent)

magno impetu invectæ, pugnam cum fessis recentes instituerunt. Turbati insperata vi Litvani, facilè ordines solverunt, neque diutiùs ancipitem utrinque pugnam sustinuerunt. Versus in fugam exercitus, prædaque omnis recepta. Poterat eâ victoriâ non pax modò, verùm & imperium in Litvaniam Russis stabiliri: sed post cæsum nuper Romanum, Ducum pro Kijoviensi Principatu ambitio, revocatis rursus discordiis, fructum victoriæ intervertit. Repetitis enim interea Litvani per intervalla prædationibus, & amissi anno proximo exercitus damnum insigniter ulti sunt, & prædis ingentibus rem suam auxerunt.

An. 1206. Litvani à Russis profligati.

Rursus externa vis Russos admonuit concordiæ: Infensis, & suspectis adhuc animis conveniunt in eadem castra, atque civili sanguine calentia arma in Litvaniam vertunt. Dux Kijoviæ Volodimirus Rurikovius exercitum ducebat. Pugnatum est collatis justo bello utrinque aciebus; amissi utrinque plures Ducum: tandem campo Russi victores potiti; sed proximæ sylvæ, in

in quas Litvani magno impetu se injecerant, neque victoriam, neque cædem fugientium, explicare multùm permiserunt. Partâ inde pace, simul & domum & ad relicta domi odia reditum est. *Breve enim concordiæ vinculum externus metus: quia non componit, sed differt odia.* Colomanus Andreæ Hungarorum Regis filius, nuper paucorum Russiæ procerum studiis Haliciensi regno auctus, atque mox inde à Miecislao Miecislaide depulsus, per injuriam amissa, bello repetebat. Russicæ illi Hungaricæ, Polonicæque opes ac vires, in auxiliis erant. Neque æmulis tantùm animi; ut hosti præcipuum Sarmatiæ robur ducenti soli occurrant: circumspicere & ipsi externa præsidia. Polowcii, Litvani, Iatvingi ad societatem armorum ingentibus promissis solicitantur, & pertrahuntur. Funestus ejus belli exitus Colomanum vehementer attrivit. Cæperat quidem, sub conflictus initia, Polonorum præcipuè virtute, spes Hungaro ad victoriam assurgere: sed cùm immissi à tergo Polowcii, Polonos acriter

An. 1208. Novi in Russia civiles motus. Litvani subsidia ferunt Russis contra Hungaros & Polonos.

 instan-

instantes, ad ancipitem pugnam feroci insultu distraxissent; reliqua acies facilè à fronte in fugam versa est. Colomanus ipse ex fuga Haliciam evaserat; admoto deinde victore exercitu muris, captaque per cuniculos arce, vivus in potestatem hostium venit. Aliquot posthac annis, Scythæ gens barbara ab Hyrcano mari Caucaseisque montibus egressa, ex Oriente Occidentem versus, sedes ac arma transferebat. Primi erant Poloucii, in quorum agros trajecto Volgâ ea proluvies exundavit. Egerunt illi diu pro aris & focis fortiter, neque infeliciter. Sed ejusmodi bellum erat, in quo victoria absolvi aliter non poterat, nisi internecione alterutrius populi: Scythis pro occupandis sedibus, Poloucciis pro retinendâ patriâ, summâ vi pertinacique ferociâ connitentibus. Verebantur tamen hi, ne (quod evenit) sub multitudine hostium virtus sua tandem concideret. Missâ itaque legatione, auxilia apud Russos quæsiverunt. Admissus ad Kijoviensium Ducem legatus Polouciorum: *Hostes esse qui auxilia*

An. 1211. Scytharum in Russiam eruptio prima.

auxilia peterent, non dissimulabat. Sed *nunc demum in potestate Russorum esse*, ajebat, *ne amplius hostes forent: si novo beneficio æternas amicitias inchoare vellent. Meminissent Russi: quoties vel ad domesticam Tyrannorum potentiam frangendam, vel ad Polonam vim sustinendam, Polouciorum operâ usi essent. Suis equidem non adeo rem domi desperatam esse, ut ferendo diutiùs hosti non sit: finitimorum tamen arma implorare; quòd rectè intelligerent, non cum suo magis, quàm illorum hoste bellum agi: atque ideò, communibus studiis opibusque, propulsandum. Advertere vellent Russi, Scythas sedibus suis egressos, non Polouciorum prædis invitatos; ubi ex militari egestate, aut potiùs parsimoniâ, nihil invitandæ cupiditati haberetur. Esse aliquid amplius, quò illi, animo ac desiderio, tenderent: Russiæ, provinciæ opulentæ, illos inhiare: ejus jugulum, per Polouciorum latus, peti. Occurrerent igitur maturè periculo: jungerent vires cum Poloucciis: ne his sublatis, totum belli onus in solam Russiam decumbat. Barbarum exercitus multitudine ferocem, ad ipsa belli initia, duplicibus copiis faciliùs reprimi posse; quàm postea, rerum successu violentiùs provectum; & velut rupto aggere*

Bellum Russi contra Scythas decernunt, & infeliciter pugnant.

gere summo impetu ruentem. Æquissima petere visus. Magno itaque apparatu suppetias Russi occupant. Msciſlaus Romanides Kijoviæ, Msciſlaus Msciſlaides Haliciæ Duces, aliique plures, Russiâ cum exercitu egressi ad Protolcos Polouciis junguntur. Inde duodecimis castris in conspectum hostium pervenerunt. Scythæ, ut prima adventantium signa comparuerunt, militem omnem instructâ acie in campum educunt; neque spatium ex itinere respirandi datum: fessos integri magno impetu adorti, pugnare priùs, quàm consisterent, cogunt: atque primo propè incursu vincunt, cædunt. Russorum quidem, eâ tempestate, tota strages, intra exercitus & aliquot Ducum cædem, vel captivitatem stetit: at Poloucìorum populus, multùm eâ clade attritus, vim deinde sustinere non potuit: sed subsecutis præliis internecione deletus est. Tum ferè magnam Europæ partem, quam nunc incolunt Scythæ, occuparunt. Inde postea Bateii & Caydani ductu, annorum aliquot continuis infestationibus,

nibus, ita attrita est Russia; ut amissis præcipuis regulis, in potestatem Scytharum venerit: & imperatum in annos tributum, diu penderit. *Alienis malis, in suarum rerum incrementa, Litvani per ocium usi*, sensim fines in Russiam proferebant. Infestis etiam signis interiorem Provinciam ingressi, ex agrestium prædationibus rem familiarem augebant. Deligebatur expeditionibus tempus, quo validior sæviret hiems; quando scilicet solida glacies quaquaversum planiores sternebat aditus. Ducebat modicas copias Vikindus Montwilonis filius natu minor. Bina, ex iis expeditionibus, infeliciter cessit: cùm incautiùs inter diuturnam prædationem agunt, ad Polockum, iterumque circa Dunam, à Smolenscensi & Novogrodensi Ducibus, oppressi sunt. Ex utraque clade, fortunæ obirati Zivibundus & Montwilo, consilium de Rep. capiunt. *Deprehendunt, exiguas copias per hostiles agros posse quidem leviter circumagi, atque eâ celeritate plurimum damni hosti, antequam se ad periculum recolligat, inferri; at excitis interim ad*

An. 1216.

Expeditiones Litvanorum in Russiam.

 arma

arma hostibus, resistendo impares, inter impeditos viarum transitus, armatoque milite insessos; nec prædæ nec vitæ tuendæ sufficere. Decernitur itaque, ut quàm maximo apparatu bellum instruatur priùs, quàm inferatur: miles ut selectus sit, neque ita prædæ ut gloriæ avidus; utriusque verò in periculis obstinatè retinens: Dux ut fortis peritusque detur: exercitus ut in eam partem ducatur, quæ Scythicis nuper populationibus attrita, atque propugnatoribus destituta, facilem vulneri locum ostenderet. Habiti sunt delectus per Litvaniam, Samogitiam, Curoniam, magnâ diligentiâ.

An. 1217. Erdivilus Montwiloniades primus Dux Litvaniæ Novogrodensis.

Vniversæ rei Imperator præficitur Erdivilus, senior Montwilonis filius: additi tres Legati militares, Duces fortissimi, consiliis ac manu prompti, Grumpius Columna, Eyxis Vrsinus, Grawzius Rosa. Erdivilus selecto milite Ducibusque instructus, & suo ingenio rebus gerendis aptus, & suorum consiliis atque exhortationibus plenus, exercitum in Russiam duxit. Etsi verò non vexandis colonis, sed proferendæ ditioni expeditio suscepta erat: tamen tantus miles, commeatus & prædæ necessitate,

tate, absque agrestium injuriis duci non potuit. Mox à transitu Viliæ, legiones ad prædam dimissæ, hostem trepidatione implerunt: eâdem operâ, miles prædæ dulcedine delinitus, promptior in reliqua redditus. Promotis castris, & exercitu per Nemenum transportato; antequam ulterius bellum continuaretur, locus munitioni excitandæ quæsitus. Ventum erat ad editum collem situ peropportunum; exustæ à Tartaris arcis rudera. Loco nomen Novogrodecum. Eum Erdivilus sedi figendæ & civitati instaurandæ delectum, permuniri jubet: tùm ut commodiùs circumjacentem inde Russiam infestaret, tùm ut si quâ vis repentina ingrueret, recipiendo militi locus in propinquo esset. In consilio deinde certatum quænam Russiæ pars ad primos impetus destinanda foret. Vicit eorum sententia, quibus placebat profundiora Russiæ tantisper vitare, quoad minore periculo res Litvana firmaretur, per eas oras quæ Iatvingis Litvanorum sociis, finitimæ essent. Ita enim, si quis eventus auxilia po-

 stula-

ſtularet, tùm ex Iatvezya, tùm ex propinquâ Litvaniâ, expeditiora futura erant. Flexo igitur ad occidentem modicè itinere, Subſylvaniam verſus arma Erdivilus vertit. Legitima itineris ratio erat: diviſo trifariam exercitu, legiones binæ ad pugnam inſtructæ præcedebant, ne ex inſperato hoſtis militem extra ordines nactus, aliquid damni inferret: ſequebantur deinde tres legiones, prædationibus deſtinatæ; quæ in utramque partem laxatis excurſionibus, igni & ferro ſævirent; commeatumque pro toto exercitu conquirerent: claudebat ultimum agmen præcipuum militis robur, impedimentis & toti aciei præſidium. Nihil ullibi morarum objectum eſt; non exercitus hoſtilis obvius, non locus, quem oppugnatione tentare opus foret. Munitiora enim totius regionis oppida, à Tartaris nuper exciſa, expeditam Erdivilo præbebant victoriam. Ita Grodna, Breſtia, Drohyczynum, & reliqua loca ſolo adventu occupata: & tumultuario opere, ac præſidiis impoſitis munita. Quia tamen *ſemper*

ſemper firmius imperium eſt, cujus non omne jus à vi ortum ducit; ſed aliquid à ſubditorum voluntate habet: antequam extremam vim circumjectis incolis inferret; pacem Erdivilus eâ conditione obtulit, ut quos victores metuerent, Dominos æquo jure pati mallent. Itum à Ruſſis ſub Litvani imperium, neceſſitate magis quàm electione: exciſo enim Scythicis bellis omni nobilitatis flore, non vires modò ſed & ſpes tanti hoſtis excutiendi, reliquam plebem deſtituerat. Mitior viſa ea ſervitus, quàm ut ejus avertendæ causâ, extrema ſubire mallent: præſertim quòd & Chriſtiana ſacra intacta ſibi relinquerentur; & qui ante liberi fuiſſent, eodem jure patrimonia ſua poſſidere permitterentur; denique quòd contra Tartaros, Litvanis opibus pro Ruſſia bellum gerendum promitteretur. Firmatâ pace, & dominatione inter incolas; Erdivilus ad expeditionis ſocios, Duces militeſque præcipuos, ornandos converſus, ampliſſimis poſſeſſionibus in novo Principatu eoſdem auxit: reliquum caſtrenſe vulgus per oppida

pida coloniasque descripsit. Campejo seu Strumpio Gastoldorum auctori, ii agri attributi, quos nunc Osmianense territorium includit: Eyxio Vrsino Monividum, aut ut alii volunt Dowoynarum in Litvania familiæ Principi, Eyszyszki: Grauzæ, Grauziszki. Ipse Erdivilus primus è Litvanis Dux Novogrodensis, imperio suo complexus est ea omnia, quæ Viliam inter & Perepecium fluvios, à Litvania Mozyrum usque extenduntur: Novogrodiam, Brestiam, Grodnam, Subsylvaniam. Felices Erdivili in Russia progressus, securiorem Samogitis ac Litvanis pacem reddebant: nisi quòd novus è Livonia hostis interea
An. 1218. emerserit. Germani ex ordine militari, fratrum vulgò Ensiferorum post subactos diuturno bello Lotavos, Samogitiæ imminere cæperant: repulsi sunt ea vice feliciter à Montwilone, filioque ejus Vikindo. Auxilia deinde Prussis à Zivibundo contra Conradum Mazoviæ Ducem suppeditata: quâ expeditione Culmigeria Conrado erepta, Mazovia latè vastata, Plociaque civitas prima-

Belli cum Litvoniensibus Crucigeris initia.

primaria exusta. Ab auxiliorum Prussicorum curâ, propioris atque ferè domestici periculi insperatus metus Zivibundum avocavit. Caidanus Vltravolgensium Scytharum regulus, nuper Batei in expeditione Russicâ socius, nunc in imperio successor, cum in devictas à se nuper Russiæ provincias, ab Erdivilo principatum usurpari intellexisset; Legatione missâ, tributum sibi pendi imperat: si detrectaret, bellum denunciat. Ex inopinato nuntio, indignatio, simul ac metus, inter pacis bellique consilia incertum responsi aliquandiu Erdivilum tenuit. Tum, *seu ut spatium deliberando in subita re raperet; seu ne priùs iram, quàm arma ostenderet; dissimulato responso, per amicitiæ speciem, legationis Principem officiosè accipit.* Captus humanitate barbarus, vix sensit justò diutiùs se ad regiam detineri: nihil rebelle, aut hostile suspicatus subesse, ubi omnia ad benevolentiæ imaginem composita, ultra tributi spem, servitutis etiam fidem apud ignarum consiliorum afferebant. At Erdivilo indignum omninò visum, Principis ti-

Scythæ tributum exigentes profligati.

pis titulos armis nuper acquisitos; servitutis notâ aspergere; si ipsa dati tributi famâ precario jure à se usurpari imperium profiteretur, quod tamen hominum nemini præterquam sibi deberet. Quare totus in belli cogitationem incubuit: militem ex præsidiis detractum, ad certum diem adesse jubet: Vikindum fratrem Samogitiæ jam Ducem, Zivibundum Litvaniæ, de periculo monet: sed inprimis cum Russis transigit. *Gratulari sibi*, ajebat, *occasionem oblatam; quâ testatum palam faceret, quàm non vanus Litvanas vires, Russis contra Scythas nuper spopondisset. Se etsi in provincias armis occupatas, summo jure pro libitu uti potuisset, ita tamen hactenus imperium temperasse, ut nihil cupiditate aut irâ agendo, justi Principis desiderium potuerit Russis explere. Facturum verò modò, ut sicut hucusque Principem legitimum in se non desiderassent; ita Russum in Litvano ampliùs non requirerent: posteaquam libertatem Russiæ cariorem sibi, quàm Russis Principibus ostenderit; eo ipso studio, quo eandem contra Scythas defendendam susciperet. Si ideò ad arma eos vocaret, ut sua contra barbaros dominatio*

natio firmaretur; etsi hinc quoque nulla justa subditis cunctatio; tamen plurimum de obsequendi promptitudine demere posset, odium novæ dominationis: at sibi nihil aliud, præter libertatem Russiæ, cordi esse, vel inde Russi intelligerent; quòd bellum aggrederetur. Firmandi enim sui Principatus consiliis, longè oportuniora fuisse, fœdera, & (quanquam dedecore aliquo emptam) cum tam valido hoste pacem. eos enim qui regnandi tantùm libidine aguntur modicè illa macula angit, sine qua regnare non possunt. Cum his rationibus animos subditorum Erdivilus pertentasset; &, jam Russia novi Ducis auspiciis, & spe Litvanorum Samogiticorumque subsidiorum ad nomen libertatis assurgeret; jam legiones auxiliares à fratre atque avo missæ in procinctu essent: personatam hospitalitatem repentè exuit. Legatis imperiosè vocatis, tributum negat; bellum indicit, & Regulo, donorum loco, sagittas duas perferendas tradit: Legatos ab se ita dimissos, lentis itineribus ad fines deduci jubet. Caidanus è diuturniore legatorum morâ suspicatus, inermem legationem pro-

Scythis tributum petentibus Erdivilus duas sagittas mittit.

craſtinationibus eludi; ut auctoritatem armis adderet; & ad imperata, vi admotâ, perurgeret, trajicit Boryſthenem; poſitiſque ad Pripecii oſtia caſtris, plures legiones ad agrorum populationem dimittit. Erdivilus verò, cum Litvanis Samogiticiſque copiis, lecto præterea quàm expeditiſſimo ex Novogrodenſibus & Slonimenſibus milite, occultis per ſylvas itineribus ad hoſtem progreſſus, nihil de tam propinquo Litvano cogitantem, ſed minas inter & furias ob ſpretam legationem, barbarum occupat. Inprimis ſuos itinere feſſos, modicâ quiete intra ſylvas recreat: deinde quantùm tenebræ & anguſtiæ pati poterant, aciem inſtruit: ſub ipſam tandem auroram, ingenti clamore ac impetu, caſtra invadit. Circa ingreſſum caſtrorum, non pugna erat ſed cædes; è ſomno & inſolito tumultu attoniti, inermes cædebantur. Verùm ubi remotiores à periculo, terroris excutiendi ſpatium acceperunt; res eſt ad cruentam pugnam deducta. Victor denique Litvanus caſtris barbarum exegit:

git: plurimi hoſtium in prælio cæſi, ſed longè plures in fuga, aut ferro, aut Boryſthenis Pripeciique vorticibus hauſti, perierunt. Victoriæ ejus præcipuus fructus fuit, Ruſſorum erga Litvanum Principem *major ultra reverentiam benevolentia*, *atque inde conſtantior fides*. Mortuus per idem tempus Vikindus Samogitiæ Dux, hæredem Erdivilum fratrem reliquerat: ſed is, tum *quòd quemadmodum unam animam diſſecto corpori, ita unum principem diſſitis rebuspublicis ſufficere non poſſe exiſtimaret*; tum ut gratiam iis, quæ miſerat nuper, auxiliis referret, omni Samogitiæ jure Zivibundo ceſſit. Neque multò pòſt morbo è vivis abreptus eſt: vir meritò ante omnes Litvaniæ Heroes numerandus.

An. 1219. Mingailo Novogrodiæ Dux.

Erdivilo defuncto, principatum Novogrodiæ excepit Michael ſeu Mingailo: hic anteceſſoris ſucceſſibus excitatus, fortunam rebus Litvanis aſpirantem, inſigni Provinciâ adjectâ, promovit. Polocenſes Ruſſi reipublicæ ſuæ adminiſtrationem ab uno Principe ad populum tranſtulerant:

occasio illis rerum novandarum fuit bello Scythico amissi in prælio Duces legitimi. Advenæ enim Græci, sacrorum apud Russos præsides, populo persuaserant: *ne libertatem, quam hostium beneficio nacti essent, suâ ignaviâ perditum irent, sub quæsito Principe. Sequerentur potiùs magistros Græcos, ut religionum cæremoniis, ita publicæ rei gerendæ formâ. Civitatem suam ipsi administrarent; lectis è numero suo civibus: qui jus cæteris dicerent.* Triginta igitur senes, cum potestate Reipublicæ præfecti à plebe sunt: ad comitia in forum publicum æris campani sonitu convocabantur; ubi de summâ rerum, ex communi consilio, publicè decernebatur. Ad triginta vulgaria milliaria imperium civitatis jam extenderant: atque (ut *humanæ menti nihil unquam satis est*) in vicinos etiam ferro imperium proferre conati; injuriis sociorum, hostes & bellum sibi consciverunt. Proximi infestantibus patebant Mingailonis subditi: horum vexationem ut ulcisceretur, bellum parabat Mingailo; sed occupant Polocenses, priùs cum exercitu sub oppidum Horodziec

Polocensis Reip. forma.

rodziec progressi. Occurrit Mingailo: atque impotentem plebem, solâ ferè multitudine ferocem, armorum autem rudem, audacter aggressus; eodem impetu, & campo pellit, & castris exuit. Inde fugientium tergo insistens victoriam urget: ne reficiendis viribus, aut necessariis ad oppugnationem tenendam comparandis, spatium relinqueret; eodem ipso die, victorem exercitum Pólociæ muris, quo bellum omne secum hostes ex fugâ detulerant, applicat. Capta urbs deditione, pacem simul cum servitute accepit: mulctati libertate, quâ ad vicinorum injurias abusi fuerant. Non diu ejus victoriæ voluptate fruitus Mingailo, hoc ipso anno è vitâ abiit, Skirmundo & Ginvilone hæredibus relictis: quorum ille, ætatis suffragio, avitum in Novogrodenses Principatum occupavit; hic paternum in Polocenses. Crescentis ita per Russiam Litvanæ fortunæ progressus, ægrè Russorum Duces habebat. Indignabantur vectigalem nuper populum, quique præ egestate, tributi nomine quod

Polocia capitur à Litvanis.

Skirmundus Novogrodensis Litvaniæ & Ginvilo Pólociæ Duces.

Ruſſis penderet, vix apud ſe reperiret, præter agreſtia quædam opera, nunc totius Ruſſiæ imperio imminere: unde, haud dubiè, res ad vim ſpectabat. Et quidem pridem indignatio in apertum bellum prorupiſſet: niſi validior interea Polonus hoſtis, mentem & vires Ruſſorum à cogitatione Litvanæ expeditionis avertiſſet.

An. 1220. Mſciſlaus nihilominùs Romanides, qui nuper Polouciis victis in poteſtatem Scytharum venerat, è carcere regreſſus; cùm Principatum Kijovienſem, per ſuam abſentiam, à Volodimiro occupatum recuperare non poſſet: ne domi ſuæ exul & privatus agere cogeretur; Volodimiri ipſius conſilio & opibus, Litvanos Novogrodiæ poſſeſſione depellere conatus eſt. Skirmundus ut periculum maturè averteret, à Zivibundo copias petit & impetrat: neque enim Novogrodenſibus fidere audebat, quos *popularium ſuorum amor, faciles ad proditionem reddere poſſet*. Miſſus à Zivibundo Kukovoitis filius cum delectâ Litvanorum Samogitarumque manu. Iam Mſciſlaus,

Bellum Skirmundi cum Ruſſis, & victoria.

ſlaus, circa Breſtiam, agrorum populatione agreſtiumque cædibus, bello præludebat; cùm ad Skirmundi venientis famam legiones ex agris in caſtra contrahere cogitur. Ad amnem Iaſialdam magno utrinque ardore prælium commiſſum eſt: fuſus Mſciſlaus, amiſſo exercitu, è clade & campo ægrè vitam (fugâ) extulit Luceoriam. Skirmundus verò ejuſdem victoriæ impetu Pinſcum & Turoviam de Ruſſis cepit: triumpho & detractis hoſti agris lætus, Kukovoitem, militemque ejus ampliſſimis donariis honoratum remiſit Zivibundo. Iam is ſuper extremæ ſenectutis debilitatem, morbo etiam confectus extinguebatur: cùm, primùm victi hoſtis nuncio; tùm victoris filii ſpectaculo, abiturum corpore ſpiritum aliquantùm recreaſſet: vitâ functus; opportunè Principatu ceſſit filio, quem jam triumphalem viderat.

Pinſcum Litvani Ruſſis adimunt.

Kukovoitis paterno Principatu potitus, altâ ipſe pace uſus eſt, undique ferè ſociis populis cinctus. Ab Occidente Pruſſi, ab Oriente Ginvilo Dux Polocenſis frater, à meri-

An. 1221. *Kukovoitis Litvaniæ & Samogitiæ Dux.*

meridie Iatvingi, Skirmundusque Dux Novogrodensis. Solus Septentrio metu non vacabat: sed ad illius lateris securitatem satis erat, quòd Germani & Lotavi domestico in Livonia bello implicati, ad vexandam Litvaniam ocium non haberent. Quare cùm res domi securæ essent, ampliores suppetias Skirmundo in Russiam transmittebat. Balaklai, Vltravolgensium Scytharum novus regulus, fortasse ad delendam acceptæ ante aliquot annos cladis memoriam, bellum contra Skirmundum moliebatur: ne autem legitima causa defuisse videretur legatos qui tributum de Russiâ exigerent, præmisit. Skirmundus contractis quàm primùm ingentibus copiis, cùm Russos & Litvanos suos Cisvilienses, missosque à Kukovoite Vltravilienses in armis haberet, legatos lautissimo convivio accipit: post longam comessationem, abituris, nares atque auriculas singulis præcidi jubet, atque ita deformatos regulo renunciare. *Desinerent tandem Scythæ apud Litvanos de tributo agere.* Si quid juris in partem

Skirmundus Scythas profligat.

tem Russiæ, Litvano *subjectam haberent, armis illud non legationibus posthac assererent. Scirent ad id genus legationum, Litvanos alia, quàm quæ nunc dedissent, responsa habere non posse.* Exarsit ad tam insignem contumeliam impotens barbarus, & ingentibus copiis, Russiam aggressus, populationibus Koidanoviam usque pertigerat, progressurus igne ac ferro ulteriùs, nisi Skirmundus maturè exercitum objecisset. Pugnatum est acriter, fugati tandem Scythæ, ipseque regulus occisus. Skirmundus eâ victoriâ minimè contentus, exercitum ulteriùs ducit: illo præcipuè consilio, ut pluribus Russicis civitatibus à Scythico jugo liberatis, longiùs à se hostem submoveret. Neque destituit consilia eventus, Mozyrum, Starodubum, Czernichoviam, Karaczoviam, totamque planè Severiam hostili ditioni detraxit. Tum inter filios Lubartum & Pissimundum eas regiones partitus; Troynato minimo, Cisviliensis Litvaniæ Novogrodiæ & Subsylvaniæ principatum testamento attribuit. Polociæ interea imperitabat Borysus

Mozyrum & totam Severiam Litvani occupant fugatis Scythis.

Boryſſus Ginvilonides Dux Polocenſis.

ſus Ginvilonides. Firmaverat ille res ſuas non mediocriter inter finitimos, novâ affinitate, è connubio cum filia Ducis Tweriæ. Domi etiam religionis ſimilitudine multùm conciliaverat ſubditos : primus enim ille è Litvanis principibus, ſacra Chriſtiana ſuſcepit. Ne quâ verò inter agreſtes de limitibus diſcordiâ, ſe invito cum Litvanis bellum conflaretur; pactis fœderibus, Berezina fluvius, ad diſcernendam Polociam à Litvania, deſtinatus : cujus rei memoriam hucuſque conſervat, colonia tum ad ripam fluvii locata, & de auctoris nomine Boryſſovia dicta. Tentatus bello à Smolenſcenſibus & Pleſcovienſibus Ruſſis, utroſque feliciter rejecit. Polocenſibus infracta ab avo libertatis jura, in integrum reſtituit. Quod vitæ ſupererat, inter ſacella & aras acturus videbatur; ita totas opes ac ſtudium ad templa Superis exſtruenda verterat. Vlteriores conatus in ipſo ætatis flore, mors abrupit. Monumentum Chriſtianæ in eo pietatis, nunc etiam oſtenditur, ingens ſaxum, è mediis Dunæ vorticibus

An. 1225.

Livonienſes Germani à Samogitis & Litvanis funduntur.

cibus eminens, quina ☩ cruce ſignatum, cum rudi hac, ſed ſolidæ ac excultæ pietatis, inſcriptione. *Miſerere Domine mancipio tuo, Boryſſo Ginvilonis filio.* In eorundem Principum ætatem incidiſſe videtur, prima inſignis clades Livonicorum Germanorum à Litvanis & Samogitis accepta. Poſt ſubactam Livoniam; Curonibus (qui, tunc Litvani juris erant) arma intulerant : & quia religionis Chriſtianæ propagandæ ſpecie, bellum pro aliquorum cupiditate ſuſceptum erat; prætenſa cauſæ pietas, non equites modò, ſed ſacerdotes etiam ab aris ad arma contra Ethnicos evocaverat. Avigenus de Coloniâ Agrippinâ, Archiepiſcopus, ipſe non ſolùm exercitui aderat, ſed etiam cum Imperatoriâ authoritate præerat. Ex ſubitâ tempeſtate conſternatio, ingenti numero Curones, Samogitas, Litvanos excivit. Quanti enim periculi res eſſet, ad ipſa ſtatim initia totis viribus hoſtem ſurgentem non rejicere, Lotaviæ finitimæ in ſervitutem ſubactæ miſera conditio ſatis explicabat. Tantumque

 ea co-

ea cogitatio ad audaciam & fortitudinem apud imperitum vulgus valuit : ut tumultuariæ illius multitudinis cæco impetu, veteranus Chriſtianorum miles in primo congreſſu ſit oppreſſus , ipſeque Archiepiſcopus cæſus. Kukovoite circa eoſdem annos

Vtenes Litvaniæ & Samogitiæ Dux.

mortuo Principatum in Litvania vetere Vltravilienſi & Samogitiâ obtinuit Vtenes filius. Is parentis ſepulti honori ſtatuam pedeſtrem in edito ad Swientam amnem colle dedicavit : Lucus nunc ibi eſt : antiquitus inditum nomen, & ſepulti Principis memoriam retinet , Kukovoitis vulgò dictus. Multa deinde Vtenicum Livonicis

Livonienſes Cruciferi in Dobryniam evocati.

equitibus prælia: cùm iſti Samogitiam Curoniamque frequentibus incurſionibus infeſtarent , & Dunæ ripis caſtella ac præſidia imponerent.

An. 1227.

Iidem à Conrado Mazoviæ Duce & Chriſtino Culmenſi Epiſcopo in Dobryniam evocati , ut quâ felicitate Lotavos in Livonia ſubegerant ; eâdem è Dobrynia , Mazoviam & Poloniam contra Pruſſos propugnarent ; à Pruſſis & Litvanis, cum duos integros dies prælium tenuiſſet,

nuiſſet,

nuiſſet , internecione deleti ſunt : quinque tantum cladi ſuperfuere. His omni ſtationis Dobrynenſis ſpe depulſis ; occaſio Conrado data eſt ad alios Equites profeſ-

Crucigeri in Pruſſiam ex Germania à Polonis evocati.

ſionis à Livonica diverſæ , è Germania evocandos ; quos , cum vulgo , poſthac Crucigeros vocabo. Anno ſubſequente , bellum è Curoniâ in Livoniam Vtenes tranſtulit : hactenus domi tantùm Livonibus arma objicere ſoliti , hoſtiles terras invadere juſſi. Ingens è Curonibus & Sa-

Vtenes Livoniam populatur.

mogitis coactus exercitus, latiſſimè totam Livoniam populationibus peragravit. Ita hoſtem ad ſua tuenda avocatum , à Samogitiæ infeſtatione,Vtenes arcuit. In Litvania verò de nomine ſuo coloniam Vcianam excitavit , arcemque addidit : nomen oppido nunc etiam idem eſt , ſed arcis in propinquo olim ſitæ vix veſtigia. Vlteriori

Troynati cum Scythis bellum & victoria.

cis Viliam Litvaniæ pro Skirmundo parente nuper vitâ functo Troynatus præerat. Sed vix dum inchoati principatus auſpicia, bellum acre excepit. Kurdas Scytharum regulus , Balaklai parentis , ſupe-

 riore

riore expeditione à Litvanis in acie occisi, seu corrigere seu ulcisci fortunam, ardebat. Vt certior porrò vindicta foret, summa ope bellum parabat: majore itaque, quàm unquam factum esset, è tota Scythia lecto exercitu, Vltravolgenses, Nahayscenses, Casanenses, Crimenses, ingenti numero contraxit copias. Neque Troynatus ad arma segnior, parentis & animum & successum æmulatur. *Accipere se*, ajebat, *omen, quòd filios eadem causa rursus in campum educeret, quæ nuper parentes secum commisisset. Spem enim inde affulgere, futurum, ut qui regnorum & odiorum avitorum hæredes essent, forent etiam eventuum.* Inprimis autem Litvanum militem recenset, tum fratres Lubartum & Pissimundum cum auxiliis è Russia Septentrionali evocat. Duces etiam Russos ad bellum contra communem hostem pertraxit. Suentoslaum Kijoviensem, Simeonem Drucensem, Davidem Luceoriensem & Wolyniensem. Vtenem quoque de periculo monuit, sed is proprio cum Livonibus implicatus bello, aut parum aut nihil in præsi-

præsidium contulit. Contractis in unum copiis dubius diu hæsit Troynatus, quò duceret. Scythicæ legiones variè sparsæ; Russiam latè vastabant: hinc ancipiti periculo animus consilii incertus in diversa lacerabatur. *Divideret copias? sed vires attenuabantur, quæ etiam unitæ, tam valido hosti vix pares futuræ essent. Toto exercitu contrà aliquod prædatorum agmen iret? sed multiplex periculum, æquali necessitate difficilem reddebat electionem. Duceret contra ipsa prætoriana castra? sed quomodo inultus transiret hostem, intra ipsa planè viscera, tam securè grassantem.* Obdurato tandem animo ad ignes quos undique è villarum oppidorumque incendiis tolli videbat; antequam à populatione agrorum hostes revocarentur, totis viribus ipsa castra adoriri constituit. *In radice erat præscindenda simul tota arbor: ne dividendo, augeretur labor & periculum.* Devitatis itaque illis legionibus, quæ per agros circumvolitabant, occulto itinere, quàm celerrimo agmine ad ipsa hostilia castra pervenit. Consederat Kurdas in Mozyrensibus agris ad amnem Okuniow-

niowkam : inde legionibus aliquot prædatum dimiſſis, præcipuum exercitus robur in caſtris habebat. Monitus in propinquo viſa hoſtium ſigna, ne caſtris ſe continendo, bellum non inferre, ſed propulſare videretur, militem etſi abſentibus legionibus valdè acciſum, juvenili ferociâ in campum educit. Simul acies in conſpectum & in pugnam coiverunt; tantus utrinque ardor. Hinc vindictæ libido, prædæque cupiditas: hinc libertatis patriæque ſtudium, obſtinaverat in omnia animos. Acerrima proindè ac diuturna fuit dimicatio: & quidem quamdiu cohærebat ſibi Scythica acies, tamdiu victoria neutrò inclinaverat: at ubi à Litvano rupta, fecit vitium; turbatis ordinibus facilè in fugam effuſa eſt. Parum tamen præſidii victis à fuga erat, quòd fluvii à tergo objecti aut arcerent, aut vorticibus involverent fugientes. Occubuerunt eo prælio Drucius Dux Michael, Andreas Luceorienſis princeps, & Piſimundus ac Lubartus fratres Troynati. Quare Troynatus ne quid in Septentrionali

nali parte Ruſſiæ à morte Ducum novaretur, Scythici belli reliquias & Principatus adminiſtrationem filio Algimundo committit: ipſe cum modicis copiis eò feſtinat, initiaque tumultuum occupat, & cæſorum fratrum poſſeſſiones hæreditatis jure Principatui adjungit. Regreſſus inde in Litvaniam, vitâ exceſſit. Nec Algimundo diuturna dominatio, etſi quietior quàm Troynato. Semina ſequentis belli Ruſſici jecerat, cum Davidis Luceoriæ Ducis motas de finibus Subſylvaniæ controverſias, armis compreſſiſſet: ſed exemptus maturè vivis, ſimul cum Principatu, imminentis belli negotium Ringoldo tranſcripſit. Neque impar erat incumbenti moli Ringoldus. Vtene enim Litvaniæ ac Subſylvaniæ Duce per idem tempus mortuo, Suintorogo principi propè infanti tutor lectus; provinciis, quæ tutelæ nomine acceſſerant, potentiam inſigniter auxerat. Polociam interea Baſilius Rechuoldus obtinebat. Diuturno ille ſeſe bello intricaverat; cùm agrorum partem, quam Pleſcovienſes

Algimundus Dux Novogrodenſis Litvaniæ.

Ringoldus ejus ſucceſſor.

Baſilius Rechuoldus Dux Polocenſis Pleſcoviam expugnat.

 de

de Polocensibus ceperant, armis repetit. Tandem hostes vicit, agros recepit, urbi captæ tributum in annos imperavit. Filia ejus Praxedis (Poroscovia vulgò) à Russis inter Divas Virgines, religiosè colitur: nam posteaquam inter Vestales ad templum Salvatoris vulgò Spar aliquantum Polociæ egisset; fama est, Romanam ab ea peregrinationem susceptam, & in urbe septennio sanctè exacto mortuam, tunc magnæ virtutis opinionem reliquisse: deinceps verò ad annum 1273 à Gregorio X Divarum numero additam. Filius verò Hlebus parentis successor, ætate immatura vitâ functus, cùm prolem nullam reliquisset, plenam Polocensibus libertatem fecit. Ita Respublica eorum rursus ad populum translata est: & Litvanorum Principum dominio expedita. Kijoviam interim, cùm propinquâ, Russiâ, Scythico imperio paruisse, Russi ipsi sunt auctores: qui sub Scytha Principe Kijoviæ dominationem obtinente, plurium Russiæ Ducum à Christianis religionibus defectionem, atque

Polocensibus libertas restituta.

An. 1235.

que Michaelis Chernichoviensium Principis cum familiari aulico Theodoro, ob fidei in Christum constantiam, necati cædem circa ea tempora consignarunt. At mihi certius est; longè ante ea accidisse, quia Bateio Scytharum Principe imperante acta esse scribuntur.

LIBER IV,

De rebus Litvanorum obtinente rursus Principatum familiâ Palæmonis.

PRimus est Litvanorum Principum Ringoldus, Gimbuto Palæmonis nepote genitus, qui *Magni Ducis* titulos assumpsit. Non vanum nomen, si Provinciarum quas obtinebat amplitudinem spectes: imò nescias, an non Principatus magnitudine minus? Ingentem novi tituli invidiam, Litvaniæ utriusque, Samogitiæ, Curoniæ, Subsylvaniæ, Novogrodiæ, Mozyriæ, ac Pinsci, Severiæ, Czernichoviæ, possessione magis, quàm possidendi jure implebat. Legitimus enim hæres Suintorogus tutelæ specie

Ringoldus Magnus Dux Litvaniæ, Samogit. Novogrod. Subsylvan. Czernichoviæ, Severiæ.

ſpecie ad privatam ferè vitam redactus, cogebatur debitum ſibi principatum expectare, quamdiu fraudis & injuriæ hæredes ex Ringoldo ſupereſſent. Ringoldus certè, quòd diu diſſimulare non poterat, maluit maturè palam profiteri: poſt interverſam privatim pupilli hæreditatem, titulos etiam in ſe publicè tranſtulit: quòd nec opum nec honorum cupiditati temperare, impotens ſui animus, noſſet. Facinus hoc principis, domi, nec probari permittebat tenerior ex pupilli injuria affectus, nec omninò reprobari, ſurgentis ex injuria privata Reipublicæ ſpecies: *hanc, cùm incauti cives amare cœperunt, facinus Principis diſplicere deſiit.* Apparebat enim tùm matura atque virilis Principatus conſtitutio, gerendis rebus planè valida: poſteaquam ex tot provinciis ſub communi Principe, una Reſpublica coaluit. Magis proinde apud populum, quàm apud Senatum cauſa Principis odio laborabat: *ille juſti magis anxius ſimplexque arbiter, omnia damnabat quæ iniqua; huic jura privata ad publicum commodum nimiùm inflectenti, fas frangere non omninò turpè videbatur.* Res tota quemadmodum domi pro varia in virtutem vel rempublicam inclinatione ancipites affectus laudeſque aut vituperia reperit: ita foris certum hoſtem excivit. Reſiduæ è præteritis ſimultatibus iræ, averſarumque à Ruſſia provinciarum memoria & dolor, Ruſſos Litvanorum fortunæ infeſtos pridem habebat: plùs tamen hactenus valuerat metus, quàm odium: hinc tamdiu ad profeſſas inimicitias non deſcendebatur. Vſurpatorum tandem à Ringoldo M. Ducis titulorum invidia apertum bellum accendit. Suentoſlaus Kijoviæ Dux (quòd è vetere Ruſſicæ Reipublicæ formâ, is cum ſuprema poteſtate univerſæ Ruſſiæ præeſſet, qui Kijoviæ rerum potiretur) ad ſe inprimis pertinere ratus Ringoldi auſibus ire obviam, & ipſe ſummâ vi bellum moliri, & alios Duces in conſiliorum factique ſocietatem omni arte pertrahere. *Indignum*, ajebat, *ſub Ruſſorum Principum conſpectu, Ethnicâ Litvanorum ſervitute, nobiliſſimas Ruſſiæ Provincias miſerè premi: & ta-*

Ruſſi Ringoldo bellum movent Duce Suentoſlao Kijovienſium Principe.

& tamen nec barbarorum potentiam plus, quàm invidiam, apud hostes reperire; nec Christianorum calamitates, aliquid ultra querelas, apud socios & populares. Quod si usu ipso jam tolerabile fortasse redditum, (etsi immeritò) quispiam credere posset: illud verò quomodo ferendum? Barbarum eò audaciæ progredi, ut universæ Russiæ imperium vel cogitatione ipsâ usurpet. Quid animo constitutum ægrè celet, satis ab invito proditum esse fastuosi tituli insolentiâ. Quid enim dubitarent eum tituli sui magnitudinem reliquis Russiæ ditionibus implere tentaturum, qui eundem, ab occupato patrimonio pupilli suæ fidei commissi, nuper inchoasset? Propterea illum certè tam ambitiosè Magni Ducis nomen invasisse, ut occupandæ de integro Russiæ, & sibi & posteris necessitatem faceret: nisi semel assumptos titulos, aut turpiter deserere, aut re vacuos stultè conservare mallent. Certè apud viros suarum rerum atque honesti non omninò incurios, omnia ea satis momenti habere, & ad fœdera (si tamen aliqua supersunt, longè ante à Litvano non violata) infringenda, & ad bellum extremis etiam fortunarum impendiis pertinacissimè urgendum. Quidquid verò alii, de ea re, apud se constituerint; sibi obstinatum jam esse; arma palàm huic Russiæ hosti inferre. Prolatam à Suentoslao belli facem, absque cunctatione plures secuti: inter primos Leo Volodimiriensis, & Demetrius Drucensis, Duces. Kurdas quoque Scytharum Vltravolgensium regulus ex nuperæ cladis recordatione, suoptè ingenio in ultionem pronus, ut privata damna minoribus impendiis ulcisceretur, aliquot militum millia in subsidium Russis misit: *quòd tamen meminisset, ex æquo hostem esse, eum quem juvabat, atque eum quem aggrediebatur, destinato consilio tantum præsidiarii militis dedit, quantum ad Litvanorum perniciem sufficeret, neque Russorum potentiam aleret.* Russicis itaque Scythicisque copiis succinctus Suentoslaus, infesta signa provinciis Litvaniæ intulit; atque ut omne bellum ad ipsam Principatus regiam redigeret, Novogrodecum versus tendebat. Ex itinere latissimè agros miles populatus, quâ Nemeno defluente non arcebatur, omnia cædibus ac ignibus repleverat. Ad Mohilnam primùm Litvano exercitu objecto, agrorum vastationes stitit

ſtitit Ringoldus. Atque ut temporis illius ratio (ubi non tam aſtu aut ingenio quàm viribus de ſumma rei tranſigebatur) non ferebat longas in bellis moras: vix caſtra coierant, miles ad pugnam utrinque in campum eodem die eductus eſt. Inde ingens Ruſſorum acies; Scythico equite per alas firmata: hinc mediocres Litvanorum copiæ; in præſidio verò Ruſſicarum legionum fides & arma, quia contra populares ſuos, non ex vano ſuſpecta. Pugnatum eſt pertinacibus utrinque animis in veſperum: jam nox, inchoatum cum ſole pænè prælium, dubio adhuc Marte, diremptura incumbebat; cùm veteranus Ringoldi miles extremâ indignatione actus, totis ſimul viribus ad victoriam adnititur, & hoſtem veſtigio movet; motam ſemel loco aciem, facilè deinde in fugam egit. Duces belli alii elapſos, alii promiſcuâ cæde abſumptos in campo manſiſſe tradunt. Exercitu fuſo, caſtra victori militi in prædam permiſſa: nec amplius Ringoldus vel iram vel fortunam in victos extendere voluit, pace conten-

Funduntur Ruſſi à Ringoldo.

contentus. Videbat enim Ruſſos, ex recenti ſtrage quietis magis patientes, non facilè iterum arma invidiæ aut odio permiſſuros. Victoriam Ruſſicam exceperunt motus Livonici: irrumpentes in Samogitiam Equites Enſiferi aliquoties repreſſi; *An.* 1238. atque ut defuiſſent alii ex voto eventus; ſatis erat nihil de Samogitia ad validum jam tum hoſtem perdidiſſe. Inſuper Livonicis annalibus proditum reperio: exercitum ingentem Equitum cum auxiliis Germanicis fuſum: Duces belli Volquinum Magiſtrum, Baronem à Dannenberch, Equitem Germanum Haſſeldorf militari gloriâ celeberrimum, cum quadraginta octo Ordinis fratribus, cæſos. Poſt rempublicam inter arma fortiter adminiſtratam, non diu pace partâ domi frui potuit Ringoldus, Novogrodeci morbo extinctus. Suintorogo hinc paterni principatus repetendi ſpes affulgere viſa: neque deerant rebus novandis apta partium ſtudia; ſi Dux cæpiſſet. Sed juvenis ætatis vel ingenii mollioris vitio, necdum audendo par, timi-

 diora

diora consilia secutus est : concessâ nuper in possessionem Samogitiâ, contentus ; lite, de Litvania, abstinuit.

Mendogus Primus & ultimus Litvanorum Rex. Mendogus itaque, cui apud alios Mendolfo nomen, suffectus Ringoldo, ipsa initia principatus, quem parens pupilli nepotis injuriâ pepererat, cædibus ac sanguine cognatorum funestavit. Ita, *crescente potentiâ Principum, succrescebant sensim & scelera*; per *An. 1240.* quæ dominandi cupiditas ampliùs se promovere conabatur. Quoscunque è propinquis infestos suis rebus suspicio obtrusisset; ferro aut veneno submovit. Nepotum tamen cæde abstinuit: non quidem, quòd minùs suspectos haberet; sed quòd ad tanti sceleris destinationem, mens nondum tragicis facinoribus satis obfirmata, ipsâ naturæ Verecundiâ, trepidaret. Tres erant juvenes, belli pacisque artibus impigri, & agendo maturi: Arduidus, Vikundus, & Cieuciwilo aut Theophilus. Hos ut, honoris specie longiùs à curia ablegatos, vel suis fraudibus faciliores haberet, vel à rerum novandarum occasionibus amoveret; ad

ad exercitum proficisci jubet ; & finitimorum infestationibus juvenilia studia bellis assuefacere. *Incautus (ut solent, nimiùm suspicaces)* Princeps ; *fortunam suam quâ præcipuè firmare voluit, hac prope prodidit.* Iuvenes enim re feliciter inter hostes confectâ, insignium in Russia civitatum potiti, cùm jus imperandi degustassent, patrui jugum non tulerunt. Druciam & Smolensciæ partem Arduidus, Vitepsciam Vikundus, Polociam Theophilus obtinebant: ut subditos Christianos magis sibi conciliatos redderent, sacra Christiana publicè professi. Hæc Mendogo belli movendi causa : & primi inter Litvanos civilis dissidii, atque propè amissæ Reipublicæ semina. Nam juvenes, paucarum civitatum opibus, non satis contra validum hostem securi ; cùm finitimorum auxilia implorant, patruum oppugnando, vix patriam non perdiderunt. Vikundus Rigam missus, Livoniensium ac Prussicorum Equitum animos, suo fratrumque nomine solicitabat. Auxilii lati præmium spondebatur, Iatwiezyæ & Sa- *Mendogi bellum cum Nepotibus & Russis.*

 mogi-

mogitiæ portio media, perpetuo jure Equitum ordini transſcribenda. Quòd ſi eventus felix conatum promoviſſet, cæſo aut depulſo Litvaniâ Mendogo, quidquid in bellum impenſum eſſet, ex Litvaniæ ærario refundendum promittebatur. Primum belli impetum Mendogus in Theophilum verterat, quem inprimis finium propinquitas objiciebat. Oppugnata aliquoties Polocia: ſed præſidium è Ruſſis ac Livonienſi milite, & urbi tuendæ, & hoſti, acciſis viribus, repellendo, ſuffecit. Neque poterat diutiùs obſidionem Mendogus urgere exercitum alio contra novum hoſtem ducere coactus: diverſâ enim parte conflatum expectatione majus periculum domum revocabat. Daniel Romanovicius Dux Kijoviæ, Baſilius Haliciæ, aliique Ruſſi Duces, honeſto ad famam titulo, exules Principes juvandi, re verâ Ruſſicarum ditionum recuperandarum ſpe, grave Litvanis bellum intulerant. Ad gentem Ethnicam, Chriſtianis regnis quibus undique cincta eſſet, plurimùm infeſtam, com-

communi ope excidendam paſſim currebatur: cauſæ pietas Polonos etiam ad arma exciviſſet, niſi eos aliæ curæ domi quietos tenuiſſent. Scythicarum enim infeſtationum metu, ſi miles extra fines regni mitteretur, non è republica fore Boleſlao Pudico viſum. Ancipiti planè periculo, & vix unquam majore res Litvana conflictata, conſpirantibus ab omni parte hoſtibus: quibus, ſi Polonus acceſſiſſet; neſcio an non fatalis is Reipublicæ ictus fuiſſet. Iam victor Ruſſus Slonimum, Wolkoviſcum, Mſciboviam ſecundo curſu ceperat: & vaſtatis latè agris, trepidationem Novogrodecum versùs urgebat. Mendogus ad ſubitam vim, nec conſilio, nec viribus, ſatis comparatus; ut *impetu primo quacunque arte retardato, ſpatium providendi daretur; legatos mittit:* pacem ſupplex petit; obſidem fœderum, Volſtinicum ſeu Voyſielcum filium, legatis adjungit. Ferox recentibus ſucceſſibus Daniel, pacis nomen non ferebat. Repulſa itaque eſt legatio. *Non propterea*, ajebat, *ſe cum milite Litvaniam ingreſ-* *ſum,*

Ruſſi Litvaniam invadunt.

Legatos Litvanorum rejiciunt.

ſum, ut armatus legatos audiret. Fruſtra legationibus tempus extrahi, cùm copiæ ſub ſignis ferro rem tranſigerent. Pacem quam hoſtis peteret, non ex ipſius ſubmiſſione, ſed ex ulteriore belli progreſſu ſe penſaturum. Subſiſterent igitur Volkoviſci: cùm victorem exercitum illac in hyberna reducturus eſſet: tum, ſi quid adhuc integrum de Ruſſia Mendogo ſuperfuerit; de eo, per otium à bello, commodiùs cum Legatis acturum. Remiſſis ergo Volkoviſcum legatis, obſide Woyſielko Slonimum relegato, infeſto exercitu Novogrodecum versùs progreſſus eſt. Regionem univerſam fœdè populatus, pluribuſque locis in poteſtatem redactis, ab urbis ipſius obſidione, quam ſpe longiorem futuram præviderat, hyeme imminente abſtinuit. Tum primùm legati auditi, & fœdera icta conditionibus, quas maximè tolerare poterat Mendogus, magnâ Ruſſiæ portione mulctatus. Compoſitis in eum modum Ruſſiæ rebus, quas ſatis ſecuras reddebant novi contra Danielem Kijoviæ Ducem à Scythis motus, angebat animum Litvaniæ cura. Theophilus Nepos, poſt defenſam Polo-

Mendogi fœdera cum Ruſſis.

An. 1245.

Polociam, Archiepiſcopi Rigenſis & Magiſtri Livoniæ opibus, res ſuas validè firmaverat: quorum gratiâ, à ritu Græco nuper Polociæ ſuſcepto, ad Romanam religionem tranſiit: ab eo facto, facillimam deinceps & fidem & benevolentiam apud Equites Livonicos habuit. Poſt mutuas inter Livoniæ Magiſtrum Theodorum, & Mendogum in Curonia clades, Theophilus Livonicis auxiliis Polocenſibuſque copiis inſtructus, bello patruum in ipſa Litvaniâ petiit: ubi, cùm nullus miles opponeretur, effuſo liberè in prædas exercitu, per univerſam Litvaniam ferro ac igni bacchatus, ingentem prædam abſque prælio aut periculo Polociam eduxit. Similes agrorum vaſtationes pari ſucceſſu deinde repetiit. In Semigallia quoque Samogitas auxilia ei provinciæ ferentes, à Magiſtro Equitum inſignem cladem accepiſſe, è Livonicis commentariis habetur. Tandem cùm frequens fama eſſet, majore mole Litvanicam expeditionem Livonicis armis ab Theophilo inſtaurari, Mendo-

Bella ejuſdem, cum Livonibus.

An. 1247.

An. 1250.

Mendogus ampliſſimis donis promiſſiſque Magiſtrum Livoniæ, Andream de Stukland à propoſito bello deducere conatus eſt. At Magiſter *omnem pacis mentionem reſpuere: nefas ducere, amicitias cum Ethnicis; ad quos bello petendos, Sacramento ſui tenerentur. Si Princeps Litvaniæ, Chriſtianis ſacris initiaretur, fœderum paciſcendorum rationem non omninò difficilem fore. Suſciperet quamprimùm religionem Chriſtianam: donationem provinciarum à Nepotibus factam, ratam haberet, atque jus, ſi quod in eaſdem provincias haberet, Ordini Equitum conſignaret. Se verò perfecturum, ut Mendogo inter Principes Chriſtianos ritè annumerato, tituli regales à ſummo Pontifice tribuerentur. Ita pacem conſtantem inter Equites, & Litvaniam firmari poſſe.* Duræ nimis Mendogo conditiones viſæ. *Poſt aliquot agros latrocinii more direptos, ante tentatam juſti prælii aleam, ad avitas religiones ejurandas ſe cogi. Quid verò iſtos imperaturos, ſi bello viciſſent? Satis adhuc Litvano ad arma virium eſſe. Quid igitur tanquam perditis rebus tam audacter imperarent ei, quem necdum acie experti eſſent? Nimis apertè ſano ſibi illudi, cùm tituli ampliarentur, provinciæ detraherentur.* Sed quia vis hoſti in promptu erat, indignatus fortunæ, ceſſit tempori: neque dolore amittendarum provinciarum adduci potuit, ut de ſumma rei prælio decerneret. Legatis igitur præſentibus Chriſtiana ſacra palàm ſuſcepit: Iatwiezyæ, Samogitiæ, Curoniæ, & Veizenſium agrorum donationem, traditis de more literis perpetuam eſſe voluit. Miſſi deinde Romam, qui Principis ſui nomine, ſupremo Chriſtianorum Pontifici ſolitam venerationem dependerent, & regios titulos ac diadema peterent. Accepta legatio perhonorificè ab Innocentio IV: miſſum diadema per Heindericum (ſeu Henricum) Armacanum, poſtea Culmenſem, Præſulem; qui ſimul cum Archiepiſcopo Rigenſi, ſacro fonte cum ſexcentis primorum ablutum, in campis Novogrodenſibus, (neque enim Novogrodeci tam amplæ ædes haberi poterant) ſolennibus cærimoniis novum Regem inauguravit. Sacrorum per Litvaniam Pontifex deſignatus Vitus, religioſum inſtitutum, ordinem-

Mendogus fœdera init cum Livonibus, baptizatur, & Rex Litvaniæ renunciatur.

An. 1252.

que D. Dominici, ſub S. Hyacinthi magiſterio ſecutus. Omnibus ex ordine procuratis, jam in tuto pax putabatur: ſubſecutæ enim quietis exterior ſpecies, pacis ſecuritate, plurimùm finitimis imponebat. At Mendogus ſacra quidem metu nuper ſuſcepta, palàm præſeferre: privatis verò ad Ethnicas aras ſacrificiis impiè eadem violare. Vbi deinde periculo abeunte, timor magis reſediſſet, dolore actorum acriùs urgeri. ſub regio titulo principatus undique mancus, hinc Ruſſiâ detracta, inde Samogitiâ, Curoniâ, Iatwieziâ amiſſis, ſeipſo minor, vehementiùs diſplicere. quidquid nuper metu aut ſimulatione egiſſet, penitus odiſſe. Ceteris affectibus tandem in furorem degenerantibus, parùm ad inſaniam erat Chriſtianam religionem palàm ejurare: ſanguine ac cædibus actorum memoriam obliterare, vaſtitatem latè per finitimos circumferre, ferro ac igne quaquaverſùm in Chriſtianos graſſari, ardebat. Sed quò primùm repentinus ſeſe exereret, nondum conſtituerat: viſum tantiſper iram

An. 1254. *Primus in Litvania Epiſcopus, Vitus.*

Mendogus religionem Chriſtianam deſerit & Chriſtianas provincias infeſtat.

in

in Ruſſos & Livones diſſimulare. Primas *An. 1255.* effudit furias in Poloniam: Lublinenſem tractum populationibus peragravit: urbem ipſam arcemque captam diruit ac exuſſit, onuſtum prædâ militem domum reduxit. Exiguâ deinde quiete interjectâ, triginta millium exercitu Maſoviam aggreſſus, univerſam crudeliter vaſtavit, & Plociam arcem exuſſit. Prædâ ingenti captiviſque inde in Litvaniam cum exiguo equitum præſidio dimiſſis, infeſta ſigna in propinquam Pruſſiam ex inſperato intulit. Arcibus lociſque munitioribus Equites Crucigeri ſeſe continebant: ingentes enim copiæ Litvanæ, repentè per agros effuſæ, omnem cogendi in caſtra exercitus uſum ademerant. Pagi ac oppida nuper exædificata flammis abſumebantur: in templa potiſſimum, & ſacrorum præſides barbarè ſæviebatur, nulluſque omninò è Chriſtianis captivus ad vitam ſervabatur: quòd Rex hoc genus prædæ execratus, palàm edixiſſet, ne quis Chriſtiano vitam relinqueret. His Pruſſorum ſtragibus irritatam non exſatu-

 ratam

ratam Christiani sanguinis rabiem, sensim in Livones exacuebat: quorum armis vexatam nuper à Nepotibus Litvaniam meminerat. Aliquot ergo pòst annis biparti-
An. 1260.
An. 1261.
to agmine invadit Curoniam: ubi paulò ante Magistrum Livoniæ Borhardum, cum paucis iter visitandis proximis arcibus ingressum, Samogitæ ex insidiis propè oppresserant, ni ferro viam fugæ per confertos aperuisset. Ad hostem ancipiti bello distinendum, quatuor expedita millia Mendogus vastationibus destinat: reliquas copias Karszovini arcis in confinio Prussiæ oppugnationi admovet. Sustinuit diu & oppugnationes & obsidionem, impositum loco præsidium: *spes subsidiorum tuebatur constantiam.* Nam Magister Livoniæ Burgardus Horsnusen, cum exercitu è Prussia, Livonia, & Danicis auxiliis conflato, propediem affuturus erat. Festinanti interim in hostem Magistro, Curones prædationibus vexati nunciant, Litvanam legionem haud procul inde abesse, prædâ & captivis impeditam. Opem supplices implorant: se etiam magno numero adfuturos in armis spondent, modò spes à Magistro fieret, fore ut conjuges liberique, Litvanæ captivitati erepti, suis ex fide redderentur. Responsum est à Crucigeris: *aliis se legibus militiam ducere. Prædam omnem de hoste captam, victorum esse debere. Si quid inter ipsam hostilium castrorum direptionem de propriis rebus fortuna Curonibus obtulisset; non gravatè se, id apud eosdem relicturos. Cætera omnia, quæ apud hostem essent, victori militi cedere debere, scirent.* Aspera hæc responsio, *ex afflictæ jam conditionis tolerantiâ affectuum impotentes barbaros, facilè ad indignationem perpulit.* Secessione itaque factâ partes Christianas destituunt; atque inhumanitatis odio; inimicitiarum ac injuriarum acceptarum immemores, hosti sese conjungunt. Pugnatum deinde auctis hinc, imminutis illinc viribus: atque ea pugna Livonicus exercitus fædè profligatus est. Magister ipse Livoniæ & Marschalcus Prussiæ Henricus Botel cum centum quinquaginta Equitibus Ordinis, vulgò Fratribus, occubuerunt: cæsorum è promiscuo milite ca-

Curones, vulgò Curlandi, ad Litvanos à Crucigeris deficiunt.

te capitum multitudo non est sub numero. Insignem ad memoriam eventum eo prælio contigisse traditur. Pulsa loco Litvanicorum equitum cohors in fugam sese conjecerat : cùm ultimum ex ea cohorte ordinem Gerebrardus Saxo Eques adeptus, caput unius gladio dejecisset ; truncum cadaver ad plura stadia in effuso cursu immotum, neque fugientium ordinem, neque equum deseruit. Exustis deinde in Curonia, Karszovino atque Heisburgo arcibus ; exercitus in Samogitiam, mox in Prussiam ductus. Ibi post Sambienses agros pervastatos, Regiomontum urbs à Bohemorum Rege Ottacaro non multò antè condita, obsidione cincta. Sed quòd selecti militis præsidio teneretur ; infeliciter tentatâ oppugnatione, non levis clades accepta est : amissi fortissimi quique, qui per pontem Pregelo fluvio impositum, pertinacius se contra adversa tela, portæ urbanæ inferebant. Ne tamen recuperatâ per eam expeditionem Samogitiâ & Curoniâ vastatâ Sambiâ, frustra Prussiam tentasse

tasse Mendogus videretur, per universam provinciam popularium animos ad defectionem solicitavit ; submissisque auxiliis Samogiticis, conflavit post aliquot annos intra Prussiam bellum. Ita Crucigeris domestico bello implicatis ulciscendi ratio adempta. Electis enim inter se Ducibus, religionem Christianam Prussi ejurarunt, atque condicto, ante ferias D. Matthæi, die, per universam provinciam templa diruerunt ; sacrorum præsides, quos nancisci poterant, tormentis confecerunt ; nihil omninò, quod ex sacris Christianis, furori repentino ad injuriam patere poterat, non profanatum reliquerunt. Digna proinde Christianis principibus res visa, ut collatâ in commune ope, ferocia barbarorum reprimeretur. Auxilia magnâ mole è Germaniâ potissimum contracta ; miles probè armatus, Duces bello experti : nihil ad excidium colonorum Prussiæ ac Samogitiæ, desiderari videbatur. Ergo ut per Nactenses agros hostilem terram ingressi sunt, sedem belli inter ipsa viscera fixuri, castris locum

Prussi à religione Christiana & à Crucigeris deficiunt.

locum media in Prussia capiunt vexando undequaque hosti opportunum. Permunitis ibi tumultuarii operis vallo & fossa castris, ad impedimentorum custodiam paucas cohortes reliquerunt, totis ipsi copiis contra hostem, quem castris quoque sese continere rumor erat, profecti. Barbari de viribus & consiliis hostium per speculatores moniti, verebantur primam armati militis audaciam, præsertim quòd suis armorum genus & pugnæ ratio levis in usu esset. Aliquâ ergo victoriâ prima gaudia hostibus præripienda atque ita feroces spiritus atterendos censent: *remissiorem eorum impetum futurum, si ante pugnam aliquo adverso eventu timere priùs, quàm audere didicissent.* Quare ne in venientem ferociter contra se hostem fortuitò incurrerent, flexo ad partem notis sibi per sylvas callibus itinere, castra quibus exiguum in præsidio militem sciebant, magno impetu adoriuntur. Capta ea primo insultu, præsidiumque cæsum. A præda jussus sibi temperare miles, & quamdiu ab illo successu erectior manebat

Christiani à Prussis Ethnicis profligati.

nebat

nebat ad victoriam animus, cruentis adhuc gladiis, ardenteque spiritu in hostem ire, ubi & plus belli esset, & summa victoriæ. Vt primùm signa imminentium à tergo barbarorum, in quos à fronte Germani intenti erant, in conspectum venerunt, ex insperato illo eventu castrorum captorum suspicio, atque hinc trepidatio: tum, collatis signis, atrox prælium. Pertinacia pugnantium in aliquot horas dubiam utrinque victoriæ spem sustinuit: tandem Christiani profligati. Nobilissimus quisque aut captus, aut cæsus. E præcipuis captivis sorte lectus Hirchasus nobilis Magdeburgensis, qui inter triumphos, barbaro ritu ad Deorum venerationem equo insidens armatus, vivus exustus est. Miserabili huic fato clementiâ aliquorum, quos ante amicè coluerat, bis exemptus fuerat: cùm tertiò tandem eadem sors cecidisset, respuit vitam quam barbaræ miserationi deberet. Alter exercitus Germanicus duce, Comite Barboigiensi, Sambiam & Samogitiæ confinia populabatur: hic quoque à

Prussis

Pruſſis oppreſſus eſt, ipſis D. Agnetis feriis: Dux ipſe in poteſtatem hoſtium amiſſo exercitu venit. Harum victoriarum ſucceſſu Helzberga, Krutzburgum, Regiomontum, Bartenſteinium arces atque oppida Crucigeris ſunt adempta. Nec Livonia interim à bello immunis erat; affligebatur aſſiduo per legatos Mendogi: pu-
An. 1262. gnatum quoque ibi eſt ad Lenuardum arcem Dunæ ripis imminentem quo eventu; proditum non reperio. Mendogus ipſe ut expeditior in alios eſſet, fœdera cum Ruſſis inſtauravit; per quæ ſocietas armorum contra Polonos inter Ruſſos & Litvanos conſtituta. Eodem ſtatim anno ad expeditionem Mazoviticam Suarmirus Ducis Kijoviæ nepos, Mendogo ſe comitem adjunxit. Mendogus auxiliis Ruſſicis auctus, occultis per ingentes ſylvas itineribus, ſilentique agmine in Mazoviam inſperatus penetrat: Semovitum Ducem filiumque ejus Conradum per æſtivos calores ſecurè in Iazdovia villa cum univerſo comitatu agentem opprimit. Ceſſerat ex ſorte captivus

Mazovia à Litvanis vaſtatur.

vus Semovitus Suarmiro, Conradus Mendogo: atque hic quidem à Litvano liberaliter habitus, numerato à ſuis lytro, principatui paterno reſtitutus eſt; at Semovitus miſerè interiit, ſtatim à Ruſſo barbarè trucidatus. Inde legiones ad prædam vaſtationemque agrorum dimiſſæ. Amiſſis Ducibus Mazovitæ, non tam unius alicujus imperio aut conſilio, quàm tumultu ipſo, ut in ſubitis evenit, agreſtes ac nobiles in unum collecti, vim hoſtium ſiſtere ſunt conati: ſed multitudini ceſſerunt, victi ac deleti. Fœdior deinde vaſtatio, totâ Mazoviâ & magna Cujaviæ parte ſubſecuta: præda atque exercitus, abſque damno, domum reductus. Anno ſubſequente Mendogus per hyemem Livoniam infeſtavit: 4 Non. Februarii Parnaviam captam *An.* 1263.
diruit, & ad Dunamundam cum hoſte conflixit. Æſtate deinde proximâ rurſus militem Mazoviæ immiſit: hic cum nec hoſtem ad pugnam elicere poſſet, neque ex præteritis populationibus aliquid in ea provincia ſupereſſet, Viſtulam trajecit. In-

tacti fuerunt hactenus Lovicienses agri; ingens proinde ex illis præda abacta, reliquis igni aut ferro absumptis. Gravis omnino ea tempestas toties rediens non Mazovitis modò, sed & Polonis, esse cæperat. *Diviso in plures Principes* Poloniæ *regno, difficilis concordia* erat: hinc Litvanorum in propinquo potentia crescens, magis formidabilis. Neque facilè res Christianorum respirassent, nisi surgentem Ethnicorum fortunam domesticæ factiones abrupissent. Obierat per idem tempus Mendogo conjunx: ad ordinandam muliebrem familiam, & procuranda defunctæ justa, evocata in curiam aderat Doumandi Zanalsceni Ducis uxor, Reginæ soror. Rex jure hospitii ad flagitium per vim abusus, violatâ fæminæ pudicitiâ in conjugium eandem retinuit. Impatiens injuriæ Doumandus opum suarum imbecillitate, ultionis cupiditatem ab aperta vi temperare, atque adeo dissimulare: interim Reipublicæ causa, procerum animos pertentare, atque à Principe avertere: ac potissimum

Civilium per Litvaniam motuum occasio, & cædes Mendogi.

mum cum Troynato Samogitiæ Duce Mendogi ex sorore nepote, secreta consilia agitare. *Auderet tandem ipse, quod nemo non optaret. Liberatæ à gravi Tyranno Litvaniæ nomen, ille sibi assereret, ad quem maximè pertineret. Oblivisceretur in eo evertendo jura sanguinis: apud quem nullum jus esset inviolatum. Fratrum suorum exilio, litaret sanguine parricidæ Mendogi. Nunquam eum magis patere posse, quàm cum prætorianis legionibus in Mazoviam expeditis, ipse se nudasset suis præsidiis. Si vi opus foret: adesse Troynato Samogiticum exercitum satis addictum: se quoque in tempore cum Novogrodensibus copiis non defuturum.* Non diu sollicitationem tulit Troynati animus, suoptè ingenio in ambitionem pronus. Destinatis consiliis, ipse eventus viam aperuit. Turbatum enim interea aliquid fuerat à Duce Natbrawscio ad Borysthenem: contra illum jussus à Mendogo cum exercitu ire Dowmandus; Troynatum monet maturè, ne occasionem gerendi elabi patiatur: nunc demum tempus agendo esse, cùm militem sub signis haberet. Condicto

itaque die, Troynatus è Samogitia, Doumandus è Russia exercitum occultè deducunt, atque intempestâ nocte regiam invadunt. Occupatis portarum custodibus, percussores in cubiculum immissi, Principem in lecto confecerunt. Cæsi cum parente duo jam maturi regno filii, Ruclius ac Repicas.

Troynatus M. L. Dux, &c.

Nunc primùm, nova ad Principatum via, tentata est. Hactenus enim Principi vitâ functo, eum in Rep. sufficì mos erat, cui juris hæreditarii præjudicium, subditorumque studium suffragarentur: at jam quæsitus nuper est principatus per injurias nepotis pupilli: nunc verò etiam principis cæde. Ita per calcata, non honesti modò, sed & sanguinis jura, ad Dominationem properari cæptum est. Troynatus certè scelere avi trucidati, & occupatæ armis reipublicæ, posteris notior, quàm rebus gestis; brevem Dominationem properatâ cæde non verso anno absolvit; eodem dejectus passu, quo ascenderat. Quâ crudelitate in Christianos futurus erat, si superi

superi vitam commodassent, satis argumenti dedit, cum principatus inaugurationem à Mazoviæ vastitate orsus est. Exusti Czervinscum usque pagi: Orszymovium arx excisa: adulti ferro, igne pueri absumpti: fæminæ ad servitutem servatæ, aliæque à feroce victore in victos calamitates. Livoniam quoque ab eo vastatam, circa Parnaviam, Livones narrant. *Suspecta tamen omnia domi erant Tyranno: nec ex vano timebat, scelera in alios patrata, in se reditura. Quales enim in se eos speraret: quos exemplis suis fidem dedocuisset?* Ad stabiliendas itaque in omnem spem contra quosvis æmulos res, Pociâ Theophilum consobrinum evocavit. Hic ubi venit, post mutuam utrinque de sublato communi hoste gratulationem, in speciem quidem consilia de Republica cum Troynato communicare: clam verò nova in eundem cum suis moliri. Ambitione propriâ satis inquietus, Russorum adhortationibus validè agitabatur. *Illenè Litvaniam sacris Christianis nuper initiatam, impio Ethnici Principis jugo premi pateretur? Cur non*

An. 1264.

Theophilus contra Troynatum conspirat.

non cederet Russorum studiis? cur sperneret beneficium Volstinici legitimi Litvanorum Principis, jus omne Principatus integrè sibi transcribentis? Volstinicius enim parentis sui Mendogi à Religione Christiana defectionem detestatus, ad Russos (ubi obses olim aliquandiu egit) profugerat. Ibi multa rerum vicissitudine, animo ad humana hæc contemnenda inclinato, rigidioris instituti vitam professus sub Gregorii Polonini disciplina, Haliciæ vixit. Inde seu aliâ causâ, seu parentis Regis, populariumque suorum ad Christiana sacra traducendorum spe, rursus in Litvaniam transiit; atque haud procul Novogrodeco ad ripam Nemeni monasterio extructo, cum pluribus ejusdem vitæ sociis religiosè: atque inter multas procerum solicitationes, constanter agere cœperat. Ad nuncium, Patris fratrumque à Troynato cæsorum, ne eadem ipse clade involveretur, Pinscum evasit. *Pulsabat vindictæ cupido animum, brevi exercitio nondum ad humanos affectus satis obduratum.* Sed omnibus præsidiis in eo vitæ genere destituto, nulla

ferè

ferè ulciscendi per se ratio suppetebat. *Theophilum igitur solicitare: ei tanquam Christiano Principi, paternum in Litvaniam jus transcribere: orare ne tot Troynati scelera, inulta paterentur: Mendogo parenti suo, occisoris sanguine inferias daret.* Nondum omninò aut Theophilus consentiebat, aut consilia maturuerant: conspiratio vix inchoata Polocensis cujusdam, qui Theophilo è domesticis erat, fraude, prodita & à Principe tempestivè oppressa. Theophilus hospitii securitate apud fratrem incautiùs agens, trucidatus est: Polocia immisso exercitu occupata, atque in provinciam Litvaniæ redacta. Firmatam jam tot suorum cædibus dominationem Troynatus putabat, atque potiore æmulo sublato, satis ad cæteros in officio continendos provisum. Verùm *quid Tyrannis inter scelera securum?* Quatuor prætoriani milites, Mendogo olim fidissimi, securè ad balneum euntem adorti, necdum expleto Principatus anno, confecerunt. Ipsi, seu ne cui patratæ cædis pænas luere cogerentur, seu ut ex securo dispicerent,

Theophilo sublato Troynatus etiam occiditur.

P quomo-

quomodo id factum proceres haberet, indeque ulteriora rationum suarum consilia caperent: ad Volstinicum Pinsci agentem profugerunt. Præsens planè rei Litvanæ naufragium, inter subita mala deprehensæ, ab omnibus expectabatur. Inde velut decumano fluctu imminentibus extrinsecùs hostibus jactabatur: inde per dissidia domestica laxatis compagibus vitium facere per se cæperat, ac propè solvi. Sollicitos hic metus tenebat proceres; neque modus, quo obviam discrimini iretur, erat in expedito. *Factionum capita, quæ cæsorum Principum odia vel amores, velut abditum ignem in flammas mox erupturum, animo malè tegebant; nullam pacis spem apud gnaros rerum præseferebant. Provincias amplas tanquam truncum capite corpus, atque emortuum absque uno Principe, cadaver, diffluere necesse erat. Non pauci erant qui sanguinis conjunctione, aut veteris juris prætensione ad Principatum aspirabant: horum ambitioni si tota res permitteretur, brevi esset futurum, ut Republicâ carerent: aut enim civilibus armis discerpta miserè interiret; aut ei in spolium cede-*

Pericula Litvaniæ.

cederet, qui plus potentiæ, quàm virtutis aut dignitatis, in dimicationem attulisset. Crescebat malum: neque remedium à tempore sperari poterat. *Vnica inter tot præcipitia, ad concordiam & salutem publicam via* ostendebatur; *ambitiosa diversorum studia maturè extinguere*, eo Principe renunciato, quem communibus suffragiis Senatus jussisset. Kiernoviam itaque indicta comitia, & magnâ procerum frequentiâ celebrata. Litvani omnes in Volstinicum sententiis suis inclinabant. Id verò Samogitæ & Iatvingi ne audire quidem; sub cujusvis potiùs imperium concessuri, quàm Volstinici: causæ in speciem aliunde petebantur, in re erant, suspicio & metus: ne Volstinicus, Princeps renunciatus, non tam imperium administraret, quàm ultionem Mendogi parentis: ad cujus cædem Samogitæ & Iatvingi, operam suam Troynato nuper commodaverant. Ingens totis comitiis utrinque tumultus, ac propè mutua vis. Novogrodenses, aliique juris Litvani, sed Russicarum familiarum proceres, *Reipublicæ causâ*,

Comitia ad eligendum novum Principem indicta.

 neutra-

neutrarum se partium esse testabantur; illi Principi cum obsequio accessuros, quem utriusque gentis concordia dedisset. Si tamen pacis ineundæ rationem optimam, apud Senatum liberè proferre fraudi sibi futurum non esset: securè auctores fore, ut externum aliquem Principem, qui liberum ab omni factione animum ad imperium adferret, suis votis quærerent. Esse Regi Russiæ Danieli filium, imperio maturum adolescentem: esse etiam in proximo, ejusdem ex sorore nepotem Ducem Luceoriensem ac Drohicensem Suarmirum, rei bellicæ gnarum & studiosum, expeditionum Litvanarum contra Polonos, Mendogo comitem. Neque Samogitæ aut Iatvingi consilium improbabant: soli Litvani summâ contentione obnitebantur. *Non dubitare se*, ajebant, *quòd Russi proceres, de Republica ex fide agerent: ab eo enim tempore, quo Novogrodecum cum aliis Russiæ provinciis Litvaniæ adjectum est, non imperio tantùm sed voluntate etiam ac studiis ad Litvanos transiisse, ac sibi permixtos sub iisdem legibus & Principe, se, ac sibi pro unius gentis civibus se gerere: Etsi verò non privatis rationibus ad id consilii descendissent; consilium tamen illorum pro solis Russis & contra Rempublicam communem, apertè esse. Quid enim Kijovienses, Halicienses, aliique, illato toties contra fœdera repentè bello, magnis viribus in Litvaniâ tentassent? quid aliud Litvani hactenus, omni ope propulsare essent conati? quàm hoc ipsum, quod nunc per otium tam speciosè à Novogrodensibus proceribus suaderetur; tam securè à Samogitis admitteretur? nempè Russi Principis in Litvaniâ & Samogitiâ imperium. Certè ab eo tempore, quo Ringoldus Dux Novogrodensis gente Litvanus ac Palæmoniades, titulos Magni Ducis Litvaniæ invasisset, & curiam Kiernoviâ Novogrodecum transtulisset, Litvaniam non tam principatum, quàm Novogrodensis Ducis provinciam esse. Quid verò futurum crederetur, si Russus Princeps imperaret? Quidquid proinde Samogitæ & Iatvingi censerent, sibi certum omninò esse, non ferre Principem ex ea gente, quam majores sui armis quæsitam Litvaniæ subjectam reliquissent. Servaturos se omni studio majorum hæreditatem, Litvanum Russiæ imperantem: Suarmirum Russum amicum & socium habere se malle, quàm Principem. Posse quidem Russum æquâ conditione fœdera cum Litvanis colere: at ubi jus & dominationem in eos obtinuisset,*

nuisset, facilè genium patriæ studiis innutritum, rediturum. Nullum difficilius altiusque, quàm patriæ amorem hærere. Perfregit ea res Samogitarum atque Iatvingorum mentes, & in Volstinicum vel invitas inclinavit: ex quorum concordiâ Russorum deinceps consilia suaptè conciderunt, præsertim quòd vehementiùs illa promovere, non omninò securum esset, suspicionem novandarum rerum vitantibus. Plenis itaque comitiis Dux est resignatus Volstinicus. Missi Pinscum legati, qui Volstinico Monacho, procerum & populi studia, prolixè explicarent, atque ad paterni principatus hæreditatem capessendam invitarent. Volstinicus preces legatorum, quòd susceptæ semel vitæ rationibus adversarentur, constanter initio repulit. Sed cùm urgerent illi solicitè, & perituræ discordiis patriæ commiserationem sæpiùs ob oculos producerent, non suffecit proposito constantia, cessitque legatis. Cùm Novogrodecum Pinsco pervenisset, comitatus aulicus è circumjacente nobilitate adlectus est: inde maturato

Volstinicus Monachus M. Dux Litvan. Samogit. Novogrod. renunciatur.

rato Kiernoviam itinere, antequam proceres abiissent, venit: exceptus multâ honoris atque gaudii significatione, & solitis ritibus Magnus Litvaniæ Dux inauguratus est. Adduci deinceps nunquam potuit, ut omnem vitæ privatim actæ memoriam abjiceret, supra purpuram, monasticæ professionis argumentum, vestem nigram deferre solitus. Verùm *quia ultra vestem, Philosophia ipsius non processerat; atque adeo, ex ea vitæ Christianæ parte, nihil omnino in mentem transmiserat: cum vili illa lacernâ, animum cruentum atque vindictæ cupidum, ad Principatum attulit.* Vix rebus satis firmatis, impatiens moræ ferocia in novæ potentiæ fundamenta cædis paternæ ultionem jecit. Procerum plurimi criminationibus variis, aut apertâ vi, oppressi: cæteri ejusdem quidem causæ conscientiâ Principis suspicionibus & odio obnoxii; sed sociorum casu cautiores facti, maturo exilio iram ipsius prævertherunt: bona profugorum ærario Principis addicta. Cum Suarmiro, vetere parentis amico, fœdera Volstinicus impensè coluit, quòd

Volstinici mores, & bella.

quòd Litvanis copiis ad Polonicas expeditiones transeuntibus, ditiones ejus peropportunæ essent. Auspicium amicitiæ fuit, junctis viribus suscepta in Poloniam incursio, quâ Sendomiria, Ilzam usque vastata est: ab alia etiam parte continuis Iatvingorum prædationibus Lublinenses agri & tota Mazovia infestabatur. Boleslaus Pudicus inter Polonos Cracoviæ & Sendomiriæ tunc rerum potiebatur, vir bello impiger neque infortunatus: sed nunquam hostem intra fines suos occupare poterat. Iatvingi enim prædatorum instituto, repentini irruebant, miraque celeritate agris pervastatis, antequam ab incolis ad arma concurreretur, cum præda in sylvas se recipiebant. Consilium ex necessitate natum, fugitivum hostem, domi suæ totâ vi adoriri. Bellum itaque omne in ipsam Iatwiezyam Polonus transferre statuit: & sanè opportuna tunc satis debellando Iatwiezya erat, cum Litvani domesticis motibus distracti, auxilio sociis in tempore adesse non possent. Vniversam nobilitatem Polonam

Iatwiezyi seu Iazyges Litvanorum socii à Polonis exscinduntur.

nam Boleslaus ad arma evocatam sub Zavichuosto recensuit: inde exercitum totum sub signis continuò duxit, neque permisit comeatus aut prædæ causâ ordinibus quenquam excedere. Sciebat enim hostem suo ingenio pugnacissimum, neque unquam aut referre pedem, aut pugnam quovis loco, etiam iniquo, detrectare, solitum; Polono nunc primum intrare Iatwiezyæ fines auso, non diu ocium à prælio permissurum. Et certè, cùm vix sensisse adventum Polonorum Iatvingi putarentur, repentè Boleslao sub ipsam auroram ab excubiis nunciatur, ingentes hostium copias citato agmine advolare, atque rectà in castra Polona ferri. Ducebat eum exercitum præfectus militiæ Comatus: tanta verò erat ferocia militi, ut eodem impetu quo venerat; ab itinere in vallum Polonum, contemptim rueret. Eductæ à Boleslao properè in campum copiæ, atque quantùm subita vis ferebat, vix explicandi ordines spatium erat: & quia statim pro vallo ad manum planè res venerat, cæco omnino,

omnino, diuque dubio Marte, in multas horas, totâ vi prælium gladiis agebatur. Primus Polonis ad victoriam passus fuit, cædes Comati: is enim cum inter primos prælium voce & manu urgens, Ducis simul militisque officium fortiter exequeretur, facto à pluribus simul impetu, confossus interiit. Ita *sæpè viri unius fato, bellorum fortuna agitur.* Nox inde jam cæteri faciliùs vinci, & acies in cladem, non tamen in fugam, inclinare. Nemo enim loco cedere: sed tantùm cadentibus multis, ordines fatiscere; & viam ad victoriam aperire. Quare ut campum integrè obtineret Polonus, internecione omnes delendi erant Iatvingi: cùm quisque aut è vestigio quod semel ceperat, quoad concideret à vulneribus, depugnaret; aut in locum jacentis commilitonis, inter confertos Polonos gradum obstinatè promoveret. Itaque unico eo prælio prorsus debellatum est. Proceribus atque omni equestri ordine, acie deletis, universum Iatvingorum nomen excisum: agrestes coloni, pars in proximam Litvaniam

Iatvingorum in bello singularis fortitudo.

niam diffugerunt; pars ad sacra Christiana à victore compulsi, ditioni Polonæ accesserunt. Subsylvania nunc ea regio dicitur: coloniis Polonicis, Russicis, Litvanisque frequens; prout aliqua sui parte propior illis gentibus est. Eodem anno Litvani & Samogitæ Sambiensibus Prussis auxilia tulerunt. E Vellavia oppido, Pregeli ripis imminente, Equites Crucigeri proximos Sambiæ agros obtinebant: remotiores, frequenti excursione, infestos reddiderant. Ad ejus oppidi oppugnationem copiæ admotæ, pulsati muri arietibus. Sed vim omnem fortitudo præsidiariorum, & industria machinarum Magistri, Henrici Tupodel, eludebat: frustra proinde id incæptum Litvanis fuit: præcipuis belli ducibus amissis, re infecta ab oppugnatione desitum est. Ductus deinde exercitus in Lubavienses agros, ubi hostem aperto campo, cum copiis consedisse, nunciabatur. Pugnatum ibi prælio acriter, victoremque Litvanum evasisse auctor est Dursbuch. Addit idem, magnam eâ victoriâ

Litvani Prussis auxilia ferunt.

 stragem

ſtragem editam : Helmericum Magiſtrum, Theodoricum magnum Pruſſiæ Marſchalcum, cum quadraginta ejus ordinis fratribus cæſos : quorum animi, lampadum ardentium inſtar in ſublime abeuntes, ab aliquibus de nocte ſunt viſi. Atque ut hic ſucceſſus aliquantùm recreaverat Volſtinicum, ita accepta nuper à Polonis plaga altè inſederat. Provincia amiſſa; gens cujus forti operâ tot bellis Litvani uſi eſſent excisa; ultionis cupiditate animi quietem ſtimulabant. Collata igitur cum Suarmiro ope ingentibus copiis expeditionem in Sendomirienſes agros ſuſcipit. Effuſæ ad prædam legiones per univerſam Sendomiriam latiſſimè ferro ac igne graſſabantur. In ſubita trepidatione authoritas Boleſlai expectari non poterat: privato ſeu conſilio ſeu tumultu, armata equitum Polonorum & plebis promiſcuæ multitudo confluxerat: hæc contra palantes hoſtium manipulos progreditur; atque ut Litvanas Ruſſaſque cohortes effuſim per agros prædam agentes, priuſquam in unum coirent, ſepara-

Sendomiriam invadunt & fugantur. An. 1265.

ſeparatim adepta eſt, cædit. Inde ad caſtra oppugnanda victor exercitus ſigna vertit: ſed Volſtinicus & Suarmirus amiſſis inter prædationem præcipuis legionibus, cum reliquo milite vim in caſtris expectare non auſi, maturè in tutiora ſe receperant loca. Boleſlaus ad nuncium rei benè geſtæ animo erectior, juſtam in Suarmirum indignationem ulteriùs proſequi ſtatuit. Favere videbatur ſuſcipiendis conſiliis præſens Ruſſiæ ſtatus, mortuo Daniele Rege Ducum ambitione ac diſcordiis plenus turbarum. Habito itaque per eam partem Poloniæ, quæ ſibi parebat, delectu: confectiſque inde validis copiis, Petrum Palatinum Cracovienſem Ducem præficit, atque infeſtis ſignis Suarmiri ditiones invadere imperat. Petrus dierum aliquot itinere per hoſtiles agros progreſſus, obvia ferè tantùm totis ſimul legionibus proterebat: nam quòd hoſtem in omnia intentum fraudibuſque militaribus probatum haberet, non permittebat laxatis vaſtationibus cohortes à caſtris divelli, ne qua rei gerendæ

An. 1266. Suarmirum juvant contra Polonos, & cæduntur.

 occaſio

occaſio Ruſſo daretur. Suarmirus ubi Polonum, neque contemptim palantem per agros, neque caſtris temerè locum capientem, ad inſidias nanciſci potuiſſet, caſtra aperto campo oppoſuit. Nihil primo die utrinque tentatum: poſtero (qui D. D. Gervaſio & Protaſio ſacer erat) uterque exercitus ad pugnam eductus: cùm extructæ acies intra teli jactum conſtitiſſent prælium miſſilibus inchoatum. Erat expeditus Suarmiro è Ruſſis, Litvanis, ac Scythis miles, qui ſtrenuè rem arcu & ſagittis agebat: quare Petrus equites ſuos tota vi coortos, arcuum uſum hoſti adimere, atque ad haſtas & gladios prælium deducere imperat. Tanto impetu in hoſtem itum eſt, ut impreſſionem factam repentè ſenſerint, neque tulerint Ruſſi: mox inclinari acies, & turbari. Suarmirus, cùm ſemel iterumque pugnam reſtituere tentaſſet, re deſperatâ, ipſe quoque frenum fugæ permiſit: Ducis exemplo toto campo effunditur exercitus, cædes deinde fugientium non pugna ſubſecuta. Victor Polonus caſtris direptis,

direptis, lectiſque ſpoliis univerſam deinde regionem ſecurè igni ac ferro pervagatus eſt. Attrivit ea clades vehementer Suarmiri opes: imò totam exinde Ruſſiam Boleſlai fortunæ metus, in plures annos quietam tenuit. Litvani tamen nihilo quietiores ex ſociorum conſternatione: eodem ipſo anno ſubita excurſione Mazoviam latè populantur: neque Conrado & Boleſlao Ducibus ad reſiſtendum animus, aut vires: arcium tantùm præſidio ſuam & reliquæ nobilitatis fortunam tuebantur. At Volſtinicus quòd Polonicis Mazoviticiſque expeditionibus nihil ultra prædam per tanta intervalla quæri videret; eò potiùs curam advertit, unde ditiones augeri poterant, & fines proferri. In Ruſſiam itaque inter inteſtina odia & factiones, externorum injuriis opportunam, arma tranſtulit: & jam detractis aliquot arcibus, Volodimiriæ totique Voliniæ imminebat. Leo Dux Volodimirienſis à morte parentis Regis Danielis, nec dum pacatis per Ruſſiam rebus, non ſatis ad vim tanti hoſtis validus,

Mazovia vaſtatur à Litvanis.

Volſtinicus in bello contra Ruſſos amicitiæ ſpecie circumventus, occiditur.

dus, dolo & scelere bellum omne à se avertit. *Præseferebat ille nihil negaturum se Volstinico, jus quamquam dubium in Volyniam urgenti: sed positis armis, negotium istud faciliùs posse transigi contendebat. Permitteretur modò res, arbitrio procerum utriusque gentis; quidquid illi ratum habuissent; se in quascunque conditiones, pacis publicæ studio, libenter concessurum.* Successit persona homini callido. Tantùm enim ea animi promptitudine, Suarmiro præcipuè adnitente, apud Litvanum profecit; ut is exercitum omnem dimiserit, atque ad condictum diem, cum exiguis copiis, ac propè solo aulico comitatu, Vrouscum venerit. Leo qui alia omnia, quàm quæ promiserat, animo destinaverat; Volodimiriæ hæsit: Suarmirum autem fratrem, & patruum Haliciæ Ducem Basilium, doli omnis ignaros Vrouscum dimisit, Volstinicum ut Volodimiriam invitarent. *Commodiùs*, ajebat, posse tot Duces cum suo comitatu in ea urbe convenire, & *ipso hospitii jure amicitiam constantiùs stabiliri. Suspecta* erat Volstinico condictæ diei extractio, & *insolita in hoste humani-*

humanitas: sed quòd in Basilio & Suarmiro, cum quibus ante semper amicissimè egerat, nihil fraudis subesse certus esset, fidei eorum & precibus se permisit. Volodimiriæ, à Leone & Romano Principibus, humanissimè acceptus, benevolentiæ ipsius æstimatione; reliquum suspicionum, quæ præsagæ menti identidem sese ingerebant, excussit. Postero ab adventu die, princeps Senatûs Russi, Markoltus Niemcin, convivium Ducibus & Proceribus magnificum dedit: læta omnia atque officiorum plena. Iam Volstinicus, sub noctem è convivio digressus, in monasterio D. Michaelis, qui locus hospitio erat, dimisso omni comitatu, cum paucis cubiculo præfectis, ad quietem securè componebatur. Supervenit interea Leo, Volstinicum familiariter inclamat; ad ulteriora pocula amicè invitat. Litvanus officii causâ, ex interiore cubiculo inermis, ac penè discinctus, Russo occurrit: sed jam mutatam personatæ amicitiæ scenam, reperit. Circumsistunt repentè satellites. Dux

ebrietate, & destinati sceleris conscientiâ, amens; crudelitatem Mendogi parentis in Russiam, cupiditatem ipsius Volstinici, quâ in sui patrimonii arces nuper involasset, exprobrat: tum subitâ periculi imagine attoniti, ac vix dum quid rerum ageretur credentis, caput valido gladii ictu medium discindit. Reliqui comites, quos è proximo tumultus auditus ad arma exciverat, trucidati, bona direpta, proceres Litvani ex hospitiis extracti, atque in carceres detrusi. Cognitum reliquis Ducibus, ac præsertim Basilio & Suarmiro scelus, magnam indignationem movit: jus hospitii scelere violatum, fidem suam proditam, Russici nominis indignam labem, quisque pro se, querebantur. Verùm tota ea indignatio, ultra querelas & verba progressa non est: quanquam ut se ab ejus sceleris societate, quàm alienissimos palàm testarentur: magnifico deinde apparatu, regiisque sumptibus occisi corpus ad funus extulerint.

LIBER

LIBER V,

De rebus Litvanorum obtinente rursus Principatum familiâ Iuliani Dorsprungi.

VNiversa Palæmoniâ gente per Litvaniam, continuis funeribus exhaustâ, solus ex ea superfuerat Volstinicus. Quare ab ejus morte, restitutus est Principatus Iuliani Dorsprungi posteris, ipsâ quadam Litvanæ fortunæ necessitate. Vivebat enim adhuc Suintorogus Vtenides, annorum nonaginta sex vetulus. Puer ille olim è parentis testamento cesserat Ringoldi patrui curæ, ab eodem paterno principatu, per tutelæ speciem, exutus. Adultus deinde acceperat à Ringoldo præfecturam Samogitiæ. ex eo ille loco, alienam fortunam tantùm spectare, neque suam vicem indignari. Inter varias Principum factiones & cædes, ipse solus ut jure principatui proximus, ita quietiore ingenio ab omni ambitione remotissimus, extra invidiam & suspiciones agebat: cujus *humilem fortunam,*

Suintorogus Vtenides M. Lit. Dux.

non ambitioso animo junctam, pronius erat *partibus, contemnere, quàm subvereri.* Augebat securitatem, quòd nullam ferè Reip. partem attingeret: hinc vacuam curis & periculis vitam, diutiùs produxit. In hunc igitur, quanquam magno jam natu senem, Proceres animo inclinari; eum votis designare: præcipuè quòd familiam filio, nepotibus, & pronepote adulto, firmam haberet. Atque, ut *inter adversa superstitiosiores hominibus mentes* sunt, *religioni jam ducere, si eum negligerent, cui ad imperium jus potissimum esset. Quis sciret, num intestina, quibus flagraret Respublica, odia, & frequentatæ Principum cædes, non à Superis immitterentur, in vindictam erepti per injuriam Suintorogo Principatus. Consultum etiam Reip. fore, si post tot civiles motus, atrocesque jactationes, in ejus Principis humeros ad respirandum reclinaretur: cui affectus, & naturæ moderatio & annorum gravitas composuissent. Sensisse satis jam Principes eos, quibus cupiditates per ætatem necdum*
An. 1268. *deferbuissent.* Maturatum itaque est cum comitiis Kiernoviam: *ne diuturnitate interregni, factiones & ambitio, vires cum tempore sumerent:*

rent: sed neque inter ipsa comitia sententiis multùm variatum est. Omnium consensu M. Lit. Dux renunciatus Suintorogus; nequicquam decrepitam senectutem obtendens, communibus studiis cessit. Exiguo illo, annorum aliquot, quo cum imperio præfuit, tempore, domi quietas perpetuò habuit res. A Prussia initio non exiguum impendere discrimen nunciabatur. Ottocarus Bohemiæ Rex, cum ingentibus è Bohemiâ, Silesiâ & Germaniâ copiis, in Prussiam venerat; eo consilio, ut bellum omne, quod jam cum Prussis Equites Crucigeri propè confecerant, magnâ vi in Samogitiam transferret. Sed per tempestuosam hyemem, exundantes fluvii & lacus, itinera omninò præcluserant. Ita ea expeditio frustra Bohemo suscepta fuit. Prussorum tamen nomen universum, paucis exceptis populis, ad officium reductum. Nadrovitæ acie victi, non è pugnæ modò loco, sed ædibus etiam & agris natalibus profugerunt. exilium servituti prælatum est: *tanta vel in agresti populo libertatis æstimatio.*

Prussorum populi à Crucigeris subiguntur.

quanquam vix exilium dici potuerit, in Litvaniam, ejusdem originis gentem, cum re familiari & liberis commigratio. Eandem fortunam experti Skalovitarum primores, Surbanta, Suisdeta, & Surdeta, desperatis rebus opes & populum, in ulteriorem Litvaniam transportarunt. Enatum interim erat turbarum aliquid per Poloniam. Inter equestrem Ordinem & Zemislaum Principem, qui Cujaviæ ac Lenciciæ imperitabat, simultates exortæ, pænè ad vim processerant. Cognita ea discordia Litvanis, promptissimum quemque juvenum ad prædam evocavit. Collectus expeditè exercitus, Cujaviam vastationi destinat: itum est eò per Mazoviæ & Prussiæ confinia: vastati impunè agri: ingens omnino pecorum atque captivorum copia prosperè abducta. Neque Samogitis ab alterâ parte ocium. Reliquiarum Prussicarum atrox fortuna, atque inde commiseratio; & si illæ funditus excinderentur, propinqui nimis futuri hostis metus, bellum accendebant. Poiezanos inprimis omni ope

An. 1269.

Cujavia à Litvanis vastata.

Samogitæ Prussorum reliquias bello tuentur.

ope tuendos, Samogitæ suscipiunt. Neque deerat primis conatibus successus: cæsa aliquot locis Crucigerorum præsidia, Poiezaniæ Commendator, ut vocant, & Helvicus à Goltbach Contor Christburgensis, capti. Crescenti malo majore irâ & totâ vi, Conradus à Triburg Prussiæ Magister obviam ire; omnibus simul copiis, Poiezanorum agros vastare: incolas, igni ac ferro affligere. Debellatæ opes populi; non tamen animorum pertinacia fracta: ne victi hostile jugum in servitute ferrent, patriâ omnes excesserunt. Accepti benignè à Litvanis socii populi, & per Grodnenses agros descripti: primæ verò eorum sedes, tunc ex hostili populatione desertæ, nunc etiam inter profundas sylvas raros habent habitatores. Sola jam è Prussis supererat Sudovia, bello à Crucigeris necdum tentata: hæc, post subactos reliquos populares, in dies infesta Crucigerorum signa affutura prospectabat: quare aversuri à finibus suis bellum, hostilium agrorum infestatione domi suæ hostem distinere statuit. In

An. 1270.

In Culmenſes agros prima excurſio facta: & quia non tam prædæ cupiditas, quàm metus in audaciam verſus, militem armaverat, magna ſtrages, delectu nullo, latè edebatur. Miſſus à Magiſtro qui hoſtiles conatus reprimeret Hermanus Schonenburgi vir per multa prælia fortitudine & prudentiâ probatus, exiguis copiis rem ex voto confecit: excurſiones ſtitit; & hoſtem in cumulo adeptus, cecidit. Sudovitæ, primo hoc eventu, de victoriâ, non de ſpe aut odiis deturbati, majore deinde irâ & vi, bellum aggrediuntur: auxilia à Litvanis & Samogitis conquirunt. Stumanus tum pro Principe, Samogitiæ præerat: hic (privatone erga Sudovitas ſtudio, an principis nutu, non reperio) cum aliquot Litvanorum legionibus & quatuor Samogitarum millibus, bellum pro ſociis contra Crucigeros exeunte jam æſtate ſuſcepit. Repentinâ inprimis vaſtatione, Culmigeriam igne, proximas provincias terrore implet. deinde cum diſtractus hoſtis, non ſatis certus eſſet, unde potius ancipitem illam

Stumanus Samogitiæ Gubernator Pruſſiam vaſtat.

lam tempeſtatem propulſaret, Stumanus exercitum Ploviſto arci improviſo applicuit, pertinax oppugnatio brevi ad deditionem præſidiarios compulit. Litvanus enim veritus, ne ſi gravioribus propoſitis conditionibus ſupplices rejeciſſet, ex diuturniore circa eundem locum morâ, periculi aliquid, aut certè agendis rebus impedimenti enaſceretur: omnia in integro reliquit; duos tantùm obſidum vice pactus, qui viarum peritiſſimi forent. Horum deinde ductu, occultis per Chriſtianorum agros itineribus, quâ minimè timebatur, repentinus erumpebat: ita Lipanoviæ, Radini, & Veishauſi ſuburbana ædificia exuſta: Turnicia, Graudentum, Marienverderum, Satirinum, Chriſtburgum, aliaque regionis ejus oppida, & arces funditus dirutæ: ex præda denique & captivorum multitudine clades æſtimatione major illata. In Livonia quoque per proximam hyemem res proſperè geſtæ: vaſtatis latè in continente agris, per inſulas Livonici ſinus prædationes tentatæ. Hyems vehementior

Livonia à Litvanis vexata.

S non

non ſecuros modò aditus, per adſtrictas ſolidâ glacie aquas, ſed etiam commodum pugnæ campum in tanta planitie, inſtraverat. Inter Oziliam, quæ ſeptem milliaribus à Livonicâ ripâ, avulſa eſt inſula, in glacie exercitus concurriſſe ſcriptores memorant. Hæc diſſimulatione fortè magis & tacitis auſpiciis, quàm mandato Suintorogi extra gerebantur: ad bella enim illi, & natura, ſolitò mitior, ingenium non dederat, & ætas jam deerat. Domi, ut quietas ſemper habuit res, ita relinquere voluit: maturè itaque habito Senatusconſulto, filium Giermondum, jam ferè ſexagenarium ſucceſſorem ſibi deſtinavit. Neque multum deinde ſuperſtes egit. Novogrodeci eodem ipſo anno, morbonè an ſolis annis deficientem vitam, ſpiritus deſtituit.

Giermondus M. D. Litvaniæ. Giermondus Suintorogo ſolitis ritibus ſuffectus, primos ſui principatus menſes rebus domi componendis exegit. Ante omnia parenti defuncto ut præſcripſerat ipſe, juſta legitimè perſolvit. Cum enim viveret Suintorogus, fortè inter venationes inciderat in locum peramænum, quo Vilna amnis planitiem altis montibus ſubjectam, & pineto hinc inde conſitam decurrens, Viliæ illabitur. Amænitas ſitus, cùm ad primum conſpectum ſenis animum occupaſſet, petiit à Giermondo, ne alibi pro defuncti exuviis, aut rogo, aut ſepulchro, aream quæreret; utque is campus cremandis Principibus, humandiſque eorum cineribus, ſacer perpetuò in poſterum eſſet. Executus eſt univerſa Giermundus ex fide: campum latè exciſis arboribus perpurgatum, ipſe ritè dedicavit: relictus in proximo lucus, Fulminis vulgò Perkuni, tempeſtatum præſidis Numini; ut religionibus ipſis locus deinceps frequentior populo fieret: erecta præterea ſacerdotia, copioſis redditibus attributis. Officium ſacerdotum erat, ad præſcriptos ritus, ignem perpetuum quercu & pinu alere: qui ſi aliquo caſu fortè extingueretur, neglectæ aut non ritè procuratæ religiones ipſius ſacerdotis exuſtione expiabantur. Locus is Suintoroha (id eſt, Sancta area,) dictus,

 & no-

& nomen & ritus illos profanos ad Iagelonis usque principatum retinuit. His ita ordine peractis, Principis defuncti corpus, militari habitu à proceribus ad rogum elatum est: editiore pyræ loco, haud longè à Principe, locata arma, quibus à tyrocinio usque militari usus fuerat, gladius, hasta, pharetra cum arcu & sagittis: inferiore loco falcones, paria bina canum venaticorum, servus & equus, qui viventi maximè in deliciis: hæc universa, cum subjectus ignis corripuisset; tum sublatâ simul comploratione, proceres ursorum & pantherarum resectos ungues, extremi obsequii vice in flammas jactare. Nam de altera vita, quam habituri à morte essent mortales, redituque animarum ad sua corpora, cum Deus quispiam, illis ignotus, ad jus dicendum in altissimum montem universum mortale genus, evocaturus è tumulis esset, apud veteres illos Litvanos, rerum Divinarum penitùs rudes, quanquam barbarè & superstitiosè, tamen aliquid credebatur. Existimabant igitur mortuos olim unguibus

Superstitio vetus Litvanorum, in cremandis corporibus defunctorum.

bus illis opus habituros, cùm præruptus, altusque mons, per difficiles aditus, singulis superandus esset. Curatis ita sacris, præscriptisque ceremoniis, quibus deinceps Principum vitâ functorum corpora eodem loco cremarentur, ad rem civilem curas advertit. Domi omnia erant secura: sed neque ab hostibus multùm periculi; quanquam non parùm suspicionum: Livones & Prussos Crucigeros, Polonos etiam, tot prædationibus nuper vexatos, non putabatur quieturos. Hos, non tam pacis studio, quàm ut totis viribus simul Russum aggrederetur, oblatis fæderibus ad amicitiam Giermondus pertraxit. Leonem enim solùm sibi maximè ad bellum destinabat, occisi ab eo inter hospitales mensas ante aliquot annos Ducis Litvaniæ, memor. Vix ferebat indignationem, quòd tanta Litvani nominis injuria, ob parentis sui ignaviam, hactenus inulta & secura, Russo stetisset. Proximo igitur anno, magnis copiis Volyniam invasit: vastata atrociter quaquaversus provincia est; & præda omnis,

Fædus cum Polono & Crucigeris, bellum contra Russos.

Volynia vastata à Litvanis.

omnis, absque prælio, in Litvaniam abducta. Reversus ab ea expeditione, pacis artibus intendere cæperat, & Colonias per agros describere: quo tempore Giervatis oppido fundamenta jacta. Verùm & domesticam quietem, & firmatas fædere cum Polonis amicitias, factiosa quorundam consilia interturbarunt. Paulus Cracoviensis Pontifex, ut privatas offensas de Boleslao Pudico ulcisceretur, arma Litvanorum occultè per intervalla, in agros Polonos, evocabat. Exortis fortè inter Boleslaum & ordinem equestrem dissidiis, res ad secessionem & arma deducta erat: factioni princeps, Vladislaus Dux Opoliensium, absens lectus: fugatâ deinde, ac cæsa rebelli nobilitate, partes Boleslai insigniter creverant. Tum verò *Pauli animus pridem Principi iniquus, fortunam ejus magis non ferre: sed, & metuere, & odisse; & quòd ipse sibi, suoque odio, ad vim non sufficeret, alienis armis, suis fraudibus, eam vexare.* Litvanæ copiæ sedibus suis excitæ, Lublinenses agros infestis excursionibus securè populabantur: quòd equestris

stris ordo victoriâ Principis ad Bugicinum attritus, resistere aut non posset, aut non posse se fingeret, ut suis damnis, invidiam Principis augeret. Neque tamen omnino inultum Litvanis istud violatorum fæderum flagitium abiit. sub idem tempus, Subsylvana eorum ditio, à Mazoviis & Cujaviis vastata est. Per Prussiam quoque prædæ actæ: sed Prussorum res, secundis aliquot contra Crucigeros expeditionibus rursus non leviter firmatæ, levia prædationum damna vix sentiebant: præsertim quòd Litvana & Samogitica auxilia, in graviores impetus præsto essent. Vix igitur bellum illud à Crucigeris aliter confici posse videbatur, quàm si & totæ simul vires admoverentur, & externa præsidia consilio aliquo, hosti detraherentur. Henricus, Prussicis Equitibus Magister erat: fædus ille inprimis cum Giermundo renovat, ut jurisjurandi religione, à bello Prussico Litvani & Samogitæ excluderentur. Et Princeps quidem, hac ipsâ de causa, nihil publicè passus est Prussis adversus Crucigeros con-

An. 1274. Samogitæ tuentur Prussos & cædunt Crucigeros.

conferri: efficere tamen non potuit, quin privatorum opibus, clam per Samogitiam lectus exercitus, detractis signis per turmas in Prussiam abiret. Vastatâ Culmigeriâ confederant Prussi Sudovienses, cum Samogiticis præsidiis, ad Lubaviam: sed venientibus totâ mole Crucigeris, aperta vi concurrere non ausi, tumultuariâ ut videbatur fugâ, castris impedimentisque desertis, in proximas sylvas sese abdiderunt. Equites Crucigeri incruentâ victoriâ læti, mox solutis ordinibus ad prædam discurrere, castra diripere, contemptim ad vestiganda extrema hostium agmina effundi, atque prorsus tanquam omni periculo defuncti agere. Prussi & Samogitæ, qui ad captandam insidiis occasionem, inter latebras ex fuga non longè à castris hæserant, hostem & itinere fessum, & victoriâ securum, inter prædas cuncta negligenter agere, à speculatoribus edocti, repentè instructâ acie è sylvis cooriuntur, atque prædabundos occupant, cædunt. Magna tum clades Crucigeris illata: amissus exercitus, Duces

Stratagema contra Crucigeros.

Duces belli Henricus Magister & Theodoricus Mareschalcus, in acie cæsi. Atrox hujus pugnæ eventus evocaverat Christianos Principes ad arma magno apparatu capienda. Rex Bohemiæ, Marchio Brandeburgicus, Lantgravius Turingiæ, Dux Brunsviciorum, cum ingentibus copiis in Prussiam venerant: sed quòd exeunte jam autumno is exercitus fuisset contractus, hyemis verò initia solitò magis tempestuosa, latè per agros pluviis exundassent, ne lacessito quidem Litvano, ab armis discessit. Marchio tamen, ne frustra tantum iter suscepisse videretur, oppidum condidit, quod etiamnum Brandeburgum vocatur. Hoc ipso anno, Livones memorant à Samogitis & Litvanis ad Osiliam in glacie cum Magistro Livoniæ Ottone pugnatum: & Magistrum, cum quinquaginta Ordinis ejus fratribus cæsum. Pari eventu successor ejus Andreas Vestphalus cum bellum prosequitur à Litvanis profligatus occubuit. Neque multò post in Litvania Giermondus vivere desiit. Habitis Kier-

Expeditio Christianorum Principum contra Litvanos.

noviæ comitiis, natu major Giermondi filius Giliginus, Princeps Litvaniæ renunciatus est: fratri ejus Trabo Samogitia attributa, eâ conditione ut Magno Litvaniæ Duci subesset. Magister curiæ, utrumque ad concordiam, & gloriæ quam à Majoribus suis accepissent bello & pace æmulationem, breviter è Reipublicæ voto hortatus, gladium & scipionem Giligino porrexit. Rudis hic inaugurandi tunc mos erat, quo Principi suprema domi forisque potestas à Republica fiebat. Triennium non superavit Giligini principatus: nullâ fermè re memorabilis, præter aliquot Poloniæ vastationes: quanquam neque hæ à singulis scriptoribus omnes memorantur.

An. 1275. Giliginus M. Lit. Dux Trabus Samogitiæ.

An. 1277. Illa inter alias magis insignis, & ipsis Polonis authoribus comperta, quâ Litvanæ copiæ Mazoviam, Culmigeriam, Cujaviam populatæ, atque iterum in Lencicienses agros excursione instauratâ ad quadraginta captivorum millia abegisse dicuntur. Vix fidem numerus invenit: ingentis tamen cladis exaggeratum hoc argumentum est.

Annus

Annus sequens Giligino fatalis fuit: suffectus ei filius Romundus, eundem annum Princeps egressus non est. Apud scriptores frequentem famam reperio, quinque filios ex Romundo superstites relictos: propius tamen vero est, quod à paucis traditum; eum absque liberis decessisse. Illi enim qui inter filios ejus censentur, ejus jam ætatis erant, ut Troidenus natu ultimus vivente adhuc Romundo Imperator, exercitus duceret. Ægrè certè persuaderi potest, intra tam breve à morte Suintorogi tempus, (quod vix decennium assequitur) abnepotes ejus non adolescere tantùm, sed & rempublicam administrare potuisse. Troidenus, seu filius seu consobrinus Principis, privatis opibus triginta millium exercitum è Litvania & Prussia conscriptum, Giligino ipso vivente duxit: & tertiâ copiarum parte Mazoviam depopulatus est, reliquis duabus Culmensem provinciam. Vbi pertinaci oppugnatione Bergeloviâ potitus, exciso Crucigerorum præsidio arcem penitus delevit. Excedente hostilibus agris

Romundus Magnus Litvaniæ Dux; intra annum moritur.

 Troi-

Troideno, cum ingente præda; iisdem pænè vestigiis novus hostis ingressus, rursus igni & ferro omnia infesta reddidit. Scomandus Samogitico & Sudavitico milite easdem provincias invasit: Lubaviam & Culmigeriam civitates spoliatas, exussit: Cujaviam latè pervastavit. Neque multò post, iterum exigua è levi Litvanico equitatu manus in Lencicienses agros immissa, Lenciciam urbem ex inopinato adoritur, atque primo ferè impetu occupat. Sed quòd ad prædam non ad pugnam venisset, antequam vicini incolæ ad arma concurrerent, eadem celeritate, spoliatâ urbe, hostico excessit. Eodem anno res strenuè in Livonia aperto campo acta. Septimo nonas Martii magnis animis & pertinaciâ pugnatum est: hostes eo prælio non victoriam modò, sed & Duces amiserunt. Cæsi, Magister Livoniæ Ernestus, Gilardus Comes, atque ex ipso Crucigerorum ordine sexaginta septem equites.

Livones ad Dinemburgum cæsi. An. 1279.

Eodem prælio, cùm Henricus à Tyzenhauzen Signifer occubuisset, Prætorianum signum,

signum, cum imagine virginis Deiparæ Livonum Patronæ, in potestatem Litvanorum venit. Tentaverat quidem restituere rem Elchardus Revaliensium Præfectus, contractis è fuga reliquiis, hostem aggressus: sed is quoque profligatus accepto vulnere amissoque equo, vix vitam è campo extulit. Belli ejus occasionem dedit, arx Dinemburgum: quam arcem ad Dunæ ripam exstruere Livones molientes, omni ope à suscepto opere dejicere contendebant Litvani.

Trabus Magnus Litvaniæ Dux.

Mortuo deinde Romundo, Trabus Samogitiæ Dux gubernandæ Litvaniæ admotus est: Principisne electi, an solo Gubernatoris in exiguum tempus titulo? non conveniunt scriptores. Certè ego non video, cur tutelæ nomine Trabum Litvaniæ præficere opus fuerit, si annis & ingenio maturi ad rem civilem Principes, ex superstitibus Romundi filiis præsto erant; nisi fortè metu tubarum, quas ambitio inter fratres excitare facilè poterat, summa rerum avo delata sit: ut si fortè ejus arbitrio

 patri-

patrimonium partiri inter ſe nollent, contumaces in diſſenſionem ſpiritus, ſupremæ poteſtatis reverentiâ opprimerentur. Sed enim nihil ejuſmodi à Trabo legimus actum, quod tamen maximè fieri oportuiſſet, ſi hac ſolâ de cauſa, à proceribus ad imperium fuiſſet evocatus. Certè neglectum ab eo id officii, aut certè ob anguſtias temporis intermiſſum, credere non poſſum: res enim illa tota, non tempore, ſed feſtinatione, indigebat. Trabum igitur omnino Magnum Ducem fuiſſe, illud etiam pro argumento eſt, quòd majorum ſuorum more, media in Litvania coloniam excitarit, de nomine ſuo, Trabos: Neque plura in principatu egit: vel quòd naturâ quietus eſſet, anniſque gravis; vel quòd antequam aliquid agere potuiſſet, nondum integrè exacto principatus anno, apparatus animo volventem, mors occupaverit.

Litvani auxilia Ruſſis ferentes à Polonis funduntur.

Leoni tantùm Kijovienſium Duci, in Polonos bellum moventi, auxilia miſerat: quanquam eventu infauſto. Boleſlao Pudico ſucceſſerat nuper Leſcus Niger. Ruſ-

An. 1280.

ſus (ut *initia principatuum, hoſtibus plerumque ad bella avidè arripiuntur, quia novandis rebus opportuna)* novi Polonorum Principis fortunam bello experiri voluit. Iam Lublinenſibus agris pervaſtatis, Sendomirienſes populabatur. Exiguæ interea valde Varſio Caſtellano Cracovienſi copiæ in expedito: aggredi tamen hoſtem, quâ poſſet ratione, à Leſco juſſus, temerario fortaſſis conſilio, ſed ad vulgus *(apud quod ex eventu ſententiis pondus accedit)* ſatis forti; validæ hoſtium aciei, aperto campo ſeſe objecit. Leo quòd paucitatem hoſtium contemneret, plenus omninò victoriæ fiduciâ, ſive ut totam victi hoſtis laudem ad ſuos Ruſſos pertraheret, ſive alio quovis conſilio, primam in acie ſtationem Ruſſis attribuit, ubi & bellum & victoriam ſperabat: Litvanis & Scythis, non tam ad ſubſidia, quàm ad ſpectaculum, ut rebatur retrò collocatis. Poloni magna vi anteriores ordines aggreſſi, primo ferè conflictu loco moverunt: hinc proximis Ruſſorum labare animi; & fronte aciei retrocedente, non gradum

dum obfirmare proximi, sed consternari, abjectisque gravioribus armis, in fugam apertè verti. Litvanæ & Scythicæ cohortes, quæ in ultimo agmine constiterant, primùm sustinere cedentes, mox perruptis cedentium impetu ordinibus, aliquantùm turbari ac propè in communem fugam rapi. Instaurant tamen, restitutâ utcunque acie, pugnam: sed cùm inde à victore Polono fortiter urgeri, hinc à sociis quorum maximè causa ageretur, destitui cæperunt; ipsi quoque in fugam sunt effusi, Russorum fortunam secuti, quorum auspiciis pugnaverant. Litvani proceres, domi principe, foris exercitu amisso, soliciti: ad curandam maturè Rempublicam, comitia Kierdam noviam indixerunt. Aderant inter alios sive nepotes, sive (quod, ut vero propius, malim asserere) filii Trabi, Narimundus, Holsza, Daumondus, Giedrus & Troidenus. Postremi hujus apud omnes amor, ancipiti expectatione fatigabat Magni Ducis electionem. Vir indole regiâ, ætate validâ, partis etiam sæpiùs de hoste victoriis,

Comitia in Litvania ad eligendum novum Principem.

riis, ut ante non mediocres de se spes, ita hic studia motusque animorum magnos concitaverat. Quisque pro se eum Principem designare; eum privato voto dicere. Et quanquam pro Narimundo, ultra alia, ætatis ipsius judicium inclinaret, in ea præsertim republica, in qua studiosè servatus hactenus erat mos, primos è liberis, in imperia parentum sufficere: sed virtutis æstimatione, cuncta Troideni gratiæ cessura videbantur. Illud tamen ab ea sententia universos dejecit: *quòd Republicâ per crebram Principum intra paucos annos mutationem non leviter labefactatâ, si quid dissidiorum exoriretur, nihil mediocre timendum restaret: sed quodcunque tandem futurum esset, discrimen; extremum foret. Iam verò, etsi Narimundus, cæterique Principes, repulsæ dolorem Reipublicæ utilitatibus commodarent: ferox & ambitiosum Daumondo ingenium nequaquam quieturum. Retenturum illum ex offensa odiorum igniculos: futurum facilè ut tempore non sopirentur sed gliscerent; ambitione fomitem ministrante: denique per utrosque affectus mente agitata, aut ipsum per se quæsitâ occasione immane*

V *aliquid*

aliquid ausurum, aut si successus & vires odiis defuerint, Narimundum & alios fratres contra Principem & Remp. concitaturum. Quare remotis omnibus studiis, Narimundum natu maximum plenis comitiis Magnum Litvaniæ Ducem renunciarunt: & mox Magister curiæ, quo tunc magistratu Monividus fungebatur, ex senatus equitumque sententia, porrecto de more stricto ense, titulos & jus eidem detulit.

Narimundus Magnus Litvaniæ Dux.

Narimundus, quamprimùm Rempublicam attigit, antequam ad externa curas protenderet; ad propiora, nimirum domestica, sese convertit. Post persoluta parenti justa, præcipuum ei opus erat, ita patrimonium inter fratres partiri, ne odiorum semina jaceret. Nec poterat opportunè differri. *Ea enim quæ alicui debita sunt, perindè ferè dilata, ac negata lædunt: nisi quòd negata repentè animum dolore invadant; dilata sensim suspicionibus sese accumulantibus exulcerent: illa ad vim præcipitent, hæc ad fraudes & odia, in occasiones ex arte intendenda, deducant.* Metuebat etiam illud Narimundus, ne si quid è Republica

publica decrevisset, quod asperius fortasse fratribus videretur, unicus ipse cum sua sententia sub totâ invidiâ laboraret. Nihil itaque Senatu inconsulto propriâ autoritate egit, certus, consilia sua, auctorum numero, emollire. Nam quæ solus pro supremo jure jussisset, ea querendi materiam & fratribus & subditis præbere potuissent. *Plerumque enim Principum acta, ad privatos tantùm affectus referendo, criminamur; neque difficilis est ad istiusmodi querelas auditor: at quorum senatus ipse auctor est, ea tanquam publicis utilitatibus dedicata, ac sacrosancta, privatis sermonibus suspicionibusque, non adeò prompti temeramus.* Erant equidem amplæ provinciæ, quæ reliquis Principibus attribui in patrimonium poterant: sed nolebat Narimundus potentiam eorum ad ambitionem & defectiones, hostium propinquitate solicitari. Non erat fortè, quod in fratribus ut suspectum metueretur; *cavebat tamen Princeps etiam ea, quæ periculosa futura erant, si illi suspecti aliquando esse inciperent. Nihil enim periculosius à Principe per alios, præsertim ambitioni obnoxios, administratur,*

Fratribus patrimonium partitur.

ſtratur, quàm quod hoſti magis propinquum: ad latus atque ſub oculis Principis, factiones facilè evaneſcunt: à curia verò ablegatæ, ſatis ad incrementa ſua habent, quòd facilius lateant; in immenſum verò ſurgunt, cùm à propinquo hoſte ſubſidia ſperare poſſunt. Advertebat præterea Magni Ducis potentiam exhauriri, cùm inter liberos Principis defuncti, patrimonii nomine, provinciæ diſtraherentur: ita enim fore neceſſe erat, ut ad multos derivatis reipublicæ opibus, ipſoque fonte abſumpto, penes Magnum Ducem nihil ultra vacuos titulos relinqueretur. Quare publico ſenatus edicto, in ipſa interiore Litvania poſſeſſiones fratribus aſſignavit; non alio jure, quàm quod ceteris proceribus ac equitibus in ſua patrimonia eſſet, obtinendas: atque ut omninò privatam rem, familiarum è Magnis Ducibus propagatarum, à publica ſecerneret; novum inſigne pro Duce & republica aſſumpſit, diverſum ab eo quo ceteri ejuſdem gentis Duces uterentur. Ab eo itaque primùm tempore, Centauri loco, Eques armatus ſtricto enſe hoſtem perſequens

ſequens vulgò Pogonia in ceris Magni Ducis uſurpari cœpit: quanquam alii memorent, à Mendogo Rege idem ſtemma uſurpari ſolitum; adjectis binis in clypeo crucibus, ad indicium ſuſceptæ Chriſtianæ religionis. Obtigit in ea patrimonii ſortitione Holſæ tractus orientem versùs, à Vilna circa Korablam ad multa paſſuum millia excurrens, deinceps Ducatus Olſanenſis dictus: propagati ab eo Holſanenſes Duces, ſuperiore ſeculo, in Paulo Epiſcopo Vilnenſi defecerunt. Giedro ampla item ditio Septentrionem verſus attributa: nobiliſſima ab eo Giedroiciorum Ducum familia ortum ducit; in quâ hæredum copioſo numero, veterem illam potentiam & Ducalem titulum, ad equeſtrem frugalitatem deducta, noſtrâ ætate videmus. Daumondo Vcianenſis Ducatus datus: arcem Suir ab eo conditam, Ducibuſque Suirſciis nomen & ſanguinem derivatum, aliqui memorant. Troidenum ſolum, pacis bellique ſocium, apud ſe detinuit Princeps: eo fortaſſe conſilio, ut cùm ipſe liberis careret, eum

Stemma M. Ducis Litvaniæ.

eum reipublicæ maturè admoveret, quem ſibi ſucceſſorem à Senatu & populo tacitè deſignari, non ex vano, prudens alienorum votorum æſtimator, ſuſpicabatur. Non ignorabat quidem Daumondum quidvis acturum, ne ſucceſſione excidat: ſed *malebat fratris ambitionem, quàm vota publica ab eventu deſtitui. Quare illa ipſa negotiorum cum Troideno communicatione, ejuſdem potentiam ad futuras Reipublicæ ſpes, contra fraternas factiones, firmabat.* Ita rebus domi compoſitis, & curiæ Ducalis ſede, Kiernoviam Novogrodeco tranſlata, ad rem bellicam cogitationes intendit. Iam frequenti Principum viciſſitudine Principatus propè in annuum magiſtratum abierat: hinc res bellica plurimum labare; cùm inter ipſos apparatus aut initia belli, capita & Senatui & caſtris, morte ſubtraherentur: atque ea fortè de cauſa, nihil majore mole contra Polonos pro recuperanda Iatviezya totis ſedecim annis actum. Nunc primùm Narimundus cum Troideno eam provinciam ſedulò ſuſceperunt; non excurſionibus hoſtem vexaturi;

Iatviezyam à Polono olim ereptam recuperant Litvani.

xaturi; verùm Polonis exactis, antiquum in eam jus Litvaniæ aſſerturi. Ductus in provinciam exercitus, nihil ferè negotii reperit. Reliquiæ Iatvingorum vetere odio à Polonis ſuapte averſæ, cùm primum exercitum conſpexerunt, à ſacris Chriſtianis & Polono deſciverunt, atque Litvano acceſſerunt. Coloniis deinde Polonicis & Mazoviticis inſperato impetu captis, univerſa regio brevi in poteſtatem redacta eſt: præſidia opportunis locis poſita, quâ hoſtis propior: ad ripam præcipuè Bubræ Raigrodum à Troideno colonia ducta, quæ arx, contra Mazovitas & Pruſſos vicinos, incolis eſſet. Gratus navatæ operæ Narimundus, omnem deinde eam regionem Troideno attribuit. *Facere beneficium videbatur Princeps, cùm tamen ferè acciperet. Intererat enim vehementer Reipublicæ, in tanta hoſtium propinquitate, Ducem armis impigrum atque ad omnia intentum præſentem eſſe, & qui privatis opibus ſeſe tueri poſſet; ne ſemper tantillo bello univerſa Litvania implicaretur.* Caſus præterea ita tulit, ut ea res Narimundo ipſi eſſet per-oppor-

An. 1281.

Raigrodum in Subſylvania, à Litvanis ædificatum.

opportuna, cùm à belli Podlachici curâ flagitium domesticum averteret. Daumondo fortè Vcianæ Duci obierat conjunx: ad funebrem pompam frequentes pro more convenerant proceres; inter ceteros Narimundi uxor, defunctæ soror, & pro se sorori parentatura, & pro marito (qui domi morbo detinebatur) mærentem domestico luctu, Doumandum fratrem salutatura. Persolutis ritè justis, hospitibus honorificè dimissis, Principis solius conjugem violentè detinuit, in defunctæ torum substiturus. Et sua & conjugis injuriâ Narimundus dolere, indignari, minari: at alteri insana libidine mens, sceleri contumaciam jungere; atque post proculcatum fas; pericula, vel non videre, vel contemnere. Hinc Principi necessitas armorum & fraterni belli. Vciana obsidione cincta; eò enim sese, aperto campo diffisus, uxorius imperator, ad scelera quàm ad bella audacior, abdiderat. At verò quia à muris etiam, non diuturnum præsidium sperari poterat; & aut oppugnationi, aut ob angustos

Daumondi scelus in Narimundum, bello vindicatur.

stos commeatus, fami cedendum videbat; animos suorum ad constantiam obfirmare nititur proximorum auxiliorum spe: ipse rebus desperatis, tanquam mox ad solvendam obsidionem cum milite adfuturus, noctis beneficio ex arce dimissus, per obsidentium castra evasit. Plescoviam deinde delatus, non infeliciter contra Livones Plescoviensium arma tractasse memoratur: exilii ejus memoriam Plescovia etiam nunc obtinet, eâ munitionis parte, quæ ab auctore paries Doumandi dicitur. Oppidani cum aliquot dies oppugnationem, Ducis & præsidiorum expectatione, fortiter sustinuissent; suspicati ex morâ, quod in re erat, Narimundo se dediderunt. Eodem anno è Samogitia miles Prussis Sudoviensibus auxilio missus: ubi junctis Prussorum & Samogitarum viribus, magna clades Crucigerorum agris illata est: neque solum quæ in aperto ad prædam vel iram erant, igni aut ferro absumpta; sed arces & oppida, pleraque capta atque eversa, Christiburgum, Marienverderum,

derum, Santirum, Plemencia, Graudentum.

Troidenus Magnus Litvaniæ Dux, à Daumondo bello petitur.

Idem annus mortuo Narimundo Troidenum Principem Litvaniæ dedit, pridem jam communibus ſtudiis expetitum, quòd bellica laude, fratribus, quos ætate ſequebatur, longè præſtaret. A puero enim caſtris addictus, cum annis armorum ſtudium promovit; adultus, multis expeditionibus non militares modò, ſed & imperatorias artes probaverat, & parando & gerendo bello. Animi quidem impotentior, ac præſertim cum irâ agebatur; hinc *& in victos & in ſontes, poteſtate ad crudelitatem abuti ſolitus: ingens profectò in principe vitium: ſed apud feroces populos, ſub virtutis nomine, ſi non amorem, admirationem ſaltem habebat & reverentiam.* Daumondus apud Pleſcovienſes exul, ex Narimundanæ mortis nuncio, inimicitias cum principe extinctas credere, & jam reditum in patriam adeoque ipſius Principatus occupandi ſpes animo volvere: at cum Troidenum Magnum Ducem comitiis creatum intellexiſſet; tùm verò, quàm jucun-

jucundè nuper ſpei ſuæ, cogitatione colluſerat; ita nunc invidiâ & indignatione furere, vim & bellum parare. Collecto è Pleſcovienſibus exercitu, Polociam inprimis invaſit, propinquitate ſuis conatibus opportunam: urbe per Ruſſorum proditionem potitus, facilè univerſam provinciam ſubegit. Iam ultra Pleſcovienſes copias, Polocenſi milite & opibus auctus, validior ad urgendum bellum, Litvaniamque tentandam erat: ſed *primis perturbationibus ipſâ morâ conſidentibus, animus non æquè ut ante ad arma expeditus. ut ferè difficilis eſt illis conſtantia, quibus ardua, impetu non conſilio aggredi mos eſt.* Tum primùm periculi ſpeciem ſinceriùs circumſpicere & æſtimare: belli imparibus viribus ſuſcepti exitum pertimeſcere: cogitare ſecum, *Polociam facilè ſibi ceſſiſſe, quòd ſecuris rebus, aut nullis præſidiis tenebatur, aut Ruſſo obnoxiis: Vlteriùs ſi progrederetur, nihil non benè munitum, nihil non bello paratum, inventurum: omnia ſibi & Ruſſis infeſta, Troideno addicta. Quid verò ſi interim Polocenſes, quâ levitate ſcelus admiſerunt, eâdem ſceleri veniam apud*

Daumondi contra Troidenum conſilia.

 legiti-

legitimum Principem quærerent, atque à se desciscerent? Plescovienses nondum quidem operæ suæ pænitere: sed *quis eosdem illis animos certò audeat polliceri, cùm (ut incerta belli alea est) aliquid cladis acceperint, cùm arma, cùm exercitus validos ab adverso conspexerint? Illosne pertinaciùs pro exulis fortuna pugnaturos crederet, quàm Litvanos pro Principe & Patria? multùm ad audaciam, nec minus ad victoriam momenti sæpè habere, causam pugnæ.* Abstinere itaque armis, non tamen odiis constituit: & vi in fraudes versa, ambitionem & iras securiùs ex occulto urgere. Neque difficile fuit, pacis specie & modestâ culpæ confessione, fratri imponere: ut speraverat; non veniam modò, sed & Polocensis ditionis possessionem, haud ægrè obtinuit. Inde Daumondus in momenta agendi intentus, rebus suis, quietus prospiciebat: quâ posset arte, Troidenum evertere, & Principatum paterno fraternoque jure, sibi asserere. Troidenus verò ut *An. 1282.* rebatur, pace domi constituta, militem in Poloniam misit. Quatuordecem millium exercitus erat, è Litvanis & Iatvingorum reliquiis lectus: hic divisis trifariam copiis, totam omnino Lublinensem oram pervastavit. Lescus Niger Poloniæ Princeps Cracoviæ interim jus subditis dicebat: ad subitam trepidationem, forensibus illis negotiis relictis, tumultuario delectu sex millium manum contra Litvanos rapit. Sed hi, aliquot ante diebus prædam & exercitum per Narviam transportatum in profundiores sylvas jam subduxerant. Re cognitâ Lescus planè desperare. *Quo enim duceret exercitum? in sylvas? nimirum ubi hosti omnia opportuna, quia perspecta; sibi verò ignota & periculosa. Qua deinde parte hostem perplexis callibus vestigaret? Atque ut assequeretur fugientem, quâ ratione militem aperto campo assuetum, inter sylvas in aciem explicaret? imò quomodo tam exiguas copias molesto ac festinato itinere propè confectas, tam iniquo loco, tantæ multitudini objiceret?* Istiusmodi curis fesso cum fortè somnus obrepsisset, visus est sibi videre Divum Michaelem seriò imperantem: cunctari desineret, & hostem audacter insequeretur. Paret Lescus, exercitum somnii divinitus

Litvani à Lesco Poloniæ Rege funduntur.

 immissi

immiſſi enarratione ad ſpem victoriæ erectum, arma expedire jubet; & paucorum dierum commeatu ſumpto, ſigna in hoſtem ferre. Neque procul aberant Litvani, Polonum ſibi inſtare omninò ignari: ex ſecuritatis opinione non excubiæ illis ſolitæ; non cohortes, firmandæ à tergo in itinere aciei deſtinatæ; nihil denique ex diſciplina militari; atque adeò vix caſtrorum ſpecies. Hinc ut comparuerunt imminentium Polonorum inter ſylvas ſigna, trepidare: credere, non abſque valido exercitu hoſtem eouſque proſequi auſum: tum collecto à repentinis affectibus ſpiritu, Iatvingis præcipuè adhortantibus, antequam è ſylvis in campum, quem Litvani inſederant, Polonus plena acie intraret, totis ſimul copiis in venientem effunduntur. Non poterant Poloni omnes cohortes explicare, quòd anguſti inter ſylvas tranſitus, non permitterent totum militem ſimul campo immittere: coacti igitur ſimplici quâ venerant acie decernere; quàm maximo impetu in cornua invehuntur, ut iis qui ſequebantur ſpatium in frontem erumpendi relinqueretur. Cum atrox utrinque pugna ad primos congreſſus arderet, effuſis omnibus ad prælium, captivi inter impedimenta abſque præſidio relicti, ut ſuorum ſigna agnoverunt, inſolito quodam motu agi; ſe invicem adhortari. *Pueris & fœminis lachrymas ac vota relinquerent. Si viri eſſent, non expectarent otioſi ſuorum incertam victoriam; quam certam reddere poſſent, audendo. Si vincere fortè hoſtem non poſſent; hoc præmii loco ducerent, eum ad ſui cædem irritare. Cui enim ſervarent turpem hanc vitam, barbaro obnoxiam, & ſervituti deſtinatam? an ad ſuorum cladem, novos captivos, novam dolorum materiam ſpectandam? Irent potiùs & aut morerentur, aut vincerent cum ſuis. Eximerent ſe tot malis aut vincendo, aut occumbendo.* Mox promptiores quique juvenum, ſe aliosque vinculis expediunt, fæminis inter ſpem & timorem vota ad ſuperos cumulantibus: tum correptis quæcunque caſus & deſperatio obtulerant telis, armantur: multis canes ſponte dominos nuper in ſervitutem ſecuti, vel inter ceteram prædam

Captivi Poloni à tergo Litvanos adoriuntur.

prædam abducti, pro armis, atque satellitio fuere. *Vbi in subitâ illâ inchoatæ libertatis specie se circumspexerunt, horrorque ex futurorum cogitatione frigidus per artus decurrisset, tum sublato ab omnibus simul ingenti clamore, in audaciam accensi, magno impetu, tanquam furibundi, Litvanorum aversam aciem adoriuntur.* Turbati insperato eventu Litvani atque quis novus hostis esset ignari, non diu, inter anceps à fronte & tergo malum, vim sustinuerunt: Superûm irâ portenta non hostes sibi immissos multi credidere, quando tantâ rabie canes ipsos (insolitum hactenus pugnæ genus) in se ferri videbant. Iatvingorum paucæ cohortes erant; sed quibus, ab animo, non à numero fortitudo: hæ pertinacissimè locum tenuerunt, donec penitus delerentur. Litvani magnâ parte inter primam pugnam amissâ, cum reliquo exercitu cædi se victorum eripuerunt: multi fame deinde inter sylvas enecti; atque adeo etiam qui supererant tot malis, vix aliqui in Litvaniam regredi ausi, pœnarum scilicet metu, quas gravissimas ex Troideni

Litvani fugientes ex acie, domi à Principe puniebantur.

deni edicto magistratus in fugitivos statuebant.

Domi etiam res haud nihilo funestiores. Olsa & Giedrus fratres Principis, vitâ functi. Additum his, scelere Daumandi, tertium funus longè acerbius. Sex percussores, rusticorum supplicantium habitu, submissi; cùm Principem è balneo redeuntem paucisque comitatum, medium intercepissent; inclinantem se atque humaniter, quid injuriarum à quopiam accepissent, & an se vindice opus haberent, inquirentem; impactis capiti baculis interfecerunt. Orbatus Principe Reipublicæ status, amisso nupera expeditione veterano milite, patentes planè aditus ad vim & Principatum Daumando aperuerant. Promovebat ejus consilia, quòd Laurus Troideni filius jam ante post rerum civilium tractationem abdicatam claustro se inclusisset: supererant quidem defuncto Principi nepotes; Ginvilus ex Giedro, Algimundus & Mindovus ex Olsa; quibus imperium deferri poterat: sed ab eo consilio, & ipsos juvenes & sena-

Troidenus Princeps trucidatur à Daumando.

 tum,

tum, facilè oſtenſo bello deterreri poſſe ſibi perſuadebat. Lecto igitur quantocyus è Ruſſis valido exercitu, movit in Litvaniam, aut ſolo belli terrore voluntates Procerum in ſe inclinaturus: aut ſi aliud illi comitiis habitis ſtatuiſſent, armis Principatum occupaturus. Graviter Laurum (Rimundus à popularibus dicebatur) affecerat audita cædes parentis: ubi deinde intellexit etiam Principatum in ſceleris præmium à ſceleſto fratricida repeti, tum verò dolor in iram exardeſcere: tantaque ea indignatio fuit, ut mox ab accepto nuncio, deſerto clauſtro, Reipublicæ ſe redderet, & Ducem bello, contra perduellem patruum, offerret. Proceres & ſuaptè ex defuncti Principis reverentia Lauro addicti; & à Daumando tot ſceleribus infami averſi: ſed de belli eventu anxii; inter utraque conſilia quem ſequerentur incerti, animo pendebant. Cauſæ inde æquitas; ſed Dux juvenis, animo quàm rerum experientia promptior, ab aris & ſacellis repentè miles & Dux: illinc flagitium & perduellio; ſed

Laurus Daumandum profligat & occidit.

ſed imperator, qui inter arma & pericula ætatem exegiſſet. Attamen ut cuique majora in Daumandum odia, & Troidenum Laurumque ſtudia, ex Litvania, Samogitia & Novogrodenſi terra, armati libentes confluxerunt. Recenſas copias Laurus ſtatim contra hoſtem duxit; *quamdiu prima ferverent ſtudia, de ſumma rei aperto prælio decertaturus: ne vel factioſorum ſermonibus ardor ſuorum reſtingueretur, vel dilatâ pugnâ ſpacium arcibus oppugnandis daretur, quarum deinde oppugnatione bellum diutiùs trahi neceſſe foret.* Commiſſo prælio Laurus campum obtinuit, ipſe hac parte victoriæ maximè lætus, quòd cum Daumando fortuitò (uterque ſuis aderat) congreſſus, eum parenti inferias, & ſuo dolori victimam mactaſſet. Reliqui exercitus in fuga cædem, nox abrupit: poſtero die lectis ſpoliis, victor miles in Poloc enſes agros ductus, atque eodem victoriæ curſu, facilè quæ ſuperiore anno Daumandus occupaverat, recepta. Dimiſſo tandem exercitu, Kiernoviam, quo ad comitia habenda conventus indictus fuerat, Laurus

Laurus ab ordinibus Princeps electus sui loco Vitenem substituit.

Laurus maturavit. Acceptus magnâ omnium ordinum gratulatione: ubi in Senatum venit, ne ſententiæ quidem ex ordine dici, aut ab uno quopiam nomine Reipublicæ gratiæ Principi agi poterant. Cum enim in communi omnium voto nemo poſtremus eſſe vellet, omnes ſimul inclamarunt. *Silerent mortalium ſententiæ, quandoquidem ſuperûm dono Principem haberent. Occuparet fortunatus Principatum, quem fortiter defendiſſet, gemino jam titulo ſuum, paternâ hæreditate & proprio merito. Se non eo conſilio ad comitia conveniſſe; ut Magnum Ducem legerent; ſed ut illi qui jam Dux ſuus eſſet, fidem debitam, ſolenni ſacramento, pro ſolito more obſtringerent.* Ad hæc Laurus: *Quidquid hactenus egiſſet, non plauſu ſed excuſatione opus habere: quòd nimirum mancipatam ſupremi Numinis obſequio mentem, ad ejuratas pridem curas, rurſus applicare auſus fuiſſet. Quia tamen non ſuſceptæ vitæ tædio, aut ſtudio novarum rerum, id attentaſſet, non omnino ſeveros facti ſui judices apud poſteritatem ſperare. Donaturos, qui hæc olim audirent, multùm filio: quem juſtus dolor in paternæ cædis auctorem, eo uſque, etiam extra orbitam, egiſſet. At ſi ulteriùs progreſſus, principatum occuparet: enimverò neque apud ſuperos violati ſacramenti flagitium, neque inter homines inconſtantiæ ac levitatis probra evitaturum. Quare ſi vel recentis beneficii memoriâ, vel hæreditarii juris præjudicio, apud Rempublicam ſibi agere permitteretur, illud unicum orare, ut eum Principem vellent, in quem ipſe jus ſuum, ſi quod eſſet, transferret: ſimulque Vitenem, Curiæ olim apud Troidenum, Magiſtrum, deſignat; palàm ſanctè teſtatus, obſtinatum ſibi omninò eſſe, ad inchoatam diſciplinæ religioſæ philoſophiam rurſus regredi.* Perculit inopinata oratio pleroſque: omnes ſimul per omnia ſacra obteſtari, ne patriæ, quam ſervaſſet, curas projiceret. Perſtitit Laurus conſtanter in ſententia; addens. *Curas patriæ à ſe non abjici, ſed in humeros tanto oneri non impares transferri: atque ea ipſa de cauſa nolle ſe auctorem eſſe, ut ex conſobrinis ſuis aliquis per ætatem ei honori invalidis, ad Principatum aſſumeretur. Rogare verò iterùm, ut ſi gratiam navatæ bello operæ erga ſe teſtari vellent, ne ampliùs animum aliò deſtinatum non profuturis conatibus fatigarent: ſi Reipublicæ curâ tangerentur; ne alteri quàm*

quàm Viteni Principatum traderent. Poſt longam ſtudiorum concertationem, cùm tandem, cautè immobilior Laurus, de ſententiâ dejici nullatenus potuiſſet: Vitenes, Lauro auctore, omnium conſenſu, Magnus Dux renunciatus, atque inauguratus eſt. Nullam deinceps unquam Laurus Reipublicæ partem attigit: haud procul Novogrodeco ad ripas Nemeni fluvii inter Monachos conſtanter in ultimum diem ſuſceptam vitæ rationem tenuit: ſoror ejus vel à parente vel certe à fratre elocata, nupſit Boleſlao Mazoviæ Duci. Cum enim nulla fædera ſufficerent, ad conſtantem cum Litvanis pacem: affinitatum inter Principes contractarum reſpectu, quietem aliquam ab aſſiduis Litvanorum infeſtationibus ſperabat.

LIBER

LIBER VI,

De rebus Litvanorum, Principatu ad Cæſarini Columnæ poſteros tranſlato.

VItenes, inter Eiragolios (qui Samogitiæ populus eſt) à Cæſarino Columnâ genus, quemadmodum plerique ejus regionis procerum, ducebat. Iam inde à puero, ita vitam ejus fata temperabant, ut non alibi, quàm ſub Reipublicæ oculis, id eſt omnium judiciis, adoleſceret: quòd à ſuperis ad Principatum, per quatuor jam ſæcula in ſua familia conſervatum, deſtinaretur. Ex illa enim domo, cùm perpetuò duodecim Magni Duces in Litvaniâ imperaſſent; ne deficientibus tandem viris, Principatus aliò averteretur, fæminæ etiam ratio habita eſt. Trineptis hæc Vitenis erat, Anna *Stephani* I Polonorum Regis conjunx, priùs Poloniæ Regina renunciata, quàm ſponſa, Principatum viro dedit. Interruperat deinde hunc veluti ſacrum quendam Litvaniæ Principum ordinem, *Vitenis familia.*

nem, Henricus Valesius: sed rediit mox Respublica, ad probatas jam sibi tot sæculis manus, summo omnium bono. Restituerunt rursus Litvaniæ suos Principes, *Sigismundus* III Poloniæ Rex, IV Litvaniæ Dux, ex Catharina Vitenis trinepte, Annæ sorore, Ioannis I Suecorum Regis filius; & *Vladislaus* Polonorum Rex ejus nominis Quartus, Litvanorum Dux Magnus, verè *Secundus*: in ipso felicitatis, ac pacis publicæ cursu, magno Reipublicæ dolore, neque minore damno, nuper Merecii in Litvania mortuus. *Casimirus* Polonorum Rex ejus nominis IV, Litvanorum Dux Magnus Tertius: cui Respubl. ingentibus periculis pænè oppressa, ita regnum detulit, ut ad virtutem Vitenio, Iagelonioque sanguine propagatam, velut ad solitum in afflictis rebus asylum, superis impellentibus properasse videatur: in uno & Vladislai fratris & Sigismundi parentis trophæa, imo compendium Veterum Heroum, inventura. Verùm à tantæ spei felicitatisque spectaculo, ad ipsa ejus initia oculus avocandus

candus est. Redibat fortè aliquando à bello Prussico Troidenus, & Vitenem puerum inter pares conspicatus; indolem decoro ore non vulgare quidpiam (*ut fermè magnæ fortunæ, sola etiam rudimenta augusta esse solent*) spirantem, curiosiùs demirari: tum occultâ quadam vi agente, spes futuras, quas ipse ignoraret, arctiùs animo complecti. Bonâ deinde parentum veniâ, in familiam Troideni, puer Vitenes translatus est: ubi cum interna animi vis, in dies majoribus se indiciis exereret, adolescens cubiculo præfectus, vir tandem Magister Curiæ, vulgò Mareschalcus creatus est. Troideno & Principi, & multò ante, percarus; consiliorum pænè arbiter, expeditionum socius: denique Lauro auctore, successor. Initia principatus à bello sumpsit: fortasse quòd gloriæ militaris opinionem ad vulgus confirmare vellet. Nam *subita illa fortuna multo* An. 1283.
favore populi, contra aliorum procerum factiones, indigebat: neque erat ad favorem expeditior via, quàm per bellicos plausus. Ferax præterea seditionum, otium est: jam verò cùm externi belli specie,
 & stu-

& studia partium aliò distrahuntur, & Principi illo prætextu militem alenti potentia, absque suspicione, est in promptu: tum certè non multùm ad factiones, seditiosis vacat. Suspecta erat meritò Viteni Fortuna sua; quia repentè summa & tamen quieta: sciebat illam invidiâ carere non posse, nec invidiam turbarum occasione, præsertim quòd neque incentor seditioni aut prætensio, neque Dux bello defuturus esset; quamdiu, ipso imperante, Troideni nepotes privati agerent. Sed hæc Vitenes secum tantùm agitare, longè verò alias ab iis, belli suscipiendi causas, in publicum spargere: illam præcipuè, quâ nulla alia popularior, ut accepta anno superiore, in Iatviezya clades Polono reponeretur. Majoribus solito copiis bellum aggressus Polonorum agros invasit; & per Lukoviam populabundo exercitu in Sendomiriam transiit. In utraque provincia, Polonis in oppida se recipientibus utique sua & vastari passis, impunè igne ac ferro ingentem vastitatem per agros & villas circumtulit: & jam cæsis plurimis, quibus senio vel pueritiâ invalida ætas erat, sex millia

Vitenis expeditio in Poloniam.

millia mortalium præter aliam prædam abigebat. Perlatus ingentis cladis rumor Cracoviam, ubi tunc comitia habebantur, Lescum ad arma ocyùs corripienda excivit: dimissis in Sendomiriam mandatis, uti equites oppidani & rusticani, bello habiles, proximis itineribus sibi occurrerent; ipse rectà cum eis quos præsentes è proceribus aut equestri ordine Cracoviæ habebat, aut ex vicinia opportunè rapere poterat, citato agmine hostem insequitur. Vbi non longè ab eo se abesse intellexit, armatos qui tumultuariè confluxerant recenset, signa, Duces assignat: atque ad pugnam & victoriæ spem, erigit. *Eundem esse hostem, quem superiore anno, ne uno quidem de suis desiderato, vicissent: nomina alia, hunc diversum militem, non verò aut vires novas, aut plùs animi, in bellum attulisse. En quomodo latebras sylvarum beneficio quærerent; priusquam Polonum in armis ab adverso conspexissent: omnino non pugnâ, sed cæde tantùm opus futurum, cum iis qui tam maturè fugerent. Ad populationes & repentinas incursiones comparatos, prædari tantùm, non*

Lesci in Litvanos expeditio.

 acie

acie decernere gnaros; impedimentis insuper implicitos, ex præteritæ fortunæ memoriâ timidos, expediti ac victoris exercitus molem nequaquam laturos. Irent itaque animosè, eriperent barbarorum servituti subditos suos, amicos, conjuges, liberos, quorum jam miserabiles voces penè exaudirent. Non defore superos tam justæ causæ: eandem illis pugnandi causam, quæ superiore anno; eosdem proinde superos adjutores habituram, eosdem eventus. Vt verò majorem *divinæ opis fiduciam (cui maxima audendi vis)* excitaret, singulos ante pugnam, susceptis Pœnitentiæ & Eucharistiæ mysteriis Christiano ritu muniri jussit: ipseque Princeps exemplo suo invitavit. Litvanis, ne illa etiam populatio funesta, ut ante accideret, universa cautiùs administrabantur: præsertim, quòd necdum Lukoviensibus agris excessissent, unde paucarum horarum itinere hostem à castris abesse, non ignorabant. Ad proximas ergò sylvas, cohortes & impedimenta, subducunt, aut præsidii alicujus specie, aut consilii securiùs capiendi causâ. Non poterant certè ibi diu, aut vestigantem omnia hostem

Poloni ad invadendos Litvanos se comparant.

hostem effugere; aut sustinere obsidentem pertinaciter. Sed neque castra, prædâ captivis & debilibus gravia, fugam ita maturare, ut magnis itineribus instanti hosti horarum aliquot intervallo subtraherentur. Si projectis impedimentis, expedito agmine in patriam se contulissent, potuissent omni periculo defungi: tum quòd ipsis longè levior equitatus, & celeritate melior; tum quòd Polono castris occupatis, ac prædâ omni receptâ fugacem hostem per sylvas sequi, non omninò securum fuisset. At verò stabat ante oculos ingens probrum, nec tam dolor amittendæ prædæ, quàm timor ac verecundia popularium. Quantum enim ignominiæ, non prædam modo omnem, sed commilitones, qui cursum in morbo ferre non possent, turpi ante pugnam fugâ, in hostium manibus deserere? Signa igitur in hostem convertere obstinatè decernunt: instanti obviam ire, & maculam superioris anni, si non victoriâ saltem insigni audacia eluere prædam omnem in unum comportant, captivos solicitè

citè vinciunt, præſidium caſtris relinquunt, aciem ut fieri poterat, intra ſylvas inſtruunt. Iam Poloni ad pugnam comparati, in campo capaciſſimâ planitie ante ſylvas exporrecto, aderant: neque Litvani deſperatione animos accedente, moram tulere; mox inſtructis legionibus, citato curſu, è ſylvis erumpunt; atque rectà in hoſtem, cæco impetu feruntur Poloni, præſertim oppidani agreſteſque & qui *bellandi (ut accidit, cum miles tumultu legitur) rudes*, admirari audaciam: tum & trepidare, quòd quibus fugientibus ſe inſtare hactenus exiſtimaſſent, eos repentè tantis animis in arma ruentes, conſpicerent. Leſcus, veritus ne ſubita illa ex deſperatione vis, conſternatos ſuos veſtigio dejiceret, ac vixdum inchoatâ pugnâ aciem totam loco moveret, Zegotam Palatinum Cracovienſem, cum unâ legione veteranorum, & aulico ſuo equite, incurrentibus Litvanis objecit. Suſtinuit Zegota fortiter impetum: ita ſpatium cæteris (Leſco ubique annitente) recipiendi animos, & pudore metum excutiendi,

Polonorum cum Litvanis pugna, & victoria.

tiendi, datum eſt. Senſim interea Litvanis, qui initio pugnam orſi erant, primus ardor remittere. Id verò ubi Leſcus ſenſit, ultima ſigna progredi jubet, & primam legionem inſtaurato impetu in hoſtem ſe erigere: moti eo pacto, qui in anterioribus ordinibus pugnabant Litvani, aliquantùm ceſſere; planè tum integris, qui ad præſidia conſtiterant, tempus erat ut ſuccederent feſſis, & prælium reſtituerent: ſed hi ut primos inclinari viderunt, ſtatim & ipſi in fugam effuſi ſunt. Cæſa eo prælio in campo aliquot Litvanorum millia, neque pauci in fuga perierunt: præda omnis recepta, multi deinde inter ſylvas palantes ab agreſtibus trucidati. Vtriuſque tamen anni victoriâ damnum compenſari non potuiſſe ſcribitur, quod iiſdem annis à Litvano acceperat Polonia: Lukovienſi territorio, & Sendomirienſi atque Lublinenſi Provinciis, planè vaſtatis ac exuſtis. Interea verò dum Litvani hoſtem extra inauſpicatò laceſſunt, Crucigeri Equites debellatis integrè Pruſſi nominis populis Litvaniam

niam infestare cæperunt: vel commoditate belli in hostico gerendi; vel, nisi me conjectura fallit, Pelussa instigante. Hic enim è Magnis Litvaniæ Ducibus ortus, Stroinati Daumandive filius, aut ob factiones proscriptus aut alia de causâ inter Crucigeros circa ea ferè tempora exulabat: & Principatu in alienam domum derivato; ipse M. Ducis titulos, privata authoritate extra patriam usurpabat. Habebat alios quoque ex proceribus suæ fortunæ socios, Stumandum & Girdilonem viros & gestis in Litvania magistratibus, & splendore familiæ claros: qui eodem religionis Christianæ causâ transierant. Cum igitur Litvani medio Autumno in Sendomiriensem illam expeditionem intenti essent; Crucigeri primâ hyeme Nemeno gelu adstricto, per glaciem faciles transitus præbente, Duce Magistro Conrado de Tierburg in Litvaniam irruperunt. Bifariam agmen divisum est. Pars Bissenam arcem, extractâ in meridiem ab aurora oppugnatione, captam exussit: altera viciniam circumjacentem

Pelussa Litvanus, Prussos contra Litvaniam concitat.

Litvania à Crucigeris vastatur.

tem depopulata est: in reditu tamen insignem jacturam passi sunt; nam glacie Nemeni, necdum satis solidâ, sub onere fatiscente, magna pars exercitus & prædæ, vorticibus est hausta. Transmisso quietè vere, cum æstate rursus novi motus. Stumandus qui nuper in Prussiam profugerat, cum Prussico milite Grodnensem insperatò tractum invasit. Capta est arx Grodna cruentâ expugnatione: & præsidio exciso, munitio omnis diruta, aut exusta: equitatus duorum ferè millium ad populationes inde dimissus, ingentem omnis generis prædam ex agris abegit. Litvanæ etiam aliquot cohortes interea per confinia Poloniæ prædabantur: cùm redirent in locum hoste insessum deductæ, pænè jam domi internecione perierunt. Auctores cladis fuerunt Numo & Dersco Bartensii, Prussi nominis magnates, qui è Prussia profugi tùm apud Litvanos exulabant, & novâ illa Litvanorum proditione, veniam apud Crucigeros, præteriti flagitii sperabant. Circa sequentis anni initia, fortuna

Litvanis nihilo quietior : non tamen ita
An. 1285. immitis , ut nuper : Æmulatione fortasse rei à Stumando ex voto Crucigerorum confectæ , Girdilo (hic quoque è Litvania nuper profugus) à Magistro exercitum obtinuerat , operam suam contra Litvanos pollicitus : ducebat tacitum agmen angustis per sylvam callibus, ut insperatus Oncaimo arci superveniret. Sed monitum de hostium adventu Grodnensis arcis præsidium , in ipso itinere interceptum hostem, vix cladis nuncio superstite , cecidit. Samogitia ab hoste libera fuit : domestico autem malo vehementer afflicta. Insolitum vermium genus , per agros ingenti copiâ exortum , cancris aut scorpiis simile , magnam in populo stragem fecit : quicunque à bestiola ictum accepisset , ultra triduum non vixit , neque medicamentum ullum præsentissimæ morti obviare poterat. Idem malum per Prussiam & Curlandiam grassatum est. Maturâ jam æstate Litvanis deinceps tantum ocii fuit ut etiam alienis expeditionibus sufficerent. Evocati à Conrado

Samogitiæ clades, à venenatis vermibus.

rado Cirnensis Mazoviæ Duce , Gostininum Ladislao Cujaviensi interceperunt ; atque præsidio partim cæso , partim cum cætera prædâ abacto , arcem exspoliatam Conrado tradiderunt. At verò,ut *nunquam periculo vacat , hoste in auxilia uti , quòd brevem illam armorum societatem in rem suam occultè ordinare soleat, & rebus per amicitiæ occasionem perspectis , securiùs deinde inimicitias exercere :* ita Conrado evenit. Litvani qui Mazoviæ ulterioris populationibus aliquot annos abstinuerant, cum liberè nuper per eam Provinciam sub sociorum titulo Gostininum transmitterentur, opulentiâ regionis,quam pax alta restituerat , ad prædam ; prædæ amore ad bellum illecti ; vix deductis domum Gostinensibus spoliis , auctis viribus in Conradi ipsius ditiones redierunt , repentè è sociis hostes. Sochaczovia & Plocia eo impetu occupatæ : prædia & quidquid per agros ad prædam abduci non potuit, igni vel ferro,penitus absumpta. Tenuit deinde quietos domi , accepta , quæ sequitur , clades ingens. E tota Litvania

Litvani suppetias Duci Mazoviæ ferunt : & mox Mazoviam invadunt.

 præci-

An. 1286.

Præcipui Litvanorum Magnates, à Pelussa in convivio oppressi.

præcipui Procerum aderant, ad solennes nuptialis convivii epulas, à quopiam Principum invitati: nunciatur interea à suis exuli Pelussæ, quæ res erat: posse nimirum ab eo, totam penè Litvaniam in uno prædio aut capi, aut si malit exscindi. Modò cum milite, insperatus superveniret: certè non defore inter ipsos Litvanos, qui partes ejus strenuè acturi essent. Non difficile ad fidem consilium visum, & Alberto de Misnia Præfecto Regiomontano, à Pelussa communicatum, auctoritatem reperit. Non indigebat res magno exercitu: exiguus miles sed promptus, expeditus & audax, neque in consilium Ducis nimiùm curiosus, suffecturus erat. Nesciri enim omnino, quid ageretur, à vulgari milite oportebat: ne ad comitatum Pelussæ res sermone vulgata, incideret in aliquem, qui futuræ cladis commiseratione, aut horrore motus, populares suos præmoneret. Ducendus deinde miles ita erat, ut ne quisquam hostem fines transiisse, priùs sentiret, quàm negotio confecto: cujus tota moles,

moles, non tam in illorum copiis, quàm in Litvanorum securitate augendâ, consistebat. Paucos itaque omnino expeditionis comites deligere visum; cum quibus & sylvas angustis tramitibus penetrare, & hostem fallere, promptius esset futurum: præsertim quòd in ebrios ac semisopitos vim parantibus multitudine nequaquam opus esset. Viginti tantum Equites à Crucigeris accepti, animo & manu promptissimi, Ducibus Martino Golin, & Conrado Tuwil, reliqui è comitibus Pelussæ expeditiores, numerum expleverunt. Ducebat exiguam cohortem notis callibus Pelussa; nequaquam pro tantillo suorum numero, cladem hosti animo ferens. Intempestâ planè nocte, ebrietate & somno oppressos convivatores, intempestivus hospes aggressus est. Excitavit quidem tumultus plerosque, ne in lectis conficerentur; multique arma corripuerant: sed neque armis aut repellendo vulneri, semisopiti ac ebrii sufficiebant; neque consilio, ex periculi, quodnam & unde esset, ignoratione. Præter in-

ter ingentem familiæ numerum, variaque diversæ conditionis ignota capita, soli Duces ac proceres præcipui septuaginta cæsi: sponsus ipse cum sponsa omnesque Senatoriæ fæminæ, cum ingenti prædâ Regiomontum asportatæ. Ita unum illud ferale convivium, omnes pene Litvaniæ familias, morte aut captivitate suorum funestavit: & uno in loco universa Litvania expilata; cum opulentissimus quisque, ut tum res erat, cùm conjugibus & liberis, totas in ostentationem opes secum eò convexisset. Vt tamen respiravit aliquantum ab ea clade Litvania; Vitenes habitis per omnes ditiones delectibus, exercitum alterum in Dobrynios, alterum in Crucigeros destinavit. Vtrobique Resp. ex voto gesta. In Dobryniâ cùm populus die festo universus ad sacras ædes ex agris confluxisset; urbs repentina incursione capta est. cædi & prædationi quod supererat, flammis deletum: tum per viciniam populationibus latè grassatus miles, novem millia captivorum eduxit. Cum Crucigeris verò aperto campo

An. 1287. Dobrynia à Litvanis vastatur, Crucigeri cæduntur.

campo collatæ acies: ubi Magister ordinis Bulhardus Harem cum triginta ejusdem ordinis equitibus occubuit; Litvanus victor abiit. Expectatione deinde belli, quod à Polono in Litvanos magna vi parari nunciabatur, excursionibus ad finitimos temperatum est: ne vel aliò intentos, aliunde tempestas involveret; vel sparsis fatigatisve viribus, sustinendæ tantæ moli non essent. Lescus enim Cracoviensium Princeps, finitimis Principibus, atque adeò fratribus auxilia se ferre velle; & Cujaviæ, Dobryniæ, Mazoviæ injurias ulcisci, palàm ferebat: indictum erat, in eam rem sacrum authoritate summi Pontificis contra Litvanos bellum: neque è Polonia modò, sed è Silesia atque Bohemiâ, vicinisque Provinciis ingens armatorum confluxerat multitudo. Verùm tota tandem tempestas, cùm Litvanos aliquamdiu solicitos tenuisset, dolo Lesci in Mazoviam nihil tale suspicantem detonuit. Defunctus jam (ut videbatur) eo periculo Vitenes, verebatur adhuc ne fortè frater-

Lesci Cracoviensis apparatus in Litvaniam.

fraterno calentia ſanguine arma, in ſe improviſò converterentur, quare quieto ſub ſignis milite, intra fines ſubſtitit. At verò cùm DEI vindicis irâ Sendomiriam, Siradiam & Cracoviam miſerè à Tartaris vaſtari, & Leſcum cum conjuge in Hungariam ægrè evaſiſſe à ſpeculatoribus renunciaretur, tum primum ſecuritatem ab ea parte plenam credere. Dimiſſo reliquo exercitu, ne in caſſum omnino illi tanti delectus abirent, octo millium expeditiſſimo equite Sambiam, Crucigerorum Provinciam, invaſit: neque Crucigeri aut caſtris aut acie congredi auſi; ex arcibus duntaxat intenti, ſi quos prædandi immoderatus ardor, aut commeatus neceſſitas, longius ab exercitu temerè extuliſſet. Vaſtati ſunt latè agri, cæſi agreſtes, præda abacta, non pluribus quàm octuaginta octo ſuis deſideratis, qui audaciùs paulò palati, Henrici à Dobin inſidias incurrerunt. Damnum eâ vice Sambiæ illatum, & proximum, & alios deinceps annos, infeſtos Litvanis reddidit; Crucigeris omni ope Litvaniam vexare

Sambiam in Pruſſia Litvani populantur.

An. 1290.

vexare contendentibus. Raro juſti belli, frequentiùs extemporaneâ prædandi quadam ratione, res per multum tempus utrinque adminiſtrata eſt; neque paucæ aut modicæ, ultrò citroque, eo bellandi modo illatæ clades. Meneho imprimis Magiſter Pruſſiæ circa medium Aprilem, ab obſidione Colaini, quæ prima in Litvania arx Pruſſiam verſùs ad Nemenum erat, bello initium dedit. Quingenti equites è caſtris ad vicinorum agrorum populationem dimiſſi, duorum verò millium pedites oppugnationem arcis pertinaciter urgebant. Centum viginti equitum in arce præſidium erat Duce Surmino viro impigro, & periculorum patiente: fortiter illi quidem inſultus hoſtiles ſatis diu tulerunt, neque incruentam oppugnationem hoſti fecerant; cùm ille aperto campo magis ad vulnera pateret: ſed quia pauci in præſidio erant, carpentibus hoſtibus multifariam exiguas, atque ægrè in totam ſimul muri coronam ſuffecturas vires, magis ipſi ſentiebant damnum: & jam, cùm duodecim ſoli ex

Litvania infeſtatur à Crucigeris.

propugnatoribus absque vulnere essent, summa rei ad periculum venerat, nisi error hostium desperatæ fortunæ vices permutasset. Sub noctem fortè redibat ex agris hostilis eques, successu, & prædâ lætus, neque sine tumultu; auditæ à longè equorum, hominumque confusæ voces, & sonitus venientium, speciem exercitus adventantis, ut erat, fecerunt: pedestres copiæ, quæ tunc extremis planè viribus in muros assultum apparabant, fato quodam sui equitis oblitæ, Litvanum ad solvendam obsidionem magno exercitu properare ratæ, hostem adesse inclamant, & per tumultuariam fugam desertâ oppugnatione in naves diffugiunt. Agnito deinde errore ad obsidionem redeunt: at Surminus spatio oblato in rem suam usus, jam præsidium cum præcipua suppellectile ex arce deduxerat: hostis arce vacuâ potitus, & munitione omni dirutâ, ulteriùs progredi ausus non est. Paulò post Ernelio Ragnetanus Præfectus, cum delectis Crucigeri Ordinis viris, adverso Nemeno in Litvaniam navigabat,

gabat, & jam Colainum arcem rursus ab Surmino instauratam, prætervectus fuerat: seu occasionem gerendi capturus, seu quod veteres scriptores addunt, Viennensis cujuspiam Crucigeri gratiâ, hostiles terras videre cupientis. Surminus & odio communi, & dolore nuperi damni, indignissimè ferre, sub oculis inultum hostem tam securè vagari: sed nihil ipse aperta vi tentare potuit, cùm & ille extra teli jactum cursum teneret, & nulla sibi in littore majora navigia essent. Convocat tamen præsidium, & multis hortatur, ut si quâ arte hosti nocumentum adferre quis posset, auderet ingenio, cùm copia utendi viribus deesset. Erat inter reliquos Nodam, ætate juvenis, animo audax, corpore robustissimus, miles: ille Duci operam spondet, modò cæteri se impigrè sequerentur, effecturum certò, ut non pugnæ modò, sed & victoriæ copiam haberent. Rectâ itaque per agros & sylvas hostem adversa aquâ & tortuoso amne lentè navigantem antegressus, quà valles, & arbusta densiora littori immi-

Navis Crucigerorum insigni stratagemate capta.

imminebant, militem armatum in insidiis locat, ipse habitu toto fæminam Polonam mentitus, ubi navis in conspectum venit, ad lachrymas composita voce Polonico sermone ploratum sustulit. *Si Christiani essent, si Polonorum socii, misererentur Christianæ, Polonæ mulieris. Esse sibi in Polonia multas opes & clientelas: superos proinde omnes testari, futurum ut non pœniteret eos auxilii, si quod miseræ tulissent. Sed ut hæc quoque deessent, per communia sacra & religiones obtestari, ne se Christianam eò loci unde nullo negotio ab iis eripi posset, desererent; vel fame miserandum in modum perituram, vel si in barbarorum manus rursus incidisset, extrema quæque in pudicitia, & vita passuram.* Addit voci lachrymas & gestus, qui & fortunam aptè fingerent, & commiserationem vehementiùs urgerent. Nihil doli, aut periculi suspicabantur Crucigeri, littora latè arboribus obsita, regionem incolis desertam suadebant: sed nec mulier clamatura tanta voce videbatur, nisi in propinquo hostes nullos agere, certa esset. Appellunt igitur ad littus, & cum personatam illam mulierem

rem ad navim admittere parant, Nodam saltu repentè in aquas delatus, socios inclamat, navimque apprehensam obfirmato contra omnium remorum vim vestigio, tamdiu detinet donec milites ab insidiis concurrerent, & navi potiti universos conficerent. Eodem anno ex Oncaimi præsidio, cùm in hostiles agros incautiùs excurreret, à Ludovico Lubentelle viginti quinque cæsi. Ab alia verò parte Iezbuto vir præcipuæ inter Litvanos nobilitatis, post vastata quædam Poloniæ confinia, ab Henrico Sutswert Præfecto Balgensi, qui inter Eleam & Narviam fluvios cum mille ducentis equitibus vias insederat, fusus, prædam omnem & magnam partem è quingentis equitibus, quos solos habebat, amisit. Quies deinde utrinque ab armis subsecuta, non pactis mutuò induciis, sed ob autumnales tempestates: quare vix diuturnior ipso autumno. Ineunte deinde Februario Bertoldus Brunhaim Regiomontanus Præfectus, quingentos super mille equites, in Iunigediæ agros duxit.

An. 1291. Litvania à Crucigeris infestatur.

Colainum arx diffugientibus metu præsidiariis capta eſt, atque exuſta ; vaſtatis deinde agris , præter aliam prædam ſepties centena capita in ſervitutem abacta. Erat ille locus excurſionibus Crucigerorum valdè obnoxius : ad ſubitos igitur incurſantium impetus arcendos , præſidium ibi Vitenes communire,primo vere,jubet. Ægrè patiebatur Bertoldus tam opportunum paſſum ſibi eripi : invectus ergò cum exercitu in operas , opus omnino diſturbare conabatur, ſed quòd hoc ipſum ante ſuſpicati Litvani expeditum ad occaſionem militem in proximo poſuiſſent , facilè rejectus eſt. Aliò itaque inde vim convertit: Mederabum undè ſæpiùs erumpentes præſidiarii infeſta omnia in propinquis Pruſſiæ agris reddere, nec pauca damna inferre ſoliti erant, inſperato impetu occupavit,pluresque Chriſtianos ibidem carceri addictos , libertati aſſeruit. Majoribus deinde copiis inter quas, è ſolo Crucigerorum ordine mille equites erant,ipſe Magiſter Meneho Litvaniam ingreſſus, Paſtonoviorum & Ger-

& Gerſoviorum agros funeſta populatione in cineres planè redegit. Eum ingenti cum præda abeuntem aſſecutus Iezbuto, extremum agmen premebat,cui fortè præerat Henricus Sutſwert. Hunc conſpicatus Iezbuto , ſimulque ſuperioris ignominiæ memoriâ accenſus , tota vi ipſe in hoſtem invehitur, & gladium humero adigit: à vulnerato jam Henrico , haſtili medius confoſſus , cum primus in terram rueret averſo gladii ictu inſtantis victoris digitum abſcidit. Iam concurrentibus Ducibus ardere prælium cæperat : jam fortiſſimus quiſque ad tutandum extremum agmen à fronte decurrere ; ſed cum & Litvani amiſſo Duce cederent , & Crucigeri (quòd inſidiarum metu à caſtris avelli metuerent) non inſtarent ; pugna utrinque abſque clade & victoriâ dirempta eſt: præda verò omnis, ſpectante, & fremente Litvano, abducta in Pruſſiam. Exeunte deinde Iunio, idem Henricus mille quingentorum equitum legione per Iunigediæ agros prædas egit , ipſaque arce ita potitus eſt. Cæte-

Iezbuto Litvanus Dux cæſus.

Iunigedia à Ragnetanis capitur , ſtratagemate.

Cæteris circa iter ad insidias dispositis; unam tantum Ragnetanam cohortem ad ipsam præsidii portam rectà contendere jubet. Præsidiarii indignam rem æstimantes, contra exiguam illam manum muris se tueri, maturè in venientem hostem decurrunt: atque jam effuso cursu impavidi insidias prætervecti erant. Tum primum hostis magno impetu consurgit: voces & tela undique erant. Pauci quos primùm sublatus clamor retrò statim egit, evaserunt: reliqui, quos audacia longiùs provexerat, coëuntibus utrinque cohortibus intercepti, & cæsi. Inde populabundus miles Oncaimum ductus arcem oppugnavit, & viciniam exussit. Cum hæc ad Prussiæ limites gererentur, Vitenes, vel auctore, vel conscio ipso Boleslao Mazoviæ Duce, per subjectas ei ditiones exercitum, absque cujusque injuria, in Polonos duxit: totamque Cujaviam incredibili celeritate, antequam Poloni ad arma concurrerent, planè populatus, opulentam prædam abegit. Apud solum Dursbuchium reperio, hac

Vitenes vastat Cujaviam.

hac etiam expeditione, magna vi pugnatum esse, cum Ladislaus & Casimirus Polonorum Duces, Magisterque Prussiæ Meneho, abeuntem Litvanum secuti essent: sed multitudini hostium tumultuariam Polonorum paucitatem cessisse, Crucigerorumque auxiliares copias multis in prælio Germanorum amissis, fusas, fugatasque. Intentus proinde in ulciscendi opportunitates Meneho, refecto, auctoque exercitu, totis omninò simul viribus, Litvaniam intrare constituerat, igne & ferro quàm profundissimè grassaturus: & jam fines inter sylvas transgressus, propediem erat legiones infestas ad agrorum vastationem dimissurus. Vitenes quòd in arcendum aperto campo hostem non satis vires collectas haberet, arte rem suam cæpit agere: dispositis per opportuna sylvæ loca armatis, cùm Prussorum reliquiis (quos suapte Crucigerorum dominationi infensos, auctis criminatione variâ odiis, faciles ad proditionem repererat) condicit, ut inchoata per suos à fronte pugna, ipsi à lateribus in hostem

An. 1292.

Crucigeros ab infestatione Litvaniæ rejicit.

hoſtem inveherentur. Monitus de proditione Meneho, ante deſtinatum pugnæ diem, vix ſe periculo eripuit, exercitu in Pruſſiam ægrè recepto. Neque ferè amplius quidquam eo anno utrinque actum: nam & Crucigeris erat metus ex ſuſpicione, ne quid à Pruſſis capto per abſentiam militis tempore domi novaretur: & Litvanis commodius viſum; expectare donec in Pruſſiâ aliquid turbarum erumperet: nam injecta nuper à Vitene libertatis mentio, & cupiditatem ejus facilè inter Pruſſos moverat, & ſacrorum Chriſtianorum odium: quod deinde ſermonibus popularium fovebatur, atque inde rebellandi ſtudia gliſcebant. Quare Conradus Stange Ragnetanus Præfectus, cum intellexiſſet Litvanum in vicinia ſub Ingedino armari, ne qua daretur Pruſſis occaſio ad propinqua caſtra transfugiendi, ſub initium rebellionis collectum militem ſubitò eſt aggreſſus, & non paucis cæſis univerſos diſſipavit. Tempore deinde ipſo (*ferè enim populo breves affectus ſunt*) evaneſcentibus in-

bus inter Pruſſos rebellandi ſtudiis, ſoluti eâ curâ Crucigeri, ad externa bella rurſus redierunt. Cum bis Meneho ipſe in Lit- *An. 1293.* vanos duxiſſet, à Iunigedo, & Viſta arcibus rejectus, in urbana duntaxat ædificia flammis deſæviit. Miſſi à Vitene, qui ab- *Skaloviam in Pruſſia Litvani vano eventu tentant.* euntem hoſtem ita ſequerentur, ut vitatâ quâ exercitus redibat viâ, flexoque ad partem agmine, improviſi præſidium aliquod occuparent. Conſilium id erat Pruſſi cujuſpiam, qui nuper ad Vitenem tranſierat: hic, ne aûctor ſuſpectam rem faceret, ipſe aut ſocium, aut Ducem ſe ei facinori offerre; miles daretur, inſtare. Abſolvebat præterea omni metu ſpem, quòd ex redeuntis exercitus ſui, poſt vaſtatos hoſtium fines, famâ, præſidia Crucigerorum finitima, ſolutiore curâ agere putarentur. Longè tamen ultra votum eventus hæſit. Skalovitícum oppidum,& arx ad ſubitam illam vim deſtinata fuerant. Et quidem facilè primo impetu cæſi ſunt, quos ignaros omnium, armatis venientibus caſus objecit; ceciditque ibi Ludovicus Oſſe, primæ apud ſuum ordi-

ordinem nobilitatis: cæterùm non potuit negotium tantâ celeritate expediri, ut invectus toto cursu miles, portis non excluderetur. Instabant tamen Litvani, & eo quo venerant impetu, de viâ in muros subire nitebantur; atque jam pænè munitiones capiebantur, quamdiu *ex primâ periculi specie, turbati præsidiariis animi, non satis (ut in subitis solet) quid agendum viderent*. Sed sensim tandem ad audaciam redeunte consilio, Conrado maximè & Alberto de Indagin allaborantibus, Litvani qui primo impetu in muros evaserant, loco ægrè submoti, & arx quamquam cruentâ satis dimicatione, retenta. Litvanus, potiundæ arcis spe dejectus, ad prædam militem vertit: oppidum exustum, & agri vastati. Meliore deinde longè successu reposuit vicem Litvanis, Conradus Stange: nam ad Octavum Calend. Augusti, simili arte Mingedinum in Litvania arcem occupavit: cæso præsidio omni, imbellem sexum atque è vicinia agrestem turbam, cum reliqua præda captivam eduxit. Ad eum nuncium Vitenes

Prussiam Vitenes per tres menses vastat & tandem fugatur.

tenes

tenes copias quas ingentes in aliam expeditionem fortè comparatas habebat, citato agmine rapit. Sed jam Crucigeri confecto negotio maturè excesserant: sequi tamen ille abeuntem, domi suæ hostem vestigare; & cum nuspiam exercitum aut castra reperiret, quaquaversum populabundis legionibus vagari. Trium ferè mensium spatio per universam Prussiam cædes ac flammas circumtulit. Crucigeri interea libero campo congredi ferocienti multitudini non ausi, occasionem gerendi observare: in reditu tandem, cum inter angustias, quas ingens turba & præda impeditiores reddebat, deprehendissent, internecione pænè Litvanos delerunt, paucos cum Vitene ipso, amisso reliquo exercitu, sylvæ & fuga servarunt. Toto deinceps anno vehementer Litvania Crucigerorum armis, maximè Ludovico Libentelle*, per intervalla excursiones instaurante, divexata est. E Pistoviensi tractu pecora omnia abacta, multisque mortalium cæsis, septuaginta tantum capita in servitutem abducta.

An. 1294.

Crucigeri sæpiùs Litvaniam affligunt.

 Rom-

Romnove oppidum, ſacrorum & ſummi eorum Præſidis inter Litvanos ſedes, captum & penitus exciſum. Vaykenſe, & Pogradienſe, apud Samogitas territorium, cædibus & prædis exhauſtum, in plures annos vix incolas habuit. Denique qui inter Narwiam, & Nemenum fluvios Litvani nominis populi conſederant, ſub moleſto hoſte, perpetuoque bello, nunc primum laborare cæperunt: eo demum ſequentibus ſexennalis belli malis compulſi ſunt, ut & tributum Crucigeris penderent, & ſolicitati deinceps ad ſocietatem belli à popularibus, neque arma contra hoſtes reſumere auderent, neque excurſuris Litvanis liberum permittere tranſitum. Mirari proindè ſatis nequeo, quid conſilii fuerit Viteni, quòd is (quaſi ſenſus tanti vulneris ad eum non perveniſſet) viſus ſit eam Reipublicæ partem, aut omninò negligere, aut vix curare; ſtudio univerſo in alia conſumpto. Nam per idem ferè tempus, tanquam ſi omnia domi in ſecuro ab hoſte haberet, cum expeditis mille octingentis equitibus per confinia Mazoviæ in Lencicienſem provinciam penetravit. Dies fortè ſolennibus feriis celebris agebatur, quare ingens eo agreſtium, nobiliumque multitudo, è vicinis pagis ad ſacra confluxerat. Improvisò, & ſtatim ab itinere, Vitenes oppido potitus, ad templum negotium & pænè periculum repent: nam ruentem temerè militem incluſa templo multitudo conſternatione in audaciam verſa, pertinaciſſimè rejiciebat; conjectis in ſubeuntes, quæ caſus iraque dabant telis: ſed ſuccenſis in coronam vicinis ædibus, & fumo ac flamma pleriſque exanimatis, tandem templum crudelitati diripientium ceſſit. Ductus inde ad vicinorum agrorum prædas miles, ingentem cladem, quamquam brevi ſpatio intulit. Caſimirus interea Lencicienſium Dux tumultuariam contra ſubitum hoſtem armat manum, aſſecutus haud procul Sohaczovia Litvanos, fortiter magis quàm feliciter ſigna confert. Illud, non dubito, totam rem præcipitaſſe; quòd contemptâ hoſtium paucitate, non ſatis omnia

Vitenes Poloniam invadit, Lenciciam occupat.

Caſimirum Ducem Lencicienſium cædit.

omnia ante ex ordine ad pugnam prospexisset: ratus solo tumultuarii militis impetu, paucos prædatores opprimi posse. Itaque & ipse, magis jam miles, quàm Dux, in confertum hostem ruere, & cum semel impetus ad votum cessisset, iterùm hostilem aciem conari perrumpere; *sed inconsultum sæpe est, nimiâ audaciâ diu fortunam irritare*; cæsus tandem ab hostibus, exercitum quoque perdidit. Nam amisso Duce, facilè miles fusus. Paucos fuga cladi extulit; quod qui hostem evasissent, in Bzuram illati, plerique aquis non ubique vadosis haurirentur. Sub pugnæ tempus non pauci captivorum diffugerunt; tantam tamen multitudinem, eâ vice eductam constans apud scriptores fama est, ut ad triginta sex millium numerum ascenderit, cedentibus in singulos militum viginti capitibus. Hyems successit, & cùm aliquandiu temperatum esset utrinque ab armis, Crucigeri instauratis excursionibus aliquot præsidia in Litvaniâ occuparunt. Magister ipse exeunte jam hyeme Gerszoviam & Pastoviam latè popu-

Triginta sex captivorum millia abducit.

An. 1295.

populatus, arcibus binis exustis, cùm ad tertiam plùs negotii, quàm tempus ferret, reperisset; ne advolante cum suis Vitene; rem periculo permitteret; oppugnatione relictâ, prædam in Prussiam dimisit: ipse militem in Mazoviam duxit, ubi Viznam cùm expugnasset, funditus excidit. Nam quamquam tunc Mazoviis & Crucigeris fædera publicè essent, Boleslaus tamen Dux, Polonis Crucigerisque privatim infensus, præsidium Litvanum eo loco alebat. Polonorum inde Prussorumque agris ingentia sæpè capto tempore damna, è propinquo inferebantur. Latuerat diu fraus: quòd enim neminem, inter prædatorium agmen, nisi Litvanum agrestes unquam conspicerent, opinio erat ex Litvaniâ ipsâ, toties excursiones repentinas instaurari. Re deinde vulgatâ; Boleslaus de injuriâ querentibus respondit. *Se Litvanorum aliquot cohortibus ad suorum præsidia, non ad sociorum injurias uti. Si quid fortè illi attentassent, id quia se invito omnino atque inscio contigisset, fæderibus quæ sibi cum Crucigeris intercederent, fraudi*

Præsidium Litvanum Viznæ in Mazovia à Prussis deletur.

Dd *esse*

esse non debere. Curaturum porrò, ut ne quid deinceps simile ab suo stipendiario milite socii paterentur. At cum nihil ultra verba præstaret, & neque præsidium de arce deduceret, neque injurias prohiberet, vi admotâ à Crucigeris negotium transactum est. Boleslaus nequicquam interea violata fædera criminari. Per Æstatem nihil fermè majore mole gestum: paucissimo tantum milite excursiones utrinque tentatæ, & quòd facilè mireris, simul, ac velut è condicto. Crucigeri ultimis Iulii diebus in Grodnenses agros intenderant, tentaturi quod occasio commodasset: centum quinquaginta militum manus erat, ductu quinque ejus ordinis equitum. Destinaverant illi missis equis, naves conscendere; & tacitè sub ipsa mænia exposito milite præsidium insperato adoriri. Fortasse profecissent aliquid, nisi cùm è via oblatum in ripa pagum spoliant: intempestivâ prædatione, consilia prodendo; eventum corrupissent. Elapsis enim inter eum tumultum aliquot agrestibus, & in arcem delatis, præsidiarii hostem eumque

Mutuæ Prussorum & Litvanorum excursiones.

que

que exiguum in fluvio esse moniti, armati naves conscendunt, & in venientes magnâ vi incurrunt; editâ inde strage, acceptaque, (desideratis nimirum septuaginta) victoriâ tandem potiuntur. Rejecti ita inde Crucigeri, Iunigerdam versùs cursum direxerunt: sed cùm fortè naves inter brevia hæsissent; Litvani è propinquo convolant; & pars navibus, pars vadando impeditum hostem adoriuntur: captæ naves, & fortissimis virorum cæsis, reliqui ægrè se fugâ salvarunt; ducibus omnibus, uno excepto, amissis. Feliciùs Ludovico Libentele expeditio cessit: nam & Kimelos arcem sæpiùs antè magnâ mole, sed irrito conatu oppugnatam in Litvania cepit, & Grodnenses signa secum conferre ausos cecidit. Non ex integro tamen ejus successus voluptate, fruitus est. Domum reversus Skaloviæ suburbana ædificia à Litvanis vicissim exusta; Ragnetam etiam (cujus præfecturam administrabat) adhuc fumantem & per universam eam insulam pecora omnia prorsus abacta, reperit. Præ-

 lusum

An. 1296. *Vitenis in Prussiam & Livoniam expeditio.*

lusum est his tanquam velitationibus futuro anno, quo Vitenes totius exercitus robore bellum gessit. Culmensem imprimis Provinciam in Prussia & Golubrenses agros, latissimè populatus, ingentem inde prædam eduxit. Livoniam deindè invasit: sed nihil ferè ibi memorabile gestum, quòd mox exercitum reducere coactus esset in Litvaniam. Hostem enim domi magnis viribus grassari fama erat; atque hinc in exercitu de suis timor, cumque unum ab altero in dies magis cresceret (nam *ut fama timorem, ita timor famam auget*) signum receptui datum est. Cæterùm & Balgensis Præfectus Sigfridus per Grodnenses agros prædis tumultuariè actis, cum ducentis captivis jam è Litvaniâ abierat, & Henricus Sutsfert, à Bertoldo Regiomontano præfecto ad ipsam arcem obsidendam missus, gravi clade accepta priùs victoriæ desperatione, quàm Vitenis redeuntis timore, ad excedendum finibus coactus est: tamen ut fugientis specie iter maturaret, neque permitteret de via militem prædis immorari,

rari, non parum contulerat fama propè diem è Livonia exercitus affuturi. Reverso è Livonia Vitene, domesticæ inter Rigenses & Magistrum Crucigerorum turbæ exortæ, initia prima biennali bello dederunt. Expugnatis Ethnicis jam Equestris illius ordinis *opes, & cum opibus cupiditas magis creverant*, quàm ut quenquam in Livonia pari secum jure ferrè possent. Fodicabat imprimis cupidos dominandi animos, Reipublicæ Rigensis status, liber & opulentus: quæ urbs ejus regionis & prima & præcipua est; populo commerciisque frequens. Qui eam olim condiderunt, Lubecenses erant: primi in illa littora è Lubecensi portu, vel errore delati, vel vi fluctuum projecti commercia & sacra Christiana intulerunt. Cùm deindè ab indigenis Lotavis bello premerentur, ne armorum solicitudine à commerciis impedirentur, Archiepiscopi sui curâ evocatos è Germania equites, vulgò *Fratres Ensiferos*, postea *Crucigeros* dictos, barbaris objecerunt. Devictis ac penitùs subjectis per eos incolis, ipsi libertatem suam

An. 1297. *Dissidia inter Crucigeros & Rigam in Livonia.*

ut optimo jure ſibi debitam, ita toto conatu retinebant. Contra, Crucigeri niti: vi atque artibus dominationem urbis ambire. Obſiſtebat quidem conatibus eorum, Ioannes Quirinus Præſul Rigenſis, ſed illo demum capto, atque in carcerem conjecto, proculcata omnis æquitas, rem ad apertum bellum deduxit. Rigenſibus quidem nec ſpes, nec vires pares: quia tamen ſuum cuique jus, pacem & modum facere non poſſe videbant; neceſſitate ipſâ, arma & illi corripuerunt. Hinc in Litvania in ſpem apud pleroſque ventum erat, Livoniæ ſtatum inteſtina diſcordiâ graviter laborantem diſſolvi poſſe, ſi vis externa admoveretur. Agere ergo aliqui Primorum cum Vitene, ne maturam occaſionem elabi ſineret; ſed bellum totis ſimul opibus Crucigeris inferret. Plebs etiam, mileſque mirari; *cur Princeps inter civilia negotia ſolidum annum jam traheret: cum ad proferendæ dominationis cogitationem, tanta opportunitas invitaret? An neſciret, Patrum memoriâ magnam Ruſſiæ partem tum occupatam, cùm Ruſſi Duces domeſticis*

ſticis diſcordiis diſtracti, ſinguli impares hoſti eſſent? At verò cautus Princeps, ut non ignorabat diſcordias hoſtium peropportunas ſibi eſſe; ita ſatis perſpiciebat opportuniores eo anno in rem ſuam fore quieſcenti, quàm bellanti. *Recentes enim in quavis Republica diſcordiæ, tanquam vulnus corporis, facilè curam admittunt, nec niſi cum tempore virus ac vires ſumunt.* Itaque inter quietem intentus in eventum bello Livonico abſtinuit, ut diſcordias hoſtium promoveret: nam *quemadmodum externus timor concordiæ vinculum eſt; ita quies ac ſecuritas, diſſenſionum fomes.* Sed neque in Polonos aut Pruſſiam, quidquam interea movit: ſeu quòd neſciret, quàm diuturnum Rigenſe illud bellum futurum eſſet; timeretque, ne (ut *ſæpè repentè inter ſuos convenit*) pace rurſus inter ſe factâ, militem quem in caſtris expeditum haberent, contra communem hoſtem in Litvaniam, ſe abſente, immitterent: ſeu quòd (atque id magis crediderim) in futuri belli caſus vires in integro conſervatas vellet. Nam quanquam ſuâ ſponte Vitenes in Livoniam non moviſſet;

visset; spes tamen erat, fore ut à Rigensibus, qui tanto bello per se impares essent, grandibus stipendiis ad societatem armorum solicitaretur. Factum ut sperabat sequente anno: oblatâ stipendiorum pollicitatione exercitus justus conscribitur, qui bifariam dividendis viribus sufficeret. Legio una ad Novomlini oppugnationem, & vicinorum,circum circa agrorum direptionem, Rigensibus attributa. Robur autem exercitus, ipse Vitenes sub Carcum admovit, acta oppugnatio strenuè,superatæ tandem vi munitiones, capta arx: reliquâ turba cæsâ,quatuor soli equites præsidio Præfecti; cum delectis captivis, servati. Inde ad prædationem victores dimissi, latissimè vastitatem circumtulerunt; agris pagisque igni ac ferro fædatis. Haud procul Livonico sinu populabundos Bruno Magister assecutus, magno impetu ad Treidenum amnem prædâ jam plenos invadit. In arcto ab initio fortuna Viteni erat: fortasse *quòd (ut inter prædas contingit) exercitu uti ad manum non posset*, sparsis per agros cohortibus. Cæsis

An. 1298. Litvani à Rigensibus contra Crucigeros evocantur: eorumque ibidem gesta.

Cæsis octingentis Litvanis, & tribus captivorum millibus ereptis jam victoria & spes non dubiè videbantur ad Crucigeros inclinari, & Litvanus in fugam. Sed *desperatis rebus sæpè pro remedio fuerit, locum fugæ defuisse.* Cùm à tergo mare, à latere Treidenus amnis arcerent; ab alio latere & fronte premerent hostes: effugiendi desperatio, pugnandi necessitatem fecit. Surgit nova animis audacia, instauratur magnâ contentione prælium: tantusque repentinus ille ardor fuit, ut vincentis propè hostis impetum, simul & stiterit & fregerit, atque eodem deinde conatu in fugam impulerit. Fusæ Crucigerorum copiæ; millia aliquot cæde absumpta: Magister ipse cum viginti ferè sui ordinis equitibus, in prælio cæsus. Iunius mensis tunc decurrebat & planè bello tempus: sed *onustus prædâ miles, vix viæ sufficiens, nedum bello gerendo*, domum reducendus erat. Reductus igitur quacunque transiret, ignem ac ferrum trahens. Iussi nihilominus, qui Novomlyni oppugnationem inchoaverant, opus perti-

naciter urgere. Quatuor millia ſimul cum Rigenſi milite in iis caſtris erant, neque ſegniter obſeſſis inſtabant. Sed pænè peractam rem Bertoldus Brunhaim Præfectus Regiomontanus cum auxiliis Pruſſicis in Livoniam miſſus reſtituit in integrum: recente exercitu exhauſtos moleſtâ oppugnatione Litvanos aggreſſus, vicit fugavitque: cæſi plures; plerique fluvio in quem fugientibus incurrere neceſſe erat, hauſti. Paulò poſt Vitenes, ſeu quòd vereretur ne afflictæ ſuâ victoriâ Livonum res, auxiliis Pruſſicis contra Rigam reficerentur, & propterea domeſtici tumultus famâ, à Livonici belli cogitatione Pruſſos abſtrahere vellet: ſeu ut acceptam legionis ad Novomlynum cæſæ cladem redderet, leves aliquot prædatorias cohortes in Pruſſiam immiſit. Et quidem initiis ejus excurſionis, non infauſti progreſſus erant. Vltra cætera damna hoſti illata, Strasburgum oppidum ipſis D. Michaelis feriis exeunte Septembri direptum eſt, magnâ inter populum, qui frequens ad templa confluxerat,

Pruſſia à Litvanis infeſtatur.

rat, editâ cæde. Multa ibi inſolenter atque ſacrilegè in Chriſtianas religiones tentata, fædâ ſacrorum vaſorum violatione: ſed ut *rarò poſt ejuſmodi ſcelera tardat pæna:* in ipſo reditu vindicem contempti Numinis iram Sacrilegi prædatores experti ſunt: à Præfecto Culmenſis Provinciæ, Conrado Sak univerſi prorſus cæſi. Proſperiore longè *An. 1299.* fortuna uſi ſunt ſequente anno ſexcenti equites. Cunno Brandeburgenſis Præfectus juſtis copiis Litvaniam ingreſſus, finitimorum præſidiorum Iunigerdæ & Piſtæ ædes extra vallum ſitas exuſſerat: inde, auctum validâ Ragnetanorum manu exercitum, in interiora navibus deportabat. Occurrere ſecundo & flumine & impetu Litvani; atque uno è ſuis duntaxat deſiderato, hoſtem ab eo curſu averterunt. Cùm hæc navalis concertatio in Nemeno inſtitueretur, ſexcenti equites in Pruſſiam irruperunt, & vaſtatis de viâ agris, trepidatione viciniam impleverunt; ignaris agreſtibus quò & quantis viribus, impetum hoſtis daturus eſſet. Monitus de hoſte Cunno, &

no, & suspicatus Natangiam (hæc enim in proximo erat) ab eo peti, rapit ab itinere citatum agmen, captoque ad insidias struendas oportunè loco, transiturum illac, operitur. Oppressi fuissent proculdubio Litvani; si incautiùs rem agentes, insidiis se iis induissent: sed fraudem maturè per vigiles subodorati, tamdiu profundioribus sylvis arma occultarunt; donec Cunno ratus eos jam excessisse, atque adeo omnia ab hoste tuta, exercitum dimisisset. Tum primùm Litvani è latibulis coorti, securè per agros effundi: atque universam provinciam miserè vastare. Cæsis plurimis, prædaque aliâ pleni, ducenta tantum & viginti capita in servitutem eduxerunt. Continuatæ etiam sequente anno in Livoniam Prussiamque expeditiones: & instauratis identidem levibus excursionibus, utriusque provinciæ equites magis exagitati, quàm attriti. *An.* 1300. Aliquot cohortes expediti militis iis occasionibus Litvani amiserunt, quas Præfectus Brandeburgicus inter angustias deprehensas ita cecidit, ut tres

tres soli ad nuncium cladis, cladem vix evaserint. Secutis deinceps inter Rigam & Livonicos equites induciis, à Livoniâ temperatum: quòd novi per id tempus in Poloniâ, post exactum nuper regno Ladislaum Lokietek, exorti tumultus, faciliorem ibi prædationem pollicerentur. Sex millia igitur in Dobryniam insperato impetu immissa, universam Provinciam planè vastarunt. Communis sociorum clades, involvisset etiam Culmenses agros, nisi Drweca solito magis aucto alveo difficiles transitus, onusto jam prædâ militi, reddidisset. Tumultuaria Polonorum manus, abeuntem Litvanum assecuta quidem fuerat, & spe recuperandæ prædæ, ab itinere in ultima agmina animosiùs invecta: sed cùm robur ibi ipsum exercitûs reperisset, & impedimenta omnia in frontem aciei subducta; non ausa collatis signis ad justum prælium fortunam deducere, receptui cecinit. Accendit levis hic successus, majoris *prædæ cupiditatem*: quam, *ut semper militi, ita maximè in secundis eventibus moderari, per-*

E Livoniâ in Poloniam arma Litvani vertunt, Dobryniam vastant.

An. 1301.

Culmenses agros infestant, & profligantur.

difficile est. Quia verò integer exercitus in Culmensem agrum transportari opportunè non poterat, Ducum hortatu promptissimi quique ac fortissimi equites, operam pro exercitu suscipiunt. Delecti è toto numero centum, qui fluvium transierunt; atque tantillo numero, medios in hostes se immittere ausi: vastaverunt aliquantum agros, priùs quàm è vicinis præsidiis militem Crucigeri in campum rapuissent: his deinde confluentibus fædè profligati, cùm septuaginta amissis reliqui ægrè evasissent, ad suos delati, magnâ trepidatione castra impleverunt. Certè, tantùm in urgendo itinere properatum, tumultuatumque est per castra: ut res, ab effusâ fugâ, nihilo differret. Hinc deinde accidit, ut cùm per Narviam tumultuariè trajicitur, magna militis & prædæ pars vorticibus hausta perierit. Neque meliorem eventum alteri Litvanorum manipulo Lubaviæ exspoliatio attulit. Quinquaginta equites (post vastatos agros, agrestiumque plurimos, quos inermes subita vis occupaverat, cæsos) prædam

prædam & captivos securi domum ducebant; hi à Crucigeris ex itinere circumventi, pœnas temerariæ seu audaciæ seu cupiditatis luerunt, commilitonibus quindecim & non exiguâ parte prædæ, amissa. Litvanis Crucigerorum agros infestantibus, neque ipsi quieverunt. Conradus Magister ingenti exercitu Samogitiam aggressus, Karszovianum agrum latè depopulatus est. Exigua tamen in homines edita strages; quòd incolæ, ædibus ad hostiles injurias relictis, se & quidquid cariùs amarent, silvis profundioribus abdidissent. Eodem anno Onkaimum arx proditione perdita. Draico erat arci Præfectus, Christianis sacris suaptè pridem antè addictus. Hic, quòd hac religione superos colere, inter suos fas non esset, ad hostem transire destinat: sed priùs insigni proditione eundem demereri. Internuncio itaque Pinnone filio, communicata cum Volrado Ragnetano Præfecto consilia; condictus dies: Draico tùm ipse nocturnis excubiis præerat, cùm Volradus per tenebras exercitum

Crucigeri vicissim Litvaniam infestant.

citum arci admovet: apertis portis, acceptus intra arcem; militem, omnemque ætatem bello habilem, penitus excidit; pueris ac fæminis in servitutem redactis. Vnicus Sudagonis filius, ingentis ut fortunæ, ita & animi juvenis, cùm accepto gravi vulnere, neque ampliùs se tueri, neque pertinaciùs pugnando, hostem ad cædem sui irritare, potuisset, captus & servatus. Proditor cum universa familia Ragnetam translatus; Christiana, ut spoponderat, sacra suscepit. Belli deinde Polonici cum Russis societas, à Prussicis Livonicisque expeditionibus Litvanum avertit. Lublinum quod septem & quinquaginta ante annis Poloni amiserant, armis apud Russos repetebant. Magnis utrinque viribus id bellum procuratum gestumque: præsertim à Russis, qui Scythas & Litvanos inter auxilia adsciverant. Commisso prælio Polonus superior fuit. Nam cùm Lunæ instar diductis in cornua latè utrinque alis, mediam aciem Russi extenuassent, Polonus totâ vi in unum cuneum collectâ, facillimè gravio-

An. 1302. *Bellum inter Polonos & Russos, quibus Litvani suppetias ferunt, atque funduntur.*

graviore equite medios ordines perrupit, viamque ad victoriam aperuit. Neque amplius Russi aut prælium restituere; aut resistendo, victoriam morari: effusi in fugam, cæduntur à victore Polono. Plurimis tunc saluti fuit Lublinum in proximo fuisse: quanquam & hoc cladi, quam tantisper distulit, avertendæ non suffecerit. Aucto enim intra vallum milite, cùm commeatus pro numero non esset, neque inferri, intento in omnia hoste, posset: tamdiu obsidione victor urbem fatigavit, donec fames deditionem extorsit. Non exiguam ejus cladis partem, ad Litvanos pertinuisse, non vana suspicio est; quòd annum deinde integrum reparandis quiete viribus, impenderint. Sed abrupere breve otium novi è Prussia motus. Vernerus Comes de Honemberg, & Adolphus de Wentimel, aliique Rhenanæ militiæ Proceres, in Prussiam fortè venerant. Accessione horum auxiliorum Conradus Magister erectus, duplici exercitu Litvaniam aggreditur, & Grodnenses agros quàm latè pate-

An. 1303.

An. 1304. *Bellum Prussorum contra Litvanos.*

 bant

bant vaſtiſſimè populatur. Regiomontanus quoque Præfectus Everardus de Wirneberg Onkaimo arce, quam à Pruſſis nuper everſam Litvani inſtauraverant, rurſus Suirtilonis proditione potitus, præſidium excidit & munitionem ſolo æquavit. Inde in circumjacentes agros debacchatus, ingentem cladem edidit, cum ipſe vix triginta è ſuorum numero deſideraſſet. Sequente anno cum ad comitia utrumque ordinem Vitenes evocaſſet, Sambienſis Præſulis Præfectus Philippus de Hollandia, per ducum nobilitatiſque abſentiam gerendi occaſione captatâ, finitimis agreſtibus vaſtitatem intulit. Vbi hoſtem adeſſe, & flammis in agros vicoſque ſævire nunciatum eſt: Princeps ipſe, levem mille quingentorum militum equitatum ad reprimendos ulteriores progreſſus citato agmine rapit. Iam Pruſſi finibus exceſſerant, cum inſperatus Vitenes à tergo ſecuros adoritur: prælium tunc totum intra extremos coëuntium ordines ſtetit: nam ſeu aliâ quavis de cauſâ, ſeu quòd ignota utrinque

An. 1305.

Vitenes Crucigeros prædatores inſequitur.

que exercitûs multitudo, ſuſpectum pugnæ eventum ducibus redderet, cæſis hinc & inde aliquot, à graviore conflictu ceſſatum eſt. Circa idem tempus in Livonia ad Dubnam pugnatum traditur: ſed neque cauſæ, neque eventus pugnæ, memorantur. Reverſo è Pruſſia Principi, acceptus de domeſticis per Poloniam tumultibus nuncius, Polonicæ expeditionis animum ingeſſit. Collectis ad Grodnam copiis juſtus conficitur exercitus: & Mazoviis, vel ſuaptè conniventibus; vel, quod etiam ſimile vero eſt, ignorantibus (occultis enim ac propè inviis itineribus per Mazoviæ ditionis ſylvas ducebatur) in Poloniæ majoris agros erumpit. Subito impetu Caliſſium & Staviſinum civitates occupatæ, non ſenſerunt hoſtem, niſi cum flammis, & ferro, intra mænia ſæviretur. Agri circumjacentes latiſſimè vaſtantur, ingens pecorum hominumque præda abigitur. Cùm hæc in Polonia à Litvanis geruntur, nemine aut vim repellente aut abeuntes infeſtare auſo: Conradus Magiſter ex Polonæ

Reverſus ex Pruſſia in Poloniam movit.

An. 1306.

 cladis

cladis nuncio ſuſpicatus, quod res erat, Grodnenſe præſidium cum reliquis copiis in Poloniam eductum, Alberto Indagini commendat, ut arcem Grodnam oppidumque defenſoribus vacuum inſperatè adortus, in poteſtatem redigat. Iam è proximo arci imminebant hoſtes, inſidiarum non malè ceſſurarum ſpe, læti: cùm coorta inſolita tempeſtas conſilia diſturbavit. Vehemens pluvia, nebula craſſior, & tetris nubibus propè in noctem verſa lux, non armorum modò uſum, ſed & conſpectum mutuum, eripuerant: deinde inter continua tonitrua, turbinem, & effuſæ pluviæ ſonitum, nec duces juſſa dare, neque miles exaudire poterat. Deſperatâ itaque arcis oppugnatione, quam neque inchoare permittebat tempeſtas, neque differre timor periculi, quod creari poterat, ſi paucitas ſuorum hoſti patuiſſet: oppidum tumultuariè aggrediuntur. Cives aut cæſi aut capti, quibus primus irruentium impetus fugam antevertit: reliquis in arcem fugâ elapſis; ædibus ſpoliatis flammæ injectæ.

Pruſſi abſente Vitene Grodnam adoriuntur.

Major

Major ea ſtrages fuit, quàm pro numero hoſtium: nam ultra trecentos ſtipendiarios & aliquot Crucigeri Ordinis equites non aſcendebat: præda verò tanta quantam pauci avehere poterant. Sed Præfectus Regiomontanus Everardus, his nequaquam contentus, illud imprimis dolebat, eodem impetu arcem non fuiſſe occupatam: ratuſque pronum futurum ex ipſis exuſti oppidi ſedibus eam expugnare, ſi majores copiæ admoverentur; cum ſex millium legione, & centum ordinis equitibus, ipſe illam expeditionem ſuſcepit. At jam ante Vitenes præſidium arci ſubmiſerat, fortiſſimos quoſque & ſimilibus caſibus exercitatos: qui hoſtiles conatus, ſi quid fortè moliri pergerent, fortiter reprimerent. Primum inſultum in muros Crucigeri ſolicitè apparabant, rati exiguo præſidio totas defenſionis vires intra mænia tantùm collectas eſſe: ſed præſidiarii eruptione factâ, ab oppugnatione ad apertam pugnam hoſtem averterunt. Acta res utrinque diu & pertinaciter, gladiis, collatoque pede:

Pruſſi ab oppugnatione Grodnæ rejiciuntur.

 donec

donec Litvani in portas rejicerentur. Receptis deinde aliquantum viribus, novo ardore in pugnam itum, repulsique Prussi in castra. Tenuit ea vincendi vicissitudo utrique parti satis cruenta, ab ortu solis in meridiem ipsam. Tandem cæsis hinc & inde audacioribus, non sine suâ clade arcis oppugnationem Prussi deseruerunt. Per idem tempus rem ut factu admirabilem, ita memoratu non indignam in aulâ ipsius Principis contigisse, traditur. In communem carcerem disparibus ex causis detrusi fortè fuerant, Litvanus & Russus: Christianus hic, ille Ethnicus. E fortuito colloquio in controversum de religionibus sermonem utroque dilapso; suadet Russus Litvano, Christiana ut sacra suscipiat: id si superis ritè voveret, & voto damnatus cereum se ingentem in Ecclesia locaturum, anathematis vice sponderet, futurum omnino contestatur, ut divinâ ope è carcere liberaretur. Sequitur consilium Russi Litvanus, & vix jusjurandum absolverat, cùm & catenis suaptè confractis pedes in

Voto Christianæ religionis concepto, divinitus è carcere liberatur.

des in fugam cæperunt expediri, & carceris januæ sponte fugitivo patuere. Initium proximi anni, si validius gelu habuisset magnæ per Litvaniam stragi opportunam viam aperuisset. Recens exercitus, Duce Ioanne Comite à Spanheim, è nobilissimis Germaniæ equitibus confectus, in Prussiam venerat: huic mille quadringenti Ordinis equites vires suas conjunxerant; socii ducesque, hospitibus Germanis in Litvaniam futuri. Consilium utrisque erat munitionum oppugnatione vires non terere: sed integro milite ad profundiora Provinciæ penetrare, & latissimè per ea quorum oppugnatio non esset in difficili, ferro flammisque grassari. Destituit hoc consilium eventus. Infirma enim glacies necdum ferendo transeuntis exercitus oneri sufficere poterat: itaque quòd transitus difficillimos reperissent, infectis rebus ab inchoata expeditione rediere. Primis postea mensibus æstivis, iterumque exeunte jam æstate, Puteba oppidum Iuriæ amni imminens, à Ragnetanis exustum est; civibus

An. 1307.

Expeditiones Prussorum contra Litvanos.

vibus aut captis aut cæſis; paucis, qui ſpatium evadendi in arcem habuere, ſervatis. Nec multò poſt Biſſenenſe præſidium, cùm exacto ſtipendio ab arce deduceretur, in via cæſum eſt. Mos erat Principi ex univerſo equeſtri ordine certos per vices deligere, & in finitimas hoſtibus arces præſidio deſtinare. Qui deinde ſubmiſſis à Principe poſt paucos menſes aliis, domum abirent, evocandi rurſus in eandem ſtationem, cum vertente ordine ad eorum nomina idem munus rediiſſet. Ea tunc erat legitima præſidiorum inter Litvanos ratio, exercendæ ad res bellicas *juventuti, quæ otio facilè animos audaciamque militarem ſolvit*, accommodata. Obſervatum itaque tempus quo octuaginta ſex equites è Biſſena arce deducerentur, Ragnetanis rei gerendæ occaſionem dedit. Nam in ſecuros ex inſidiis compoſito agmine coorti, univerſos ferè cecidere. Carſzovienſem deinde Samogitiæ agrum, tùm eo ipſo anno, tum ſequentibus, ita Pruſſica arma infeſtum reddiderunt: ut paucis pòſt annis incolæ deſperatas res

Vetus Litvanorum mos imponendi præſidia arcibus.

tas res in Litvaniam transferre ſint compulſi. Ita deſertæ propugnationibus arces Stroveita & Biverunita hoſti & flammis ceſſere: & paulò ante Puteba arx à Spudone Præfecto prodita eſt. Vir hic nobilitate inter Litvanos celebris, ſolo Chriſtianæ religionis deſiderio cum parente ac prole univerſaque familia, in Crucigerorum jus ſuaptè conceſſit. Pruſſis finitimos Samogitiæ agros infeſtantibus, Litvani cum aſſiduo ac ferè domeſtico hoſte, ita rem bellicam adminiſtrabant, ut domi vexati, nihilo ſegniùs ad externa intenderent. In Polonia Caliſſiam & Siradiam per Octobrem populati cum vindex nullibi occurreret, præda pleni, integroque exercitu, abſque pugna reverſi ſunt. Eodem anno in Ruſſia Polociam expugnatam Ruſſis authoribus accepimus: nihil illi memorant à quonam ſemina hujus belli jacta, cùm jam longè ante, eam civitatem cum univerſa provincia Litvani juris factam, apud ſcriptores in plano ſit. Samogitæ ſive ut bellum à ſe Pruſſicum in Pruſſiam averterent,

An. 1308. Samogitarum expeditio in Pruſſiam.

rent, ſive ad hoſtem mutuis populationibus vexandum Sambienſes agros latiſſimè vaſtarunt. Quinque millium exercitus erat, Ducibus Monſtone & Sudargo: ſatis certè etiam aperto campo, cum hoſtem adventare nunciaretur. Sed miles prædæ ſervandæ, quàm hoſtis delendi cupidior, nolebat certam fortunam in dubios eventus
An. 1309. conjicere: itaque antequam hoſtis caſtra caſtris conferret; citato agmine, præda omnis evecta. Novi deinde per Crucigeros concitati motus, Litvanis primùm otii, tandem etiam belli opportunitatem præbuerunt. In Livonia ſedatæ nuper cum Rigenſibus lites, rurſus Equitum Livonicorum injuriis recruduerant. *Livonicæ & Pruſſicæ turbæ.* Pruſſi verò ſubactâ jam planè univerſâ Pruſſiâ, captiſque latè de Samogitia agris, ad Pomeraniam, Cujaviam, Michaloviam aliaſque provincias Polono detrahendas animum adjecerant. quo ipſo tempore Magni in eo ordine Magiſtri ſedes, Venetiis Mariæburgum tranſlata eſt. *Ita ſemper ab externis præſidiis plus periculorum, quàm commodi! Socios ſe meminerunt,*

runt, quamdiu, nondum firmatis viribus, juſtus timor gliſcentem ſub pectore cupiditatem premit, & ad reverentiam componit. At ubi per communis hoſtis damna, ſub titulo ſociorum res ſuas ſtabiliverunt: mox ex confidentiâ virium, ſocietatem aſpernari; & cupiditate retrò acti in hoſtibus illos numerare, quibus grati eſſe nolunt. Neque difficilis deinde eſt armorum prætenſio; ubi belli cauſa, ſemper in promptu eſt, cupiditas. His itaque ex cauſis Crucigeros in Polonica & Rigenſia bella intentis, Litvani annuo otio utcunque ab armis reſpirarunt. Ab ea quiete *An.* 1310. Gualezute Principis filius in Livoniam duxit, totamque latè populatus, ingentes prædas abegit. Ipſe deinde Princeps Vitenes exeunte hyeme Pruſſiam adortus, per Sambiam & Natangiam ferro & flammis *An.* 1311. vaſtiſſimè ſævIit: exuſtis agris, cæſis agreſtibus quingenti tantùm è præcipuis in ſervitutem abducti. Non auſi Crucigeri, *Mutuæ inter Litvanos & Pruſſos agrorum vaſtationes.* aut prædas agenti occurrere, aut abeuntem ſequi, datâ operâ tamdiu quieverant, quamdiu Viteni miles in armis erat. Cæterùm ut primùm ille exercitum dimiſit, bifariam

 ditio-

ditiones Litvanas invaſerunt : pars cum Regiomontano Præfecto , Friderico de Vildemburg , per Pograndienſes Samogitiæ agros; pars cum Ottone à Bergen, circa Grodnam , in Litvania graſſati ; plurimam prædam eduxerunt. Vitenes tum ex nupero ſucceſſu, tum ex novis damnis, audaciâ ſimul & irâ ferocior , neque ſpem, neque dolorem temperare : ſed furere & arma rurſus bellumque apparare. E ſelecto milite quatuor millium copiæ recenſæ: his ita per Aprilem Varmienſes agros afflixit ut poſt immanem editam vaſtitatem tota omnino provinciâ nihil ſupereſſet , præter ſemiuſtulatas Elsbergæ & Varmiæ arces: vici , oppida , templa , exuſta univerſa , & ſolo æquata. Iam Litvanus onuſtum præda militem in Bartenſes agros eduxerat; ubi patente campo curandis corporibus conſedit. Hic dum per ocium reliqua præda recenſeretur , fortè ſpectantibus captivis , prolatum eſt argenteum vas ſacroſancto Dei Incarnati Corpori aſſervando , Chriſtiano ritu ſacrum. Exhorruere Chriſtiana

Vitenes Pruſſiam vaſtat : deinde ob blaſphemas voces & facta à Deo punitur.

pectora profanatorum ſacrorum , & reverentia & dolore. At Ethnicus ipſa ſacra myſteria , in terram cum indignatione effundere , conſpuere , pedibus proterere, totque ac tantas contumelias,ſacrilegis inſuper jocis onerare. Vrgere acriter captivos , *Qualem Deum colerent ? eum ſcilicet , qui neque ſibi , neque ſuis ab injuria vindicandis ſatis virium haberet.* Non diu violatum impie Numen , tanta ſacrilegia inulta tulit. Sub veſperum hæc agebantur : poſteræ verò diei aurora, meritas exegit pœnas. Ad primam lucem cincti undique Litvani à Crucigeris, Duce Henrico de Plock, poſt conſumptam in primos impetus ferociam, cæſis fortiſſimis Germanorum ſexaginta, cum in ancipitem ab omni parte pugnam non ſe ſatis expedire poſſent, ſolutis ordinibus in fugam effunduntur. Edita ingens ſtrages in tumultuariè fugientes : qui cædi ſuperfuerunt, aut aquis aut fame inter nemora conſumpti. Vitenes ipſe graviter capite ſaucius , amiſſis caſtris & exercitu, ſolis duobus comitibus ægrè hoſtem, & fugæ

Litvania & Samogitia vastatur.

pericula evasit. Vexata deinceps audaciùs excursionibus Crucigerorum Litvania, pariter & Samogitia. Pograndienses agri à Mansfeldio Brandeburgensi præfecto impunè vastati, spectantibus suorum cladem è propinquo, Manstone, Sudargo & Massio: nam neque sola castrorum ostentatione hostem arcere poterant, neque exiguas copias aperto campo credere. Abeuntium ultima agmina per intervalla carpebant: eo fortassis consilio, ut cum levibus præliis hostem in itinere implicant, confluentibus interea Litvanis & Samogitis vires ad justam pugnam exæquarentur. Sed Crucigeri nihil cunctati, citato agmine prædam præ se agentes maturè excesserunt. Tentatæ postea Grodna & Bissena; hæc vi, illa proditione. Et proditio quidem ipsius autoris indicio elusa, vix in caput Crucigerorum, malum non vertit: nam nisi agrestis captus, Vitenem cum armato milite in proximo latere edocuisset, Prussi trajecto Nemeno ipsi se insidiis induissent, quas Grodnæ moliebantur. Oppugnatio Bissenæ for-

Grodna & Bissena defensæ.

næ fortiter ab Oppidanis rejecta, hostem magna militis parte malè mulctatum, re infectâ, abire compulit. Quoniam verò præcipuæ Litvanorum arces Nemeno, aliisque fluviis imminebant, autor Crucigeris fuit Vernerus Ragnetanus, uti deinceps navalibus potiùs operis oppugnarentur: apertiores enim accessus inde promittebat, undè latera aquis obversa plerumque incuriosiùs munita observarat. Ædificatæ itaque naves, atque inter eas una magnitudine & forma propugnaculo similis, pinnis loricaque instructa: undè & succedentem ripis aggerique militem à missilium injuriis tueri, & tela in hostem ab adverso stantem retorquere ex alto pronius esset. Itum imprimis cum eâ machinâ, atque universo classis apparatu, sub Iunigedam; ubi grandior illa navis vi tempestatis ripæ arcis impacta, penè sponte in potestatem præsidiariorum venisset, nisi aliarum navium accursu pronique fluminis auxilio erepta periculo servataque fuisset. Vitenes de toto negotio monitus instare omninò suos jubet,

An. 1313.

Navali apparatu Crucigeri Litvanos oppugnant.

bet, neque absistere nisi confecta re, & universo navali apparatu exusto. Surminus vir apud suos primæ autoritatis, bellicarumque artium peritus inter paucos, toti operi præficitur. Ille centum minoribus navibus hostem secundo flumine navigantem assequitur: pugnatur utrinque obstinatè: plurimum pugnæ, & laboris erat, ad illam grandiorem machinam, jaculatorum peritissimis instructam: sed ipsa quoque, cùm præcisis anchoris in vada prono flumine impulsa, fatiscere cæpisset; capta atque exusta est. Surminus victor ad Principem rediit, publicè lætitiam, mærorem privatim ferens: quòd in ea victoria Gastoldum fratrem, cum præcipuis quibusque amisisset. Per æstatem hæc contigerant: hyeme proxima Henricus Prussiæ Mareschalcus Mednicense territorium, iteratis excursionibus depopulatus est: ubi si Litvano ad audaciam numerus, & vires, in proximo fuissent, castra certò Prussi perdidissent. Quinque enim soli milites, vitatis inter nocturnas tenebras excubiis, ad ipsos

A Surmino profligantur.

An. 1314.

Quinque Litvanorum audacia insignis.

ipsos pæne Duces penetrarant: hi, paucorum edita clade, raptaque, quam ferre pauci possent, prædâ; incolumes ad suos delati, ingenti Crucigeros terrore replerunt: quamdiu lux, plus terroris fuisse, quàm periculi, non ostendit. Non multò post Henricus, rursus populabundo exercitu Novogrodecum usque ferro & igne penetravit: spoliatâ, exustaque civitate, ad arcis oppugnationem, universum exercitus robur convertit: sed amissis, inter primos assultus, præcipuis, deserere opus institutum cogitur. Cùm verò ille Novogrodeco intercipiendo intendit, Davides Grodnensis gubernator, castra Henrici haud longè inde posita, commeatu prædaque omni abunde instructa, diripuit. Exinde Prussi commeatus inopia extremè laborare: nihil enim per agros nupera vastatione desolatos levandæ necessitati reperiri poterat: undecim dierum itinere, cum fame conflictati, aperta itinera ne in hostem inciderent devitando, plerique inter sylvas miserrimè perierunt. Porro ut hic annus, domi

Clades Prussorum Novogrodecum oppugnantium.

domi utcunque hostem reprimendo transmissus : ita sequens in hosticum belli sedem transtulit. Medio Augusto à Samogitis Ragnetanum & Scaloviticum, territoria vastata : miles Prussicus qui è præsidiis sistendæ prædationi decurrerat, in arces compulsus : fruges messi propè maturæ, ab equitibus protritæ : præda ingens, abacta. Ex cedentibus istis è Prussia copiis; recentem exercitum, ad Christimemeli oppugnationem, Vitenes duxit : quassati arietibus muri; defensores incredibili telorum immissorum copiâ aut confecti, aut sauciati; præsidium quod è Sambia adventabat interceptum, ac deletum; planè jam desperatam obsessorum rem fecerant. Ergò Vitenes acriùs instare, & quia deditionem extorquere non poterat, congestis in fossas fomentis, concipiendæ, alendæque flammæ aptis, arcem conari succendere. At vulgatâ interea famâ, adventantis cum magno exercitu Magistri Prussiæ, spem occupandæ arcis abrupit. Abeuntem Magister non assecutus, in finitimos Litvaniæ agros

An. 1315. Vitenis ultimæ in Prussiam expeditiones.

agros desæviit : Vitenes etiam confligere non ausus, ne impunè omninò hostis grassaretur, diversis itineribus in Prussiam regressus, similem vastitatem Crucigeris refudit. Neque multò post ab ea expeditione reversus, ætate, bellorum curâ, variisque eventibus confectus, cum annos duos & viginti imperasset, occubuit. Funestus hic satis annus Litvanis, morte Principis; fame insuper ac peste, populum graviter afflixit.

LIBER VII,

De rebus Litvanorum sub Gedimino & Iavvnuta Principibus.

Gediminum stabulo Præfectum Viteni fuisse, & per cædem sui Principis ad summos fasces evasisse illi memorant: quibus rem minùs perspectam fecit, tam locorum quàm temporis majus intervallum. *Nam, ut rivus fonti propior, aquam fert principio non degenerem; at ulteriùs progressus, hinc indè attractis sordibus sensim à puritate descit:*

Gediminus Vitenis filius parenti in Principatu succedit.

 scit:

ſcit : ita *ferè fama, quo magis à loco, ac tempore rerum geſtarum recedit, plùs de falſò ſecum trahit.* Certè vetuſtiſſimi annales, Gediminum vivo adhuc parente Reipublicæ curam, atque adminiſtrationem ſuſcepiſſe, habent. Quare fabulæ illi de Gedimino, apud exteros inde opinor occaſionem datam: quòd Peluſſam primorum Principum hæredem, quanquam è Litvania jam ejectum, Magni tamen Ducis titulos pertinaciter uſurpantem, Crucigerorumque armis Patriæ ſuæ perquam infeſtum, atque ut rebus ſuis commiſerationem facilè inveniret Gediminum Vitenis ſtabularii filium per contemptum vocantem, Gediminus ipſe, vel Vitenes ejus parens, olim Stabulo apud ſuos Principes Præfectus, prælio victum, confeciſſet. Ruſſis certè ſcriptoribus, qui & Litvani nominis hanc maculam non facilè in hoſte diſſimulaſſent, & ætatis ſuæ res pænè ſub oculis actas, è vicino ſpectarunt, atque ex fide poſteris memoratas reliquerunt, conſtans narratio eſt. Gediminum filium parenti ſuo Viteni omnium ordinum

dinum voluntate, ſuffragiiſque ſuffectum eſſe. Initia ille Principatus illato à Pruſſis Livonibuſque bello, non turbulenta modò, ſed & funeſta habuit. Nam ſive quòd rebus domi componendis implicitus, in externos ſe motus nondum expedire poſſet; ſive quòd majori mole bellum in animo deſignaſſet; hoſti militem aperto campo non oppoſuit: quamvis eodem tempore, inde Pruſſi Iurburgo & Caunâ arcibus potiti, præſidiis cæſis, ingentes undique prædas abigerent; inde Livones, totam eam Samogitiæ oram, quæ nunc Curlandia vocatur Litvanis detraxiſſent. Obtinebat tum Caunam modico præſidio, nobilitate & militari gloriâ celebris Gaſtoldus, juſſus à Principe hoſtem inde quâ poſſet arte morari ac ſuſtinere. Verùm neque mænia neque præſidium vim oppugnationis pertulit: ipſe etiam Gaſtoldus in poteſtatem hoſtium venit, ingenti per Gediminum annumerato lytro, ſuis deinde redditus. Vrſit in ſequentem annum Pruſſus victoriam, immiſſo per varias vias, diverſiſque

Damna à Crucigeris Litvaniæ illata.

An. 1316.

que vicibus, populabundo milite. Tum Christimemelanum præsidium in insidias pertractum, deletumque est: Pastovienses, Mednicenses, Pograndenses agri vastati. Plurima pars ejus cladis non possessiones modò, sed ipsam etiam familiam Sudargi confecit: cum insperatus hostis, conjugem, filios, totamque domesticæ familiæ turbam in prædio occupasset. Ipsam verò molem belli contra Gediminum arcem Magister verterat: ratus admota repentè vi, facile paucorum præsidiariorum pertinaciam perfringi posse: verùm ad excitati ignis ab arce signum, cum admoniti de periculo vicini ad arma concurrerent, arcis oppugnationem deserere coactus est. Iam non longè cum exercitu aberat Gediminus, Iurborgum inter & Caunam castris collocatis. *Ardentibus hinc inde hostili flammâ vicis conspectus fumus, fodicabat dolorem, & dolor audaciam ministrabat: sed plùs valuit apud providum ducem, virium conscientia. Leves enim tantum ferè copiæ ad manum erant: robur autem exercitus, cum Novogrodensibus Polocensibusque auxiliis, in dies*

Gediminus Crucigeros profligat, & Samogitiam eis eripit.

in dies expectabatur. Itaque cunctatione, ex spectatæ cladis sensu surgens furor, temperandus erat; neque omnia temerè, neque nihil otiosè audendum. Carpebat per intervalla ab insidiis hostem, ita cautè ne quis casus in prælium, summam rei protruderet. At ubi universæ coiverunt copiæ, tum aperto campo per Samogitiam progressus, castra hosti ad Zeymilam amnem objecit. Quatuor Samogitarum millia hosti sub signis erant: ab his Prussus plus interea periculi metuere, quàm antè præsidii sperasset: nam *nuper subactis, animus semper plus de vetere odio, quàm de recente amicitia habet: quare nunquam sine periculo illis creditur, præsertim si soli partem copiarum expleant.* Neque deerant non levia suspectæ fidei indicia: ex agris palàm, clam è castris magno numero transfibatur ad Litvanum: consilia per transfugas indicabantur. Incertus itaque rei Henricus de Plock Mareschalcus Prussorum, neque in partem prælii adsciscere Samogitas audebat, meritò suspectos; neque exauctorare apertè, certò hostiles vires aucturos; si læsis ea exauctoratione, plana trans-

transſeundi ad Litvanos prætenſio daretur. Defunctum ſe omni periculo rebatur, ſi diſſimulata ſuſpicione, productos in aciem ita inter ſuos collocaret, ut extra pugnandi neceſſitatem conſiſterent, certus omnino cum ſolis Pruſſis prælii aleam ſubire: brevi tamen cohortatione omnes ad rem animosè gerendam incitat. Fortitudinem videbatur à Samogitis exigere, donis militaribus, & libertate promiſſâ: ceterùm contentus omninò futurus, ſi ocioſi eventum ſpectaſſent. Gediminus verò ita aciem inſtruxit, ut Ruſſorum cohortes parte latera, parte extremam aciem firmarent: Litvani in medio conſiſterent: Tartari frontem occuparent. Incurrentibus magno impetu in primos ordines Crucigeris, Tartari, quibus ſtataria atque obfirmata in veſtigio pugna in uſu non eſt, in choros gyroſque more gentis effuſi, vim haſtatorum eluſerunt. Ita equitatus hoſtilis repentino eventu turbatus, ac pæne ſolutis ordinibus, in mediam Litvanorum aciem, cui Gediminus cum Gaſtoldo aderant, illatus,

anceps

anceps periculum ſubiit: præſertim quòd ab utraque parte interim continuis gyris, tùm incurſantes in latera Tartari, tùm eminùs jaculis, ingentem equorum ſtragem ederent. Pugnatum ab utriſque acriter: incerta victoria, quam animi vireſque exæquatæ dubiam faciebant, diutiùs pugnam tenuiſſet; ni Samogitæ qui inter hoſtilia ſigna quieti hactenus conſtiterant, in averſam feſſorum aciem integri irruiſſent. Hoc eventu confuſos Pruſſos, pronum erat in fugam impellere: verùm in fuga etiam nihil opis repertum: cum inſtante victore exercitu, Tartari celeritate equorum itinera fugientibus præcluderent: plurimos ferrum in fuga confecit, multi aquis abſumpti: reliquiæ, quæ ſylvarum beneficio vitam ſervaverant, ab aggreſtibus canum indicio conquiſitæ, cædem non evaſerunt. Victoriam hanc ſecuta Samogitiæ pars illa, quæ nuper Litvano deceſſerat; à Pruſſis defecit. Paucorum annorum quiete interjectâ, recrudeſcens rurſus bellum, diverſo prælii genere, ſed non minore Pruſſorum

An. 1319.
Crucigeri è Litvania prædas agentes delentur.

 clade

clade terminatum eſt. Circa ipſas Auguſti Calendas, Mednicenſes agros ingentibus copiis ingreſſi, dimiſſis effusè in populationem maturæ meſſis cohortibus Litvanum ad tentandam aperti prælii aleam deducere conabantur: atque ea de cauſâ à populatoribus res audaciùs multò adminiſtrabatur. Sed (qui tandem plerumque audaciæ exitus eſſe ſolet) incautiùs agentes, in inſidias pertracti, atque omnino oppreſſi ſunt. Imminutis ea clade viribus totis caſtris ſecuta trepidatio, excedere maturè hoſtico Pruſſum coegit. At victores Litvani id ipſum futurum, ſuſpicati, jam anguſtias ſylvarum inſederant, ſuccìſis ab utroque latere arboribus, aggeſtiſque truncis, ne qua evadendi via hoſti pateret. Inter has anguſtias univerſi, cum ipſo copiarum Duce Henrico de Plock Pruſſiæ Mareſchalco deleti, aut capti ſunt. Gediminus victor, & attritum incommodis Pruſſici belli exercitum novâ præda recrearet; rectà inde in Mazoviam Dobryniamque movit, circa medium Septembrem: ubi utram-

Mazoviam & Dobryniam Litvani vaſtant.

utramque hanc Provinciam effuſis populationibus pervagatus, cùm nuſpiam arma ulla comparerent, onuſtum ſpoliis militem ſine prælio in patriam reduxit. Subſecutæ deinceps biennales induciæ Magiſtro ordinis Carolo à Trevir procurante: ſive quòd auctam continuatis ſucceſſibus Litvanorum audaciam ocio interjecto remittere vellet; *(efficaciſſima enim* aliàs *eſt conficiendis rebus ratio, felicium eventuum continuatio:)* ſive quòd interea totis viribus Pomeraniam Polono ereptum iret. Hinc Gedimino ſpatium datum arma curaſque vertendi in eam Litvaniæ oram, quæ Ruſſiam habet proximam. Illo enim hactenus in Pruſſos intento, plerique Ruſſorum Duces obſequia detrectare, & Ducis ſupremi reverentiam excutere; alii etiam fædera violare & Novogrodenſium agros armis infeſtare auſi. Primus belli impetus in Volyniæ confinia effuſus: Volodimiria, Volodimiri Ducis ſedes, obſidione cincta. Oppugnabatur arx, civitaſque ſimul, pertinaci ſatis conatu: ſuſtinuere nihilominus vim oppidani, ſpe ad-

Gediminus inito cum Crucigeris fædere ad domandam Ruſſiam arma convertit.

ſpe adfuturorum auxiliorum. Adfuit opportunè cum exercitu popularium, Scythicisque subsidiis, hostem à muris rejecturus Volodimirus. Dimissâ urbis oppugnatione miles in venientem hostem ire jussus: collata sub ipsis muris signa: inter solos equites qui primi congressi fuerant vertebatur pugna; & jam Litvanus inferior esse cæperat, quòd Scythæ solitis in latera incursantes gyris, ordines continuò interturbarent, neque constare sibi aciem permitterent. Iussus igitur quantocius Samogitarum peditatus inter pugnantium equitum ordines sese insinuare: sic firmata acies atque in vestigium connixa, ut sese toto nisu promovit, hostiles ordines quibus nulli in promptu pedites erant, perrupit atque inprimis Scytharum legionem loco submovit. Effusis in fugam Scythis neque Volynii diu campum retinuerunt. Eos, cum Volodimirus obsecratione à fuga arcere non posset, extremâ audaciâ prælium restituere conatus, contra ipsam vincentis exercitus molem cum paucis sese objecit: ubi

Volodimiriæ Dux profligatur atque occiditur.

ubi inter Ducis militisque officia pertinaciùs rebus desperatis succurrens, promiscuâ cæde involutus, occubuit. Victoriam non urbis modò, sed universæ provinciæ deditio subsecuta est. Deditis Litvani Magistratus, ac præsidia imposita: capita gentis jurejurando adacta, cum populo ac provincia in Litvaniæ jus transiverunt. Inde legiones contra Leonem Luceoriensium Ducem ductæ: verùm ille ut nuper ad injurias pronior, cum per absentiam Gedimini Drohicinum & Brestiam de Litvanis caperet: ita nunc bello segnior, militi quem sub signis habebat non fidere: Volodymiri nuperâ fortuna territus, de sua dubitare: vereri ne pares faceret idem exitus; quibus belli occasio eadem fuisset. Itaque ante tentatam belli aleam, maturè aufugit in Severiam. Gediminus absque prælio Luceoriâ & proximis munitionibus potitus, receptisque Drohicino & Brestia, provinciam recenter hosti detractam atque Litvanæ ditioni additam sub præsidiis præfectisque Litvanis reliquit. Ipse dimisso

Luceoria civitas & provincia capitur.

 exer-

exercitu in hyberna, ſive ut partæ provinciæ res, uti in ſpeciem præferebat, rectiùs componeret, ſive quòd re verâ agebatur, ut è propinquo in novi belli apparatus præſens incumberet, Breſtiæ hyemavit.

An. 1320. Abiit hyems inter armorum, commeatuſque omnis, præparationes: primo vere Breſtiam univerſus miles convenire juſſus: tandem ſuſpenſis expectatione Ruſſis, quò ſe nova belli vis effunderet, contractæ copiæ & Volodymirenſes, Luceorienſeſque agros, tanquam ſociorum poſſeſſionem, abſque cujuſquam injuria tranſgreſſæ ad Owniczam applicuerunt. Arx ea fuit Staniſlai Kijovienſium Ducis, qui è vetere Ruſſorum inſtituto, ſupremus Ruſſiæ Princeps, & vocabulo genti uſitato Monarcha dicebatur. Non diu oppugnationi ſuſtinendæ ſuffecit Ownicza; aſſultu in coronam facto, capta. Plus deinde negotii ad Zitomirum repertum: quò non exiguam Ruſſæ nobilitatis partem repentini belli rumor metuſque contraxerat: ſed is quoque locus ceſſit ſponte deditionem offerentibus: admiſſa deditio, à cæde temperatum, præſidia Ruſſorum deducta, Litvana impoſita. Inde Kijoviam versùs in interiora Ruſſiæ caſtra promota: legionibus latè terrorem ſenſumque belli, ferro ac igni circumferentibus. Tum primùm agnoverunt Ruſſi, non prædam ex agris, ſed imperium Litvanis eo bello quæri: cùm à victore hoſte ipſum gentis atque imperii caput, Kijoviam peti viderunt. Iam pleroſque Ducum, ac præſertim è Severia, ingentis periculi facies ad arma exciverat; occurrerant Olha Pereſlavienſium, Romanus Branſcenſium, & exul Luceorienſium Leo, Duces; ultra domeſticas popularium copias, Scythicis auxiliis inſtructi. Quia verò hoſtem Kijoviam versùs, expeditionem maturare, fama vulgaverat; ad ſextum ab ea urbe milliare, Piernæ ripam plenis caſtris inſederunt; eo conſilio, ut ſi vel à via feſſum, vel prædæ aviditate diſtractum Litvanum nanciſci poſſent, obruerent. At Gediminus de viribus, conſiliis, caſtriſque Ruſſorum per exploratores monitus copias

Kijovienſium Ducis arces expugnantur.

Ruſſorum communis expeditio contra Gediminum.

pias univerſas à prædando maturè retraxerat, atque inſtructa acie progrediebatur; nimirum, ne inter hoſtiles terras repentina pugnandi neceſſitas, imparatos occuparet.

Duces Ruſſiæ cum Litvano confligunt & profligantur.

Pænè ſimul & caſtra & ſigna collata: ſimul in conſpectum & pugnam utrinque legiones coivere. Accendebat Ruſſis animos indignatio, quòd cum ea gente, quam olim vectigalem habuiſſent de imperio decernere cogerentur. Staniſlaus ante omnes, ſuam maximè rem eo prælio verti præfatus, ceteris ad ſubſidia relictis, ipſe ſibi, ſuiſque primas confligendi partes arripuit. Gediminus antequam in conſpectum hoſtium veniſſet, jam ſuos in prælium animaverat. *Satis erat memoraſſe ſua auſpicia, militumque virtutem tot victoriis probatam. Circumſpicerent modò arma manuſque quibus ſe Duce tot hoſtium ſanguinem fortunatè hauſiſſent: & abundè ominum habituros ad certam victoriæ ſpem. Non Pruſſorum legiones ferro & armis graves, ac pænè infractas, ab adverſo ſtare; quas tamen toties protriviſſent: ſed Ruſſos; ſuperiorum victoriarum malè conſiſtentes reliquias, emorientis imperii ultimos*

mos at enerves conatus. Impelli tantum parum debere, ut ſuaptè corruant. Primi pugnantium affectus, ſine ingenti utrinque damno, inter miſſilia tela deſævierunt. Conſertis verò ſignis, atque ad manum gladioſque re deductâ, pertinax cruentaque pugna & damnis & animis partes exæquatas diu tenuit: prima Litvanorum equitum legio ſub fatigatione deficere cæperat, & jam propè fugam circumſpectare; ni in tempore cum ſubſidiariis cohortibus Gediminus accurriſſet. Cùm feſſis, integri ſubſtituti, ab ſua parte atrox prælium inſtaurant: Gediminus priorem legionem prælio ſenſim ſubductam, in tranſverſum Ruſſorum latus ſummo impetu ire jubet; & certè ſive quòd exiguum illud reſpirium vires confirmaſſet, ſive quòd prioris culpæ conſcientia, cum verecundiâ animos auxiſſet, tantâ vi, quod juſſi erant, præſtiterunt; ut à quibus fugæ initium pæne factum erat, ab iis victoria ſit inchoata. Perrupti ordines; moti veſtigio Kijovienſes; & jam cum loco animorum etiam multum

Russis decesserat. Accenditur itaque rursus prælium, à subsidiariis Russorum cohortibus; Ducibus, Olha Pereslaviensi, & Leone Luceoriensi; at dum Duces inconsultiùs in confertos invehuntur; obruti multitudine, non dubiam Litvanis victoriam fecerunt. Iam auxiliares copiæ amissis Ducibus rem segniùs ac confusè agere; jam media acies, ante loco mota, multùm inclinare: Stanislaus denique ipse & Romanus Duces, exemplo suo reliquum militem in fugam apertam pertraxerunt. Fugientium cædem nox abrupit. Curatis per noctem corporibus, lectisque cum aurora sequentis diei incuriosè spoliis, ne morâ ipsâ rei gerendæ occasio intercideret, eodem die ad Kijoviæ oppugnationem legiones ductæ. Quanquam verò recenti consternatione, nondum sibi Russorum animi essent restituti, haud difficile tamen fuit, primos conatus Litvanorum retundere; tum quòd ipsa urbs populosissima habilibus ad arma viris abundaret, tum quòd reliquus è clade miles, eò delatus, præsidiariorum numerum auxisset.

Kijovia obsidetur & capitur.

Stitisset proculdubio urbs illa cursum victoriæ Litvanæ, si Stanislaus contracto undique milite, supplementisque sociorum, speciem aliquam, si non instaurandi belli, saltem aliquarum suppetiarum ostentasset. At cum Kijovienses contra terrores atque deditionis solicitationem animo obfirmati, Litvanum armis manuque pertinaciter à muris rejiciunt, atque victoriam Gedimini quâ possunt, morantur: Stanislaus in Rezaniam usque, turpi fugâ delatus, amisso exercitu & regno, spem quoque jam abjecerat. Desperatio Principis, animos obsessorum perfregit. *Cui enim tandem pugnarent? Principine desertori? an Reipublicæ desperatæ? Sed & odio desertoris Principis, victor hostis placere cæperat: & Rempublicam aliquam sub victore malebant, deditione servare; quam pertinaci pugna totam perdere.* Itaque communi consilio arcis atque urbis deditio spontè facta est. Ordines universi è civitate progressi victorem Gediminum, Kijoviæ atque Russiæ Magnum Ducem salutant: & provin-

Gediminus Magnus Russiæ Dux à victis Russis salutatur.

provinciam ditioni ejus, jurejurando dato, addicunt. Gediminus post paucorum dierum quietem quibus interea arces proximæ Bialogrodecum, Slepovrotum, Kanjovia, Czerkasii in jura victoris concessêrunt, in Severiam movit. Ibi Bransko & Pereslavia (duarum Provinciarum hæc capita sunt) potitus: occupatâ eo bello, Kijoviâ, Volyniâ, & magna Severiæ parte, ditionis Litvanæ terminos Putivilum usque protulit. Atque is demum Kijoviensis per Russiam Monarchiæ, quæ triginta annis supra quadringentos, inter varios successus eventusque stetit, exitus fuit, cùm Kijovia in jus Litvani Ducis transivisset. Magna inde diuturnis controversiis sumpta deinceps inter Polonos & Litvanos materia: Polonis veterum sub Boleslao Audace victoriarum, novarumque affinitatum præjudicio, Kijoviam & Volyniam vendicantibus. At quanquam Boleslaus devictis olim Russis Kijoviam subegerit, vectigalemque eam gentem fecerit: nemo tamen hactenus Poloniæ Regum, aut titulos Ducis

cis Kijoviæ assumpserat, aut legitimos Principes ea ditione exegerat, aut devictos populos in formam provinciæ redegerat: Russi etiam subsecutis bellis omne obsequium erga Polonos jam pridem excusserant. Primus exterorum Kijoviæ Gediminus imperavit: ejusque præfecturam pro se Mindopho Holsano-Duci demandavit: eo consilio, quòd nuper Christiana sacra Russorum ritu suscepisset. Metuebat, ne *in novis Magistratibus ab hoste victore datis, odiosum imperium, odiosius redderetur religionum diversitate. Nam quamdiu inter victos victoresque, juncta sub uno Principe fœdera; ipsa horum nominum oblivio commerciorum diuturnitate non firmaverit: tamdiu etiam levissima occasiones pro magnis motibus sufficiunt.* Devictâ pacataque Russiâ, Kiernoviæ Gediminus triumphum egit: post habitum Diis, more patrio, honorem, exercitum stipendiis donisque militaribus auctum, dimisit. Inde ad pacis artes versus, quod de Prussico fœdere supererat temporis, ita inter venandi studia ad recreandas præteriti belli curas dispensabat:

Mindophus Kijoviæ pro Gedimino Præfectus.

An. 1321.

 bat:

bat : ut ordinandæ interea Reipublicæ , & civitatibus condendis,intenderet. Trokos imprimis haud procul Kiernoviâ è singulari venationum successu sumpto omine, condidit : atque ut ipsâ curiæ præsentiâ civitas faciliùs incrementa sumeret,eodem Principatus Litvaniæ sedem , Kiernoviâ transtulit. Melioribus deinde auspiciis ad confluentis Viliæ Vilnæque ripas alterius urbis fundamenta jecit. Haud procul à Suintoroha(ubi Principum funeribus aream lucosque Diis dicaverat olim Germundus) exactum è profundioribus sylvis & abruptis montium , sylvestrem bovem , (Vrum vocamus) proprio telo ipse Princeps in edito monte confecerat. Iessum diurnæ venationis labore , & confectæ bestiæ eventu recreatum, cùm proxima nocte in Suintoroha campo pernoctantem arctior somnus oppressisset , videre sibi visus est in eo ipso montis vertice, in quo feram illam occiderat, grandem stare lupum , aut ferro solido ductum, aut ferrata lamina undique munitum : in quo centum alii inclusi lupi , ingenti

Gediminus Trokos condit.

Vilnæ, Metropolis Litvaniæ, fundandæ occasio.

genti ululatu circumjacentes latè campos sylvasque implerent. Experrectus non vulgare aliquid in eo viso suspicari. Sive quòd genius aliquis altior , eam cogitationem objectaret ; sive quòd , *ubi fata destinatam à Supremo Numine telam ordiri incipiunt , suus cuique animus sibi genius est* : sive etiam ex more gentis , cui (ut ceteris *Ethnicis*) *omnia , religionum plena* habebantur. Insolentia somnii, & quòd loco sacro dormienti obvenisset ; maximè religioni erat. Consulti mox , qui in proximo agebant pontifices , uti arcana panderent. Lizdeyco tum inter illos , summus Pontifex , seu voce patria Krive Kriveyto , sacris præerat. Hic olim infans inter sylvas in aquilæ nido vel ut alii tradunt , de arbore cum cunis pendens, à Vitene ipso inter venandum repertus , ejusque mandato ad Deorum altaria educatus, & à puero patriorum sacrorum scientiâ imbutus , optimus arcanorum interpres tunc censebatur. *Ille Principem bono animo esse jubet. Quod ipsi Principi , quod Reipublicæ Litvanæ auspicatò eveniret , sequeretur feliciter Deos*

Deos monentes: lupum ferreum portendere arcem & urbem, quam in eo loco esset conditurus. Eam urbem gentis atque universarum Litvaniæ subjectarum provinciarum caput futuram; sedem Principum, qui rerum à se gestarum famâ, varias orbis regiones impleturi essent. Paruit Princeps Pontifici, è superûm, ut putabat, mente, legitimè consilium expedienti. Cæremoniis omnibus ritè persolutis, arci locum designat, montis editi caput; in quo Vrum nuper occiderat. Aream Suintoroha nuncupatam, quam ad radicem ejusdem montis Vilna fluvius flexuoso sinu ambit, aggeribus palis ac loricâ permuniri jubet, reliquum spatium urbanis ædificiis relinquitur. Opinione citiùs res peracta. Operis undique jussu Principis contractis, superior inferiorque arces, ut mos muniendi eâ ætate ferebat, excitatæ. Civitas publicis sacris ac profanis, privatisque Principum & promiscuæ plebis ædibus, ita citò excrevit: ut vel ipsa initia urbis, non vanum Pontificis fuisse augurium confirmarent. In prima jam herbâ, surgentis fortunæ spes,

Vilna urbs, & arces, à Gedimino conduntur.

spes, non obscurè cernebantur. Certè ad ætatem nostram, ita omni ornamentorum genere cumulata pervenit; ut cum amplissimis urbibus, in certamen deduci meritò possit. Amplitudine, opibus, incolarum multitudine, peregrinorum varietate ac frequentiâ, templorum majestate, Vniversitate literariâ, commerciorum copiâ, ceterisque urbium ornamentis, inter Sarmaticas nobilissima, Sedes Principum, Iudiciorum, Literarum & Commerciorum, rei sacræ ac civilis caput. Nulla laus illi deest, nisi sola quam deesse omnino necesse erat, apud eam gentem, cui Libertas & Pax non muris & vallo, sed civium virtute, securitatem suam integram tuetur. Ipsa incuriosa munitio contemptum hostium spirat.

His erat intentus Gediminus, cùm novorum motuum curæ subiverunt. Exeunte biennali fædere, Prussi Equites ingentem Litvaniæ cladem moliebantur. Vltra Livonici Prussique exercitus robur, cui pro Magistro Prussiæ præerat Fridericus à Wildenburg: aderant auxilia Silesia, Bohe-

An. 1322.

Bellum sacrum Germanorum & Crucigerorum contra Litvanos.

 mica,

mica, Auſtriaca, Germanica cum Duce Vratiſlavienſi Bernardo, Duce Suevorum, duobus Rheni Palatinis, Comitis Iuliacenſis & aliorum filiis, aliiſque Germaniæ Principibus. Vulgato enim per Chriſtianas Provincias Summi Pontificis edicto, quo pænarum noxis debitarum veniâ propoſita, in ſacrum contra Ethnicos bellum Chriſtiani evocabantur, ingentes undique militum concurſus in Pruſſiam fiebant. His igitur copiis fines Pruſſiæ egreſſus hoſtis, Samogitiam miſerrimè divexavit. Quàm late excurrunt territoria Vaikenſe, Roſſianum, Eyragolanum & Clogenſe, univerſa ſolo æquata. Poſt exſatiatos cædibus animos cum reſidente irâ, pudor ſubiret armatos, prædatorum more, in imbelle vulgus agreſteſque caſas ſævire, & nihil juſto bello tentare: ad Biſtenæ arcis oppugnationem legiones à populationibus contractæ. Magno ardore inter primos inſultus, utrinque res adminiſtrata. Exhauſtis fortè miſſilibus, aut quòd è propinquo nulli uſui eſſent: cùm ferociſſimi quique viribus, atque armo-

Biſtena arx irrito eventu oppugnatur.

armorum arte hoſtes, pertinaciter continuiſque ordinibus, muro ſuccederent, vix tandem rudibus contis detrudi potuerunt. Nox atrociſſimum certamen diremit. Servata quidem adhuc ea die arx fuit, ſed animi præſidiariorum omninò jam expugnati: nam ſi eadem vi oppugnatio, proximâ luce inſtauraretur, ſuſtinendo ſe non ſuffecturos haud dubiè videbant. Miſſis itaque in caſtra hoſtium tribus ex Equeſtri ordine obſidibus, ſpem deditionis oſtendunt. *Non eſſe opus tantâ contentione, in qua fortiſſimis quibuſque pereundum foret: tranſigi rem poſſe abſque tot diſpendiis. Si pergeretur in oppugnatione continuandâ, per extrema etiam pericula ſe arcem propugnaturos: ſi paucorum dierum ſpatio ab armis quieſceretur, æquis conditionibus deditionem ſponte facturos. Paucos porrò illos dies, non alio conſilio petere, quàm ne deſtinatâ deditione, periculum vitæ ac fortunarum, quod ab hoſte vitarent, domi apud Principem reperirent. Conſtare ſibi Principi ſuo, non eſſe tantum aut virium in expedito, aut animi; ut de ſuppetiis arci ferendis cogitet: proinde nihilo pejorem ſtatum oppugnantium futurum* *inter-*

interea, si spatium daretur, Principi de suo periculo significandi. Non dubitare autem dedendæ arcis ab eo veniam se impetraturos; cujus defensio tam desperata haberetur. Creditum est à Prussis; at Samogitæ exactis illis diebus, seu verecundiâ suscepti consilii, seu timore Principis, nihil minus cogitare, quàm deditionem. Instaurata ab hoste oppugnatio: Præsidiariis verò tuendæ & dedendæ arcis desperatio, in mortem obfirmaverat animos. Hinc cùm nemo pericula declinat, sed quisque, ubi atrocissimus Mars audacissimè rem gerit: post depulsos sæpiùs feliciter oppugnantium conatus, Prussum spe potiundæ arcis emovit. Ita *dilationibus, agendi tempus momentaque intercidunt.* Fama quoque jam vulgaverat Gediminum magnis copiis in suppetias arci adventare. At Gediminus tutiore consilio usus, ut hostem à Samogitia averteret, rectà in Livoniam duxit, majoribusque longè damnis eam Provinciam afflixit. Derpatum, Kirempam, aliasque arces solo æquavit, & populabundis legionibus Revaliam usque penetravit. Cæsorum

Gediminus Livoniam invadit.

rum tria, captivorum millia quinque numerata sunt. Initium hyemis quietum ab hoste fuit. Erat quidem in promptu Prussis copiosa externi militis manus, Ducibus Comite Kumererg & Domino ab Eckerburg: at insolens frigoris immanitas intra hyberna Prussica inertes hærere cogebat. Tanta enim hyemis vehementia fuisse perhibetur: ut sylvæ quoque agrestes consumpto omni nativo humore exaruerint, atque in multos annos ingentis gelu memoriam, emortua absque foliis specie, transmiserint. Dum hostis sub gelida aurâ *An. 1323.* torpet, mansit suus Litvano calor, ejusmodi tempestatibus magis assueto. Missi in Livoniam qui Plescoviensibus Russis subsidio essent, contra Danos è maritima Livoniæ circa Revaliam orâ, cui imperabant Russiam infestantes. Acta res est strenue à Davide Grodnensi Gubernatore. Quidquid inter Livonicum sinum, & Dunam fluvium interjacet, ferro ac igni vastatum: ultra reliquam prædam captivorum millia quinque educta. Solutis deinde per Aprilem

Plescovienses Russi à Litvanis contra Danos juvantur.

lem nivibus, quod impedita exundantibus aquis itinera eſſent, nihil omnino ſuſpicante hoſte ad Memelum cohortes admotæ, ipſa arce potiri non potuerunt. Quare in oppidum & circumjacentes vicos ſævitum eſt: & ſeptingenti captivi educti. Pari ſucceſſu ad Kalendas Auguſti per Sambiam & Vilavienſe territorium inſtitutæ vaſtationes. Aſſecutus abeuntes cum præda fuerat Præfectus Taplawic, ſed collatis temerè ſignis infeliciter pugnavit; cæſus cum exercitu. Eodem anno Mazovia atque finitima illi Dobrynia excurſionibus divexata. Dobryniæ certè tanta ſtrages illata eſt, ut Ladiſlaus Dux, provinciam, cum tuendo non eſſet, deſerere ſit coactus, eamque Regno Poloniæ perpetuo jure addicere. Addidit quoque huic conſilio non leve momentum metus novi belli: nam Pruſſi ereptis nuper agris non contenti, ad Dobryniam occupandam ſeſe converterant. Interim Litvanos inter & Pruſſos nihil majore mole actum. Quòd enim invalida hyems glaciem ad onera ferenda non ſatis

Sambia in Pruſſia vaſtatura à Litvanis: deinde Mazovia & Dobrynia.

An. 1324. Mutuæ Litvanorum & Crucigerorum expeditiones.

ſatis firmaſſet, Germanicæ copiæ, ducibus Ioanne ac Philippo Comitibus de Spenheim & Petro à Roſenberg Bohemo, ex Pruſſicis hybernis in Litvaniam tranſportari non poterant. Itaque privatis parviſque opibus, magis tumultuatum, quàm bellatum; inter mutuas excurſiones, & nullo graviore eventu inſignes. Prædia tantùm Davidis Grodnenſis Gubernatoris atque ſuburbanæ ad Gediminum ædes repentino impetu exuſtæ, & aliquot equitum turmæ interceptæ. Conati quidem fuerant Litvani Chriſtimemelum inſperato inſultu occupare: ſed proditis conſiliis, cùm in præparatum hoſtem incidiſſent, non ſine clade rejecti ſunt. Memorabile nihilominus ibi virtutis ſuæ argumentum dederunt: in inſidias pertracti, ac rebus jam deſperatis, cùm Ducem audaciùs provectum amiſiſſent, conglobato agmine in media ſe hoſtium tela immiſerunt, neque prius campo exceſſerunt, quàm cæſi Ducis cadavere per extrema pericula & plurimis commilitonum deſideratis, potiti eſſent.

Cum

Gediminus ad fædera & sacra Christiana per legatos Summi Pontificis, invitatur.

Cum hæc circa Prussiæ fines geruntur, Livonia in spem perpetuæ pacis erecta ab armis aliquantum quievit. Fridericus Rigensis Præsul, seu ob suppeditata sæpiùs auxilia privatim Gedimino obnoxius, seu afflictæ bellis Livoniæ misertus, inter Livonicos ordines & Litvaniam perpetua stabilire fædera nitebatur. Adhibita est in eam rem Summi Pontificis Ioannis eo nomine vigesimi secundi auctoritas: tùm ut Livones supremæ potestatis auctoritate ad pacis consilia cogeret, tum ut Litvanum honorificæ legationis officio ad sacra Christiana pertraheret. Actum est utrinque gnaviter per Legatos Bartholomæum Episcopum Electuensem & Bernardum Abbatem Divi Theophredi. Verùm Gedimino tàm à sacris, quàm à fæderibus Christianis alienior animus, susceptas consiliorum rationes omninò confudit. Missus ab eo Legatus ad publica Livoniæ comitia, disertè professus est, Principi suo certum esse, nunquam avita sacra deserere, neque fædera admittere quæ religionis mutatione con-

ne con-

ne constarent. Quàm vera Legatus referret, eventus comprobavit: cùm sub idem ferè tempus bifariam diviso exercitu Christianæ Provinciæ gravissimè vastarentur. Pars Livoniam populata est; altera Mazoviam: qua tempestate Pultoviam civitatem, cum triginta supra centum pagis, & triginta templis exustam, atque quatuor captivorum millia educta, Scriptoribus constans narratio est. Sub ancipiti interim curâ laborabat Polonus, dubius quò arma verteret.

Mazovia graviter vastata.

An. 1325.

Bellum Litvanum & Prussicum consilia discerpebant: hostis ibi repentinis irruptionibus molestior; hîc Provinciarum eripiendarum cupiditate gravior. Si conjunctas vires in alterutrum latus flexisset, alterum nudare metuebat: si copias partiretur: res plena periculi apparebat, Prussos, Pomeranicis, Saxonicis, Brandeburgicis, Bohemicis auxiliis prævalidos, accisis partitione copiarum viribus aggredi. Bellum etiam Litvanum, si in hosticum transferretur, neque paucis neque majoribus copiis rectè administrari poterat. Per ingentes enim sylvas hostis quærendus esset; ubi inter viarum angustias, omnia insidiis struendis com-

 modissi-

Occasio petendæ Gedimini filiæ, ad conjugium Principis Poloniæ.

modissima; incolis locorum gnaris, gerendæ rei plures occasiones præberent: quibus implicati Poloni, neque pauci facilè contra vim sufficerent; neque multi, suâ mole à se distracti, mutua ferre subsidia possent. Fœderibus itaque rem ab alterutra parte stabilire visum est. neque diu sententiis certatum, *quinam ad fœdera qui ad arma destinandi essent? Plerumque enim, qui è propinquo imminent; ferro & extremo ausu quantociùs submovendi sunt: remotiores verò amicitiæ specie, faciliùs in quiete continentur.* Missi Legati in Litvaniam, qui Aldonam Gedimini filiam, Casimiro Poloniæ Principi, in connubium peterent: accepta est amicè à Litvano legatio, pacta mutua fœdera: & affinitate Principum, pax populorum roborata. Dotis vice viginti quatuor millia Poloni nominis captivorum donata. Hinc suas spes Polonus ulteriùs projicere: & ad perpetuæ pacis nomen, finitimarum provinciarum agros, seu hostili ferro pervastatos, seu ipso continuarum excursionum metu desertos repetere, ac securiùs colere. Ladislao deinde contra Valdemarum Brandeburgicum Marchionem

An. 1326. Litvani pro Polono contra Brandeburgenses movent.

nem bellum moventi, subsidia Gediminus tulit. Vastata est ea expeditione hostilis regio latissimè, præsertim quà Litvana legio ethnicâ barbarie in sacra æque ac profana absque delectu religionumque reverentia desævit. Dux legionis Davides, foris, bello fortunatissimus; domi, summis honoribus & Principis affinitate, (cujus filiam in connubio habebat) primus: cùm populabundo agmine Mazoviam in reditu divexaret, memorabili Equitis cujuspiam audaciâ interiit. Dignus Heros meliore fato. Ea illi semper fuerat tractandæ rei bellicæ, seu peritia seu fatalis quædam felicitas: ut nullam ferè hactenus expeditionem susceperit, quam non magnis successibus conclusisset. *Præcipua illi bellandi vincendique momenta, incredibili celeritate constabant.* Terror finitimorum; at præcipuè Mazoviæ infestus. Nam cùm Mazoviæ vicinam Præfecturam Grodnensem pro Principe administraret, frequentibus populationibus totam jam propè exhauserat. Vt tantas patriæ suæ injurias & novas averteret

Davidis Litvani Ducis laudes & cædes.

Insigne facinus Equitis Masovitæ pro Patria.

& veteres ulcisceretur, Andreas Eques Mazovius: cùm per speciem socii militis ordinibus Litvanis immistus ad latus Davidis penetrasset, valido ictu repentè eum confecit. Ipse verò inter primam propinquiorum consternationem, adacto celeriter toto nisu in cursum equo, & tela & manus insequentium incolumis evasit. Hæc iste pro patria memorando certè inter posteros, certaturoque cum veterum Scævolis exemplo. Admirabilius illud Christianæ fortitudinis pro virtute facinus, quanquam in debiliore sexu. Vestalis Virgo à Litvano milite capta ad flagitium cogebatur: ubi preces & lachrymæ, unicum hujus sexus telum, consumptæ sunt; neque tamen barbari pectoris libidinem extinxerunt; ut sæpè in subitis ingeniosa pietas est, promittit militi, modò se inviolatam relinqueret, non vulgare secretum edituram, artem nempe, quâ facile cujusvis teli ictum absque vulnere ferre posset: ne verò putaret, ad probrum avertendum, verba tantùm sibi dari, paratam se, ait, proprii capitis

Stratagema insigne pudicitiæ defensæ.

capitis periculo fidem dictis facere: simulque nudato collo ad ictum militem invitat; ne dubitaret gladio collum petere, & quàm vera sibi promitteret ferro ipse experiri. Stringit miles gladium, & cùm primo ictu teneræ Virginis caput à collo dejecisset, intellexit quàm probè Christiana Virgo calleret artem, non vitæ sed castitatis in integro servandæ. Inescatus priore successu & opulenta è Germaniâ prædâ Gediminus, majoribus è Litvania ac Samogitia copiis proximo anno in Marchionem Brandeburgensem instaurari expeditionem jubet. Imperator exercitui datus Olgerdus Principis filius: qui jam magnis passibus per militarem gloriam ad parentis fortunam ante reliquos fratres nitebatur. Positis ille castris ad caput regionis, Francofordiam urbem Oderæ imminentem, universam provinciam vastissimè populatus est: prædamque omnis generis ac incolumem militem centum ferè milliarium itinere reduxit. His exercebatur miles, mox in castra Ladislai Polonorum Regis tra-

An. 1327.

Olgerdus filius Gedimini contra Brandeburgicum ducit.

gis traducendus : Iam enim in Polonia, consumptis omnibus pacis consiliis, bellum contra Prussos maturuerat; cujus necessitatem fecerunt Crucigeri, cùm veteres injurias novis cumularent. Adfuit in tempore Ladislao, ipse Gediminus, copias inter filios suos, velut inter Legatos partitus. Vbi post vastatos Culmenses agros, fugatos ad Drwecam Crucigeros, spoliatam atque exustam omnem propè Prussiam, ingentes prædas aliquoties in Litvaniam eduxisset, tandem universam belli molem in se avertit. Nam quòd junctis Polonorum ac Litvanorum in communem hostem viribus non essent Crucigeri ferendo: Ladislaum inprimis annuarum induciarum specie à societate belli abstraxerunt; tum odia viresque omnes cupidi vindictæ animi, in Litvaniam ac Samogitiam effuderunt. Prima, velut hostia impotenti ferociæ, deleta Velona arx, loco à natura permunito ad Nemenum sita. Magnis viribus, ac pertinaciter oppugnatio ejus tentata est, neque minus feliciter aliquoties rejecta:

An. 1328. Gediminus Ladislao Polono contra Crucigeros ducenti adest.

Crucigeri Litvaniam invadunt.

rejecta: ita ut non exigua cum strage suorum repulsus, obsidionem solvere fuerit coactus, Theodoricus Comes ab Aldenburg, qui tum pro Magistro Ordinis, universæ Prussiæ Mareschalcus præerat. Rediit ille quidem rursus novis succinctus copiis, cum quibus è Bavaria Henricus Dux advenerat: at prioris cladis memor, nihil tum apertâ vi, nihil impetu agere. Excitatis tantùm tumultuario opere, ab utroque arcis latere munitionibus, impositoque valido præsidio, quasi per ocium arctiùs obsessos è propinquo premere: commeatum omnem avertere, atque adeò fame deditionem urgere. Gediminus ut obsidionem Velonæ solveret Fridburgum & Beierum magnâ vi adortus, in viginti dies continuam oppugnationem produxit. Multam stragem succedentes vallo Litvani acceperunt, ab insolenti hactenus armorum genere. Fistulas enim ferreas, quæ pulvere pyrio & globis oneratæ, conceptam intra pulverem flammam evomendo, magno simul impetu vehementique cum fragore globum

globum in adverſos ejicerent: jam tum ad Pruſſorum uſum perveniſſe, memorant noſtrates. Ingenioſum hujus ſæculi inventum, ſed quod omnem veteris militiæ gloriam inſigniter prodegit: nam quis ibi virtuti ac fortitudini antiquæ locus, ubi inter fortiſſimos quoſque, imbellis manus pænè per ocium infinitas ſpargit cædes? Ad gladium, vel haſtam, manumque, res deducta, virum probare debet: at inter fiſtularum ejuſmodi uſum, caſus necem diſpenſat; quam vir fortis neque vitare, neque ulciſci poſſit, quòd à qua manu veniat, neſciat. Hoc teli genere, Gediminus trajectus, cum oppugnationem ferventiùs inſtruit ac urget, inter ordines exanimatus concidit. Mox tota pugnantium facies in funebrem pompam verſa; cum pars luctu, Reipublicæ damnum: omnes, militari cantu triumphos ac victorias Ducis celebrarent. Deinde integris caſtris velut ad triumphum comitantibus Vilnam deductus, ac ſolenni ritu elatus crematuſque eſt, in campo Suintoroha. Erat Gedimino præter aliquot filias,

Gediminus in oppugnatione arcis occiditur.

lias, (quarum unam Caſimiro Poloniæ Principi, alteram Venceſlao Mazoviæ Duci in matrimonium elocarat) numeroſa ſatis proles maſcula: atque hinc futurorum motuum non levis fomes. Quare ut diſcordiarum materies maturè ſubtraheretur, Montivido, Kiernoviam & Slonimum; Narimundo, Pinſcum, Mozyrum, partemque Volodimirenſis provinciæ; Olgerdo, Krevum & quidquid inde Berezynam uſque porrigitur; Kieyſtuto, Samogitiam, Trocenſes præterea, Grodnenſes, Caunenſes, Lidenſes, Vpitenſes agros, ac Subſylvaniam: Coryato, Novogrodecum, Volkoviſcum; Lubarto, Volodimiriam & Volyniam; Iawnuto, Vilnam gentis caput, Oſmianam, Vilkomiriam, Braſlaviam: quem etiam ſupremum Principem deſignaverat. Id verò ceteros fratres ægrè habere: juvenem non ætatis jure, aut virtutis ſuffragio; ſed ſolo inconſulti paterni amoris præjudicio ſibi anteferri. Ne tamen repentè affectus in apertum prorumperent, irritatam æmulatione indignationem recens erga pa-

Gedimini filii.

An. 1329. Iawnutus hæres Principatus à Patre deſignatus.

 rentem

rentem obſervantiæ memoria premebat. Publicis comitiis, palàm profitentur; in ejus ſe poteſtate futuros, quem parens ſibi ſucceſſorem dixiſſet: atque ita plenis comitiis, communique conſenſu fratrum ac Ordinum, Iawnutus natu minor Magnus Litvaniæ Dux renunciatur. Actum exinde in Senatu de belli cum Crucigeris gerendi rationibus: concluſumque, ut Iawnuto Rempublicam domi adminiſtrante; penes Kieyſtutum ac Olgerdum, viros bello exercitatiſſimos, armorum jus ſupremum eſſet. Verùm *aſpiranti ad ſuprema, omnis gradus ſupremo minor, auget non implet cupiditatem: parvus quiſque ſibi videtur, cum altiorem, quem odit, videt.* Diſſimulata malè tantiſper æmulatio, citò in apertam conſpirationem excrevit: Kieyſtuto ac Olgerdo in ea conſilia occultè abeuntibus, ut Iawnuto Principatus abrogaretur. Atque cùm Olgerdus, ſeu ſpontè tergiverſaretur, ſeu Vitepſco tam citò adeſſe ad condictum diem non poſſet: Kieyſtutus Trocis è propinquo in omnia intentus, die vigeſima ſecunda Novembris

Exuitur Principatu Iawnutus.

vembris immiſſo tacitè Vilnam milite, utraque arce ſub matutinum crepuſculum potitus eſt. Evaſerat inter primum tumultum excitatus à ſomno Iawnutus, & per muros elapſus, ſeminudus in fugam abiverat; ſed per Kieyſtutianos equites è ſylvis retractus. Neque multò poſt Olgerdus, cum milite ſupervenit. Hîc verò nova inter duos fratres, plena officii contentio; ex qua non difficile ſit ſuſpicari, tertium non regnandi cupiditate, ſed ſola æmulatione, imperio motum. Neuter Principatum illi ereptum, ſibi uſurpare; uterque parendi, non imperandi partes eligere: deferre Kieyſtutus Olgerdo tanquam ſeniori; Olgerdus Kieyſtuto, qui ſuo periculo alium loco depuliſſet. Convenit tandem inter utrumque: ut Olgerdus titulos Magni Ducis aſſumeret; cetera ex æquo dividerentur: hoſtes ſoli, communes utrique eſſent. Iawnuto verò è cuſtodiâ eliberato, Zaſlavienſis Ducatus eſt attributus: qui deinceps ejus poſteris ad ſolas fæminas redactis, per maternam hæreditatem in

Hleboviciorum possessionem transiit. Neque ulli domi majores inde motus subsecuti; sive quòd Iawnuto non esset ad res novandas ingenium; sive quòd reliqui Proceres ac fratres, in Olgerdum proniore animo essent. Neque minus ad quietem profuit metus potentiæ, quâ paulo ante ipsi proceres Olgerdum ac Kieystutum succinxerant, legionibus eorum imperio permissis.

LIBER VIII,

De rebus Litvanorum sub Olgerdo Principe.

An. 1330. Olgerdus M. Dux Litvaniæ bellum contra Prussos indicit.

OLgerdus, ut res suas domi firmare posset, ad externum bellum curas omnium initio Principatus avertit. *Erepta nuper Samogitiæ non exigua pars, vastati toties Litvaniæ agri, in ipsis pæne patriæ visceribus munitiones excitatæ, Princeps recenter bello amissus, ne impunè hosti abirent: totis comitiis urgere, rogare, imperare. Bellum se*, ajebat, *& Principem Litvaniæ & filium cæsi Gedimini, edicere: sequerentur fratres; sequerentur Proceres; quò dolor aut Principi aut parenti debitus duceret.* Magno consensu bellum omnes jusserunt: & vix ullum unquam, aut majore mole à Litvanis, aut majoribus Prussiæ damnis, gestum est. Ne quid verò interea damni Respublica pateretur, ab ea, quæ Livoniam attingit parte: Vitepscensibus, Polocensibus, Vilkomiriensibus, Braslaviensibus, Dryiensibus, ea cura demandata est: qui non fines modò tutati sunt, sed Curlandiam quoque pervastarunt. Statim è comitiis Olgerdus & Kieystutus Caunam cum prætorianis legionibus movere. Principum properatio, cæteris morarum prætextus rescidit: paucos intra dies quaterdena militum millia convenere. His copiis Prussiam ingressus Olgerdus, ita rem totam instruebat: ne quà, vel temerè pabulatum progressi, insidiis se induerent; vel pauci ad populationes missi, inter prædam, repentinâ vi obruerentur; vel inter munitiorum locorum oppugnationem morâ injectâ, hosti spatium colligendi vires daretur. Semper itaque acie instructa progredi: & quacunque se ver-

ſe verteret; totâ ſimul exercitûs mole, omnia obterere: vitatis arcibus atque oppidis, ferrum ac ignem, per totam Pruſſiam circumferre: prædam non integram circumducere, ſed partitim ſæpiùs in Litvaniam expedire: ne captivis caſtra onerarentur; promiſcuis cædibus, inter ſexum ætatemque non diſcernere. Nullibi pugnatum eſt, hoſte vitam & fortunarum reliquias murorum præſidiis tueri contento: Litvano tantùm per aperta exercitum circumducente. Solus Inſterborgenſis Præfectus, Everardus Sortz cum trecentis equitibus, & quingentis peditibus, quos è Saxonia in præſidii Regiomontani ſupplementa ducebat, ex itinere deprehenſus, in pugnandi neceſſitatem incurrit, deletuſque eſt. Quidquid verò inter Regiomontum, ſinum Baltici, Elbingam, Mariæburgum, Elsbergam clauditur, Sambia, Natangia, Varmia & pars Pomeraniæ, velut unum buſtum in cineres fumumque abierat. Spectabant ex arcibus calamitatis ſuæ argumenta in altum ſurgentia Crucigeri: & quam

quam tempeſtatem inſidiis aut vi avertere non poterant, induciarum tandem poſtulatione ſtitere. Promiſſa eſt pax petentibus in biennium: neque tamen exercitus ex hoſtico priùs deductus eſt; quam pars Samogitiæ à Crucigeris occupata, & ad Velonam excitatæ arces, Litvanis traderentur. Redimente libenter pacem iis conditionibus Theodorico ab Aldemburg (qui, pro Magiſtro, Pruſſiæ tum præerat) Olgerdus, victorem atque opimâ prædâ onuſtum militem domum reduxit. Vltus ibi feliciter cædem parentis, pacatiſque ab ea parte provinciis, in Ruſſiam, quæ Litvanæ ditioni ſuberat, animum intendit. Tartari enim è Taurica Cherſoneſſo olim, cum Batejo duce egreſſi, poſt univerſam propè Ruſſiam partim vaſtatam, partim occupatam, eos campos cis & trans Boryſthenem inſederant, quos nunc *deſertos*, populari nomine vocamus. Inde & Podoliæ per impoſitos Baskakos, ſeu Præfectos imperabant: & de Volynienſibus Kijovienſibuſque agris, infeſtis incurſionibus prædas agebant.

Fœdus Olgerdi cum Pruſſis.

An. 1331.

Olgerdi contra Scythas in Ruſſiam felix expeditio.

agebant. Hos perdomare Olgerdus ſtatuit: præſertim cùm ulteriores Ruſſorum provinciæ Scythicæ Aſiæ propiores, jugum Scythicum excutere feliciter interea cæpiſſent. Victorem itaque Pruſſico bello exercitum, poſtquàm modicâ quiete recreaſſet, versùs Boryſthenem duxit. Iam Kanioviam & Czyrkaſſos tranſgreſſus ad locum vulgò Siniawoda penetraverat: cum hoſtes in conſpectum ſe, latiſſimo campo, dederunt. Trifariam partiti exercitum, ingentem multitudinem ducebant tres Reguli, Katlubach Soltan, Kaczybey Gierey, & Dimeyter Soltan. Conſtabat non obſcurè comparatos in prælium ire; neque moram pugnæ facturos. Quare Olgerdus quoque ſigna conſiſtere jubet, & ſimul aciem expedit. Exercitum univerſum in quinque legiones dividit, acie in arcus ſpeciem inſtructâ, latera quantum poteſt diducit; frontem ita firmat, ut laxatis inter cohortes ſpatiis vacua intervalla intercipERENTUR. *Initium victoriæ* erat, *rectè ordines inſtruxiſſe*. Nam Scythæ, neque cum lunatâ acie

Tartari ab Olgerdo profligantur in Ruſſia.

acie ſolito more circumcurſando congredi poterant; neque diducta latera, contento curſu circumvenire: deinde ſagittæ uno totius exercitûs impetu miſſæ, ferè in vacua milite loca ab alto redierunt. At verò deductâ re ad manum & gladios atque haſtas, non diu hoſtis locum obtinuit: cum frontem Litvani ac Ruſſi aperuiſſent, turbata media acies, facilè totam exercitûs Scythici molem in fugam traxit. Tres Reguli, in pugna cæſi: promiſcua fugientium cædes, ampliſſimos campos, cadaveribus latè inſtravit. Proſecutus Olgerdus victoriam, cum exercitu Boryſthenem tranſiit. Pulſi ſunt ea expeditione Tartari omnibus iis agris, qui Kijoviâ Oczakoviam uſque, & Putivilo ad oſtia Tanais protenduntur: arces Tarhovicia, Bialocerkuja, Suinigrodum, & aliæ, ereptæ. Reverſus inde reliquias Scytharum per Podoliam ſine negotio vel delevit vel profligavit. Qui maturâ fugâ cædem evaſerunt, in Dobrucenſibus campis ad Danubium (quà in Thraciam è Ruſſia iter eſt) conſederunt: horum

E Podolia exacti Tartari.

 poſteri,

posteri, nunc etiam, & Sclavonicam linguam, & majorum suorum, Podolicis sedibus à Litvanis depulsorum memoriam, retinent. Podoliam Scythis perpurgatam Olgerdus attribuit nepotibus, Coriathi fratris filiis, Alexandro, Constantino, Theodoro & Georgio: quorum operam, eo bello, insignem expertus erat. Adjecit exercitûs partem, tuendæ contra hostes provinciæ, necessariam. Illi quòd ab hoste ocium haberent, regionem munierunt Bekotâ & Smotricâ arcibus excitatis. Tradunt etiam Scriptores munitissimâ in rupe miraculum munitionum Camenecum iisdem autoribus constitisse: ubi vallum non ars, aggestâ terrâ; sed solidâ rupe, natura in altum eduxit. Paulò post, Georgio ad Valachiam & Moldaviam cum imperio obtinendam evocato, atque mox Sochac-
An. 1332. zoviæ per venenum extincto: Theodoro ad paternum Novogrodensem in Litvania Principatum regresso; universa Podolia,
Moschovitici belli occasio. sub Alexandro & Constantino Ducibus, mansit. Scythico bello confecto, Moscho- viticum

viticum successit: ita Olgerdo recentis Principatûs anni, non fastis sed bellis & victoriis supputandi erant. Dux Moschoviæ Demetrius Semeczka, eâdem tempestate, supremum Scytharum per Europam & Asiam Imperatorem, Mamai Temnik, tanta clade ceciderat: ut tredecim leucas cæsorum cadaveribus implevisse, memoretur. Ille itaque excusso jugo Scythico (sub quo totos centum & quinquaginta annos hæserant Russi, jura atque Principes è Taurica accipere soliti) plura animo destinare: ad imperium universæ Russiæ aspirare: Severiam, Volyniam, Kijoviam, Vitepsciam, Polociam, & quidquid Russi olim nominis tunc sub Litvano jure erat, cupiditate atque adeo spe complecti. Vitepsci agebat Olgerdus, cùm legatus à Moscho venit. Plena erat fastu & barbarie legatio: non tam enim bellum indicebat, quàm extrema quæque minabatur legatus. Ignem & gladium manu ferens: *Hæc*, ajebat, *munera à suo Duce Vilnæ inter Paschales ferias expectaret: cùm vertente anno, subactâ uni-*

verſâ Litvaniâ, eò victricia ſigna Moſchus inferret. Quare ſi maturè tanti Principis iram avertere mallet; Ruſſiâ cederet, Litvaniam Moſchoviæ Duci ſubjiceret; tributum, ſervitutis pretium, mox numeraret. Nihil ad hæc impotenter Olgerdus: ne *inter præcipites affectus conſiliis locus periret.* Detineri honoris ſpecie legatum jubet; ipſe verò, maturè cum Kieyſtuto fratre, (qui fortè aderat) re collatâ, bellum incredibili ſimul celeritate & conſiliorum ſilentio expedit. Ex univerſâ Litvaniâ, Samogitiâ ac Ruſſiâ, cum milite exciti Duces, atque inprimis Principis fratres; ubi ad pręſcriptum mediæ quadrageſimæ diem, circa Vitepſcum comparuere; caſtra in Moſchoviam movit. *Expeditio Olgerdi in Moſchoviam.* Præibant exercitum, agreſtium operarum millia aliquot; his imperatum; ut viam, quæ rectâ Moſcuam tenderet, per ſylvas atque paludes aperirent, ſternerentque; adjecto duorum millium equite, qui contra ſubitos ab hoſte impetus, laborantibus ſubſidio eſſet. Exploratores quoque in omnem partem dimiſſi, maturè undique veſtigabant; quidnam

nam ab hoſte, vel ſciretur, vel ageretur. Ab ignibus omnique vaſtitatis genere, temperare omnino juſſi: neque plus injuriæ incolarum ulli inferre permiſſum, quàm ſine quâ neceſſarii commeatus conſtare non poſſent. Vbi Mozaiſcum amplam civitatem in proximo eſſe à ſpeculatoribus renunciatum eſt: Olgerdus militem modicâ quiete recreatum, & inſtructâ rectè acie, in apertam publicamque viam ſub ſignis eduxit. Tum primum legato (hactenus ignaro, quid ſecum ageretur, aut quò locorum avectus eſſet) ad ſe vocato, fomitem ſuccenſum tradit; adjectis hiſce mandatis. *Perferret ſuo Principi literarum munerumque loco fomitem accenſum.* *Moſchorum Duci fomitem accenſum mittit.* *Diceret: levare ſe Ducem Moſchum labore Vilnam uſque pergendi; & priorem Moſcuæ affuturum, quàm ignis fomitem hunc exederet. Perfecturum mox, ut alliſâ ad palatium Demetrii haſtâ, illud altè inſcriptum relinqueret: non illum Imperatorem eſſe, qui bellandi momenta in annos differendo, occaſionibus quærendis indormit: ſed eum qui ipſam occaſionum egeſtatem, in belligerandi commoditates vertit.* Octo

adhuc ſupra decem milliaria ſupererant, inter caſtra & Moſcuam: tantâ tamen celeritate, id viæ, propè curſu, miles confecit; ut legatus, ſequentem exercitum, paucis tantùm horis anteceſſerit. Illâ ipſa nocte, quam Chriſto poſt mortem ſurgenti dicatam, majoribus cæremoniis Chriſtiana religio in ſingulos annos colit: cùm Dux ad nocturna ſacra templum ingrederetur; legatus occurrit, mandata exponit, hoſtem ſe Mozaiſci reliquiſſe nunciat. Quid reliquis fuerit in tam ſubiti periculi famâ conſternationis, promptum eſt ſuſpicari. Princeps certè, ſive quòd *attonitam mentem ad conſilia movere non poterat*; ſive quòd temerariâ fiduciâ vana eſſe legati verba reputaret; ſive quòd in barbaro pectore, plùs reverentia religionum quàm periculi æſtimatio, valuiſſet: reliquam noctem ſecurus in templo inter ſacra exegit. At ubi albeſcente die, hoſtilia ſigna, explicatâ per Poklonnam montem acie, muris imminere; totâ urbe viſum, conclamatumque eſt: tùm Demetrius, velut veterno excuſſo,

Ipſis feriis Paſchalibus exercitum Moſcuæ admovet.

cuſſo, animum & conſilia in omnem partem raptare: jubere, & mox imperia mutare. Sed jam agendi momenta urgebant, cùm Olgerdi celeritas moram non ferret. Subitæ obſidioni ferendæ, urbs non erat; commeatu non inſtructa, agreſti plebe (quæ ad ſacra confluxerat) ipſa ſibi gravis: ſed neque in ea multitudine tantùm juventutis erat, ut in apertum contra armatos, atque ad pugnam comparatos, educi ſine temeritate poſſet. Omnia itaque in deſperationem, deſperatio in preces cecidit: miſſi ſupplices legati qui offerrent amicitiam, pacemque poſtularent. Olgerdus quoque, non ita ſecundis initiis animum permiſerat: ut ſecuturorum eventuum metu, non fluctuaret. *Cogitabat, hoſtilibus terris ſe cinctum undique, à ſuis avulſum. Quid ſi, Demetrio pugnam detrectante, bellum protrahi neceſſe foret? undè commeatus inter hoſtes? nunc facilem victoriam videri; cùm hoſtis in trepidatione eſſet; ſed longè faciliorem pacem: Paulò poſt belli quidem gerendi rationem fore ancipitem, pacis autem ineundæ nullam: cùm concurrente undequaque ad Regiam*

Moſchus ſupplicat Olgerdo.

Regiam milite, urbem inter & castra medius clauderetur. Ad victoriam & gloriam satis sibi jam esse; quòd peteretur, ut parceret: datâ pace, quidquid armis quærendum erat, obtineri posse. Ita cùm Moschus, subita, nimiùm metuit; Litvanus secutura, maturè præcavet: non magno negotio convenerunt in fædus; his conditionibus. *Olgerdus præcipuis amicorum ac equitum comitatus, urbem tanquam amicus ingrederetur: tanquam victor, hastam portis arcis illideret. Litvaniæ fines, Mozaiscum usque, & ad Vgram fluvium proferrentur. Militi, stipendium; Duci, impensæ belli; à Demetrio annumerarentur. Inter utrumque populum, æterna fædera jurejurando stabilirentur.* Cum in eas conditiones; Demetrius Princeps, Antistes sacrorum, vulgò Metropolita, Senatus, ac præcipui Bojarorum jurassent: Olgerdus Moscuam eodem die ingressus, hastam regiæ illisit, & Duci ad ipsas aras hac planè militari formâ salutato (*Intelligis jam Demetri, quis nostrûm gerendis bellis maturiùs consurgat*) ovum Paschale obtulit. Mos enim vetustus Russis, inter ferias Paschales, ovum variis coloribus

Conditiones fæderis inter Moschum & Olgerdum.

Olgerdus Moscuam urbem intrat: hastam portæ arcis infigit.

loribus illitum, per amicitiæ officium offerre. Olgerdus verò, quanquam Ethnico ritu publicè operaretur: tamen, quòd nuper in gratiam Vlianæ conjugis Vitepsciorum ducis, Christianis sacris se initiari permisisset; Russorum ritum non aversabatur: quibus etiam templa duo, Vitepsci excitaverat. Ejusdem animi argumentum dedit, cùm per idem tempus illatam Christianis Sacerdotibus cædem, insigniter ultus est. Palatinus Vilnensis Petrus Gastoldus, ductâ in conjugium ex nobilissima inter Polonos Buczaciorum domo, virgine, palam ad Christianos Romano ritu transierat: atque tum privatæ pietatis causâ, tum etiam ad vulgandum inter gentiles suos Christi nomen, Ordinis sancti Francisci Religiosos Vilnam evocatos in ea area collocarat, quam nunc Sacellum S. Crucis occupat. *An. 1333.* Inde illi in sacram messem intenti, securiùs contra Ethnicas superstitiones agebant Gastoldi patrocinio. Vir enim primæ per Litvaniam auctoritatis atque potentiæ erat: & Olgerdo absente Reipu-

Martyrum Fratrum Ordinis S. Francisci Vilnæ.

 blicæ

blicæ pro Principe præerat. Quamdiu ille præſens Vilnæ agebat, religionis Chriſtianæ præconibus conſtitit in integro ſua ſecuritas; at per ejus abſentiam (Tykocinum fortè in Podlachiam ſeu Subſylvaniam abiverat) plebs à quopiam concitata acriter in eos deſæviit. Pars, numero ſeptem, è domo violentè in forum protracti, præciſis cervicibus inter plebis convitia ſanguine ſuo Litvanas terras Chriſto initiarunt: pars alia, alii ſeptem, in verticem montis, vulgo Lyſagora dicti, raptati, crucibus alligati, atque per abrupta montis in præterfluentem Vilnam deturbati. Sacra cæſorum corpora à Gaſtoldo conquiſita, in eâdem areâ, è quâ Chriſtum prædicaverant, ſepulta ſunt. Reverſus ab Moſchovitica expeditione Olgerdus, ſeu quòd facinus per ſe atrox id exigeret; ſeu quòd proniore jam quàm ante affectu in Chriſtianos eſſet; ſeu Gaſtoldo agente, in capita tumultus, quæſtionem inſtitui juſſit. Quæſitum; atque quingenti omnino è Magiſtratu populoque Vilnenſi capite plexi ſunt.

Vilnenſes cives ob necatos Chriſtianæ religionis præcones plectuntur.

ſunt. Lege inſuper cautum, uti poſthac Chriſtianis ſuas religiones promoventibus ſecuritas publicè, privatimque eſſet. Novam itaque virorum religioſorum ejuſdem Ordinis coloniam Gaſtoldus Vilnam evocat, & ſedem ad paludem Vinkram deſignat, ibidemque B. Virginis templum dedicat. Rigatus prædeceſſorum ſanguine ager, inter ſucceſſorum curas protulit magnos pietatis proventus, quibus in hunc diem fruimur. Proximis annis & foris quietem interceſſiſſe ab armis, & domi nihil momenti actum, ipſum Scriptorum ſilentium teſtatur. Mors Vankonis ſeu Vence- *An.* 1336.
ſlai Ducis Mazoviæ, (qui ſororem Olgerdi in connubio habuerat) ſubſecuta, quietem rupit. Et affinitatum & fœderum jura, morte Principis terminata rati, magno exercitu Litvani Mazoviam in Novembri pervaſtarunt: aderat vaſtatoribus ipſe Olgerdus, cum aliis fratribus: memoratur mille ducentos captivos eſſe eductos. Neque minorem ipſi cladem domi acceperunt à Germanis. Marchio Brandeburgicus cum Co-

 mitibus

mitibus Namensi & Hennebergensi atque Crucigeris Equitibus, magnis copiis, post vastata obvia, arcem Pullen seu rectius Punie, obsedit. Quatuor illic bellatorum millia erant, qui ad primum de hoste nuncium cum universâ familiâ è finitimis agris eò convolaverant. Fatigarunt diu hostem, non pro mænibus modò pugnando, sed apertis etiam portis erumpere in oppugnantes non infeliciter ausi. Cæsis tamen multis, pluribus vulneratis; cum defensorum numero, defendendæ quoque arcis spes, imminui cæpit: præsertim quòd laxati variè, quâ cuniculis, quâ arietibus muri, parum præsidii jam haberent. Consilium itaque desperatione plenum aggrediuntur: ne hosti cedant, arma in suos atque seipsos vertunt. Comportatâ ingenti strue, quidquid rapere hostis posset, in ignem congerunt. Vxores, prolem, & quidquid imbellis aut sexûs, aut ætatis, cædunt, atque in flammas conjiciunt. Vbi ita suis parentassent, seipsos Præfecto arcis jugulandos præbent, qui deinde ultimus ipse ferro

Crucigeri Punie arcem oppugnant in Litvania.

sponte

sponte incumberet. Memorabile certe facinus, si in virtutis materiam incidisset! sed *hæc est incultarum mentium infelicitas, quòd ingentes animos ac vires, in vitia & desperationem consumant*. Dum ita illi furunt: muros defensoribus destitutos Germani subeunt; irrumpunt, Tragædiæ finem abrumpunt. Pauci jam supererant: sed hi quoque eâdem obstinatione, quâ à Præfecto expectabant mortem, inter hostem quærere; ruere in confertos. Vix aliqui potuere vivi accipi: omnes cæsi. Eversâ funditus arce, per circumjacentes agros populabundæ legiones in Prussiam reductæ. Olgerdus quamquam eâ vice insigne damnum à Prussis accepisset: tamen à Prussica expeditione abstinuit, & in Mazoviam circa medium Octobrem movit. Consilii ejus ratio, sub silentio mansit. Expeditionem verò infelicem eventus reddidit. Nam cum captis Pultoviâ & Ciechanoviâ Civitatibus, vastatisque earum territoriis, ingentia spolia reducerent, & securiùs non ex disciplina militari agerent: à Nobilitate Mazoviâ ad

Litvanorum desperata fortitudo.

An. 1337.

Litvani à Mazovitis profligati.

 Nar-

Narviam profligati ſunt. Pauci nando effugerunt, quibus potior ratio vitæ quàm prædæ fuit: at qui præda onuſti, in paludoſas ejus fluvii ripas, ſeſe injecerunt; ibidem, hauſti paludibus, interierunt. Elapſo
An. 1339. inter otium anno ſequente, ſub initia deinde tertii, Magiſter Livoniæ Samogitiam iteratâ irruptione vexavit: Theodoricus verò ab Aldemburg Magiſter Pruſſiæ, cum Germanicis copiis, quas Comes Palatinus Rheni, ceterique Imperii Principes ſecum adduxerant, in Litvaniam irrupit. Velona inprimis arx Nemeno imminens, magna contentione oppugnata eſt. Habebat in præſidio Litvanos Samogitaſque manu & conſilio viros: horum fortitudine atque conſtantia hoſtis coactus, poſt amiſſos aut vulneratos audaciores, rem infectam deſerere. Fortaſſe etiam externus miles ad hyberna aſſuetus, in campo ſævientem hyemem pati neſciebat. Per æſtatem majoribus copiis ingreſſi Pruſſi, ingentia damna Litvaniæ ac Samogitiæ intulerunt: vaſtati agri, captivi magno numero abducti. In reditu

reditu ne paterent expediti paſſus, quos ſilenti agmine tranſgreſſi Pruſſiam repentinis incurſionibus Litvani ac Samogitæ vexabant, triplici foſſâ & vallo, immiſſiſque in foſſas aquis permunierunt. Per idem ferè tempus inter Regem Caſimirum Senatumque Polonum de ſucceſſore in publicis Regni Comitiis agebatur. Sunt qui memorant Conſtantinum Coriatovicium Podoliæ Ducem, Olgerdi nepotem, communi Regis Senatuſque conſilio ad eum honorem vocatum fuiſſe. Venerat ille Cracoviam: ſed quòd Ruthena ſacra deſerere, atque ad Latina tranſire etiam regni cauſâ nollet, ſpe ſucceſſionis dejectus eſt. Neque multò poſt reverſus in Podoliam è vitâ exceſſit.

Conſtantinus Coriatovicius nepos Olgerdi ad Regnum Poloniæ invitatur.

Mortuo fratri ſucceſſit, annitente Olgerdo, Dux Novogrodenſis Theodorus Coriatovicius: hic, cùm novis provinciis auctus, vetera Magni Litvaniæ Ducis imperia cæpiſſet aſpernari, omnibus ditionibus exutus eſt. Olgerdus ipſe rebellem bello petiit. Theodoro abſente (nam impoſitis validis Valachorum præſidiis, ipſe ad

Olgerdus nepotem rebellem, armis compeſcit.

ad Hungariæ Regem cum omni pecunia atque auro, auxiliorum causâ Podoliâ abiverat) neque cum copiis reditum maturante, præcipuis arcibus Braslavia, Smotryca, Sokolco, Skala, Kameneco, Czervonogrodeco, quà aperta vi, quà celeritate potitus, universæ Podoliæ in formam Provinciæ redactæ Palatinum imposuit Gastoldum. Valachos milites universos ferro delevit: Niestacum, qui pro Theodoro Podoliam gubernabat, Cameneci captum
An. 1340. Vilnam remisit. Novos deinde per Russiam motus aperuit, mors Boleslai Mazoviæ Ducis, nuper veneno à Russis sublati: qui partem Russiæ Haliciam inter & Leopolim interjacentem, maternâ hæreditate ad se devolutam, impotentissimè administrabat. Legitimus illi hæres solus erat Casimirus Rex Poloniæ. Huic itaque jus suum in Russiam, armis vindicaturo, cum Litvanis priùs bellum, omninò necessarium videbatur. Nam & Lubartus Leopoli, & Kieystutus magnis per Russiam possessionibus, fratres Olgerdi; & Georgius Narimunto-

Occasio controversiarum de Russia inter Polonos & Litvanos.

muntovicius, eorundem Nepos, Krzemienicio imperabat. Vitandum tamen erat omnino Litvanum bellum Polono; ne pluribus simul impedimentis involutus, cum universa simul belli moles incumberet, sub onere fatisceret. *Magna* enim, *rectiùs per partes administrantur; quæ in unum congesta, omnem curam & vires superant.* Casimiri itaque prudentiâ res ita temperata est: ut cum Litvano æquis conditionibus fœdera pactus, in reliquam Russiam arma verterit, eamque spoliatam ac subjectam arcibus excisis, pretiosiore supellectili evecta, Poloniæ adjunxerit: incolas Polonis deinceps legibus vivere, jusserit. Verum non diu inquietum Kieystuti ingenium pacem tulit. Exeunte ejusdem anni æstate in Septembri (ignotum quâ causa) Mazoviam hostili agmine ingressus, universa provinciâ peragrata, ingentes prædas impunè abegit. Major longè vastitas Prussiæ illata est, altero abhinc anno copias universas è do- *An.* 1342.
mestico externoque milite comparatas, è Prussia eduxerat, Rudolphus Dux Saxoniæ

Ordinis Magiſter contra Polonos & Pomeranos, quibus Marchiam novam adimere conabatur. Litvani cum Samogitis eam occaſionem rei gerendæ, ſive ſua ſponte & antiquarum injuriarum memoriâ incitati, ſive à Polonis exciti, arripiunt. Tumultuariè non tam militem quàm prædatorem legunt, & nudatam omni præſidio Pruſſiam pluribus ſimul locis invadunt. *Tantum momenti eſt, agentem inter duos hoſtes, non attendere quid ab alio pati poſſis, cum in unum intentus es!* Vaſtatâ atque in cineres ferè redacta univerſa Pruſſia: coloni pænè omnes exciſi. Certè tanta ea ſtrages fuit, ut Rudolphus ab ſua expeditione reverſus, ex ſolo inſolitæ calamitatis conſpectu, etiam ad dolorem obſtupuerit; ſenſibus & ratione, atque adeò ipſa paulò poſt vitâ amiſſis. Succeſſor autem ejus Henricus Duſemer univerſam propè Europam ad bellum ſolicitare eſt coactus. Clemens ipſe, Sextus eo nomine Romanus Pontifex, ſingulos Chriſtianorum Principum literis ſuis ad arma evocabat. Merentibus ſtipendia contra

Pruſſia à Litvanis vaſtatur.

Chriſtianorum Principum contra Litvanos expeditio.

contra Litvanos & Samogitas ii favores Divini promittebantur, quos conſequi mos eſt, peregrinos: qui ſuſcepto voto, ſepulchrum Chriſti Hieroſolymis; aut D. Iacobi Compoſtellæ; aut certè Apoſtolorum limina, Romæ; religiosè inviſunt. Excivit cohortatio Pontificia non gregarium modò militem, ſed ipſos Principes cum ingentibus popularium copiis. Aderant Hungari, cum Ludovico Rege; Bohemi cum Ioanne Rege; Moravi cum Marchione Moraviæ Carolo, Ioannis Regis filio, poſtea Romano Imperatore. Aderant Germani cum Brandeburgico Marchione, Comite de Halles, pluribuſque Imperii Principibus. Aderant Danica auxilia, cum veteranis belli Ducibus. Henricus Magiſter Pruſſiæ, & Burchardus Horem Livoniæ, cum ſui Ordinis Equitibus & Pruſſo ac Livonico milite. Flos planè Militiæ Europeæ in armis erat; neque aliud ſpirabat, nedum loquebatur, quàm excidium Litvaniæ. Iam fama tantæ expeditionis in Litvaniam penetrarat. Pleriſque extrema metuere. Ol-

 gerdus

Olgerdi & Kieystuti in subitis periculis ingenium.

gerdus & Kieystutus (qui *generosis mos est*) *neque omninò desperare neque nimiùm fidere*: illud omni modo agere, quâ arte vires hostium perfringi, atque in caput authorum verti possent. Legunt inprimis ipsi quoque expeditos, è veteranis, exercitûs; Kieystutus per Samogitiam, Subsylvaniam, & Trocensis Palatinatûs territoria: Olgerdus per ulteriorem Litvaniam atque Russiam. Arces finitimas commeatu, milite, præfectis bello probatis, instruunt: imbellem omnem ætatem, ac sexum vel in ulteriora Litvaniæ, vel in profundiores sylvas, & inaccessa paludibus loca cum universa re familiari amovent. Tùm injectis ignibus, quidquid agrorum Prussiæ adjacebat, ad plura milliaria flammis absumunt. Ipsi diviso bifariam exercitu, in diversa intenti expectant, ut hostis Litvaniam ingrediatur. Vt primum à speculatoribus nunciatum est Christianum militem fines Prussiæ transgressos Litvaniam intrasse: Olgerdus ab unâ parte Livoniam, ab alterâ Kieystutus Prussiam milite ac præsidiis vacuas, invadunt:

An. 1343.

dunt: Ignari Christiani quid domi ageretur, castra securè per hosticum promovere; & aliquot dierum itinere progressis, hostem nullibi occurrisse; mirari. Quærendum tamen omnes decernunt: proditurum spondent, cùm intima rimari sensérit. At neque pugnandi neque sæviendi copia dabatur; cum nullibi signa hostilia, nullibi coloni, agrestiumve vici comparerent. Mox etiam commeatus deficere; quem aliarum regionum more ex hostico speraverant. inde partim inediâ, partim ciborum insolentiâ morbi ac lues vulgari; & mox funera jumentorum ac virorum. Ita Principes à cogitatione belli ad jurgia & contumelias versi, auctorem belli execrari: Magistrum Prussiæ prope ut proditorem tractare. Denique amissa exercitûs magna parte, projectisque passim impedimentis, è Litvania abitum, fugâ nihilo meliorem, maturare. At Olgerdus interea Livoniam Derpatum usque & Ozelam Insulam pervagatus: latè ferro & igni grassabatur. Kieystutus verò Sambiam nuper bello intactam

Expeditionis Germanorum in Litvaniam eventus infelix.

 tactam

tactam aggressus, Regiomonto exciso, pluribusque arcibus ac oppidis vastatis, ingentem prædam vitato hostilium signorum occursu eduxit. Atque is tanta mole apparato bello exitus fuit: documentum posteris, *bella sæpè fortunatiùs ingenio, quàm virium magnitudine geri.* Proximus annus in
An. 1345. ocio abiit: sequentis verò deinde anni hyems plus terroris, quàm damni intulit. Henricus Magister, cum reliquis externorum auxiliis, & Marchione Flandriæ, Samogitiam invaserat: verùm irrito conatu ea expeditio cessit; tum, quòd agrestes maturè se ad præsidia recepissent; tum, quòd per Martium varia aura, modò nudâ glacie, modò nimiis aquis itinera reddidisset impedita. Itaque expeditione in aliud tempus rejectâ; tunc quidem inglorii, prædaque vacui, domum redierunt Prussi: Cæ-
Litvania vastatur, Olgerdus profligatur.
An. 1346. terùm sequente anno, cum quadraginta millibus Litvaniam ingressi, vastitatem latè per Samogitiam circumtulerunt. Quarto Nonas Februarii populabundis castra Olgerdus objecit, magnoque animo hostem invasit.

invasit. Pugnatum acriter solido die: sub noctem tandem Litvani fusi, campo & castris exuti. Olgerdus cùm neque animum apud turbatos reficere, neque aciem pugnamque inter fugientes restituere posset, post tentatas omnes Imperatoris militisque boni artes, cum Samogitis & Polocensi milite, sub signis, servatisque Ordinibus Velonam se recepit. Cæsa, ea vice, decem Litvanorum millia. Quamquam verò neque Pryssis incruentam victoriam fuisse, auctores memorent: Magister nihilominus monumentum gratæ erga superos voluntatis Regiomonti dedicavit, cænobium Sacrarum Virginum, quod deinceps *Lebemeinch* vulgus nominavit. Partem aliquam injuriæ reposuit hostibus Olgerdus: nam eodem anno cum illi nihil à victis hostile timent; in Sambiam irrupit, & ultra reliqua damna, ferro ac igni illata, aliquot millia captivorum eduxit. Mors Magistri Prus- *An.* 1347.
siæ subsecuta, aliquid respirii attulit: diceres, mare placatum, ad tempus posuisse fluctus; ut repentinæ tempestati fraudulentè

lentè præluderet : ita post breve ocium, dato novo successore Henrico de Kniprod pertinaciter deinceps ab utraque parte mutuæ clades frequentatæ. Prima novo Magistratui auspicia Henricus, à Litvana expeditione dedit. Contractis initio Ianuarii copiis agros Pastrimani territorii latè populatus, atque ut à quibusdam notatur Trocos usque progressus, priùs indè militem cum præda eduxit, quàm Litvanus auxilia laborantibus expedivisset. Rapto nihilominus qui poterat milite Olgerdus, cum Kieystuto, ejusque filio Patrico hostem abeuntem magnis itineribus assequi conatur : quem intra Litvaniam non adeptus, speculatores dimittit, nunciaturos quid rerum apud hostem ageretur. Vbi intellectum est, divisâ præda, solutisque castris, militem universum dilapsum esse: tum summâ celeritate, pænè vestigiis victorum recentibus hærendo, Prussiam invasit. Iam direptis aliquot territoriis onustum prædâ & captivis militem impunè ex hostili provinciâ deducebat : cùm Smolensciæ

An. 1348.

Novus Prussiæ Magister vastat Litvaniam.

Vastatur vicissim Prussia à Litvanis, & Russis.

lensciæ Dux nova auxilia ab ulteriore Russia ducens, supervenit. Hic quoque ad vastandam Prussiam ire jussus, primo quidem impetu circa Labioviam non exiguam stragem ferro & igni latissimè edidit : tandem cum Præfectus Labioviæ armatum militem abeunti objecisset ; minoribus licet copiis fusus ; & prædam & victoriam in manibus hostium deseruit. Plùs nocuit temerè fugientibus fuga, quàm pugna : major enim pars copiarum cum ipso Duce vorticibus fluvii, in quem se temerè projecerant, hausta interiit. Eodem anno fædera inter Eduardum Angliæ & Philippum Galliæ Reges constituta, ingentem belli tempestatem in Litvaniam & Samogitiam effuderunt. Præcipuus enim ex utrisque castris miles, ad sacrum contra Ethnicos bellum, in Prussiam evocatus, ad quadraginta millia virorum ascenderat. Tanto exercitu Magister Henricus, Kieystuti ditiones aggressus territoria aliqua ferè excidio delevit. Abeuntem cùm 9 Kal. Febr. assecutus esset Kieystutus, ingenti animi

An. 1349.

Litvani à Prussis profligati.

ferociâ totoque impetu in extremam aciem irruit. Vbi à repentino tumultu res ad justum prælium devenit, acriter utrinque pugnatum est. Ceciderunt è Prussis præcipui Gerardus de Stegin Præfectus (vulgò Contor) Gedanensis, sex Ordinis fratres; & quinquaginta è primariis equitibus: gregarii militis peditis ac equitis magna pars desiderata est. Victoriam tamen illi obtinuerunt. Levis enim Russorum ac Litvanorum equitatus gravem ferro Germanum militem diu non poterat sustinere: amissis in campo octodecim suorum millibus reliqui in fugam se conjecerunt. Afflictam eo inauspicato eventu rem Litvanam, graviorem reddidit novum eodem anno à Polono bellum. Casimirus Rex Poloniæ attritas Prussica clade vires Litvanorum nactus, Lubarto & Kieystuto in Russia ditiones, armis extorsit. Occasio belli, prætextus hæreditatis in eas Provincias, quas antè bello à Gedimino & Olgerdo occupatas Litvani ut sui juris possidebant. Adempta est Litvaniæ Volynia, Podolia cum Bel-

Bellum Polonum in Russia contra Litvanos.

zensi

zensi & Brestianensi Palatinatu: ejectis undique Litvanis, præsidia & Præfecti Poloni impositi. Litvani quamquam gravissimo cum Crucigeris bello implicati tenerentur; magis tamen Russiam per Polonos ereptam, quàm cætera à Crucigeris illata damna sentire. Vt primum lues, quæ per duos ferè annos Poloniam fædè vexavit, mitigari cæpit. infestis signis in Sendomiriæ Palatinatum irrumpunt, fusisque Polonis, qui populationes armis sistere conati fuerant, latissimè ferro & igni sæviunt. Conversis inde in Russiam armis, eodem impetu, arces & civitates nuper sibi detractas, quà vi, quà deditione recuperant. Sola Leopolis intentata: quòd & novis muris, & præsidio firmissimo, difficilem ostenderet oppugnationem: omnis tamen circumjacens ora, ferro & igni vastata est: Ex iis deinde, quas receperunt, arcibus, finitimi Polonorum agri continuis populationibus infestabantur. Casimirus Rex, etsi post nuperam de Litvanis victoriam, à militaribus studiis totum se ad voluptatum curam

An. 1350. Poloniam Litvani vastant, Volyniam recuperant.

An. 1351.

 trans-

Poloni Volyniæ partem recuperant, fusis Litvanis.

transtulerat : urgente tamen per iterata damna hoste, resumpsit veterem animum & arma. Accessit ad belli societatem Ludovicus Hungariæ Rex nepos Casimiri, nuper regno Poloniæ successor designatus; quo nomine etiam omne suum in Russiam jus Casimiro atque Polonis transcripserat. Ab eo enim tempore, quo Hungariæ Princeps Colomanus Haliciæ & Volodimiriæ regnaverat, Russiæ finitimæ Dominos se Hungari ferebant: quamquam pridem non possessione modò ejus omni, verùm ipsâ spe depulsi. Vastavit eâ expeditione Casimirus Volodimirienses agros,& caput Regionis Volodimiriam oppugnatione cepit. Pugnatum etiam est cum legione Litvanorum unâ, quæ in castra regia inciderat: fusi Litvani atque Dux ipse Kieystutus vivus in potestatem hostium venit. Eodem bello Volodimiriæ obsessus Lubartus,manus Polonorum insigni audaciâ unius militis evasit. Bogdanus de Iwanice dicebatur: hic profundâ nocte castra Polonorum ingressus, atque universa ad plenæ Lunæ radios ex ordine speculatus, Principem de omnibus instructo modum viamque periculi evitandi aperuit. Auctus ob id meritum à Principe possessionibus, novoque stemmate, nobili *Ivvanieciorum* familiæ initium dedit. Kieystutus verò apud victores honestè atque regiè habitus, cum spem Christianæ religionis à se suscipiendæ fecisset, mitiùs à custodibus sub quorum curâ agebat, observari cæpit. Inde eludendæ diligentiæ custodum occasionem nactus, per tenebras è carcere elapsus, atque ad suos incolumis delatus, mox copias cum Lubarto fratre in regiæ Russiæ agros ducit. Occupatâ, vix sentiente Polonorum præsidio, Volodimiriâ, populationes Haliciam usque, atque adeo ad ipsos Hungariæ & Valachiæ fines extendit. Reversus in Litvaniam ex Russiâ novam contra Polonos instaurat expeditionem. Sendomiriæ vastatione Zawichuostum usque pertigit. Resumebantur deinde insperatæ hinc inde irruptiones; consilia Polonorum, viamque, monstrantibus quibusdam è nobilitate Polona,

Kieystutus è Polono carcere elapsus Volodimiriam Polonis eripit.

An. 1352.

Proditor sua proditione perditur.

lona, proditoribus. Nomen uni Petrus Pſonca, alteri Otho Czecharowicz: quorum in Patriam impietas, ipſos ſceleris olim patronos, tandem vindices habuit. Nam Iagelo, deinde Rex Poloniæ renunciatus, utriuſque bona fiſco Regio addixit. Intima Poloniæ inſperato inſultu aggredi animus Litvanis erat: ſed Viſtula fluvius ejus regionis princeps, alveo ſatis lato ac profundo, ne ea conſilia in eventum deducerentur, obſiſtebat. Præmittitur itaque Pſonca, qui, ſecuriùs inter ſuos, ſine fraudis ſuſpicione, vadum pertentet. Facit ille impigrè imperata, & quà vadoſo alveo ferebatur Viſtula, præfixis virgultis deſignat: eodem paulò poſt, piſcatores fortè delati, quid virgulta ſupernatantia aquis deſignent, mirari; ſimulque aliquid ſubeſſe fraudis non ex vano ſuſpicati, virgulta iis locis extracta, quà vorticoſior alveus ſummo impetu gyrabat aquas, diſponunt. Obſcurâ jam nocte Litvana caſtra ad fluvium pervenerant. Ductori vadum oſtendenti creditum; & ab audacioribus profectio temerè

merè inchoata: at cum paſſim è primis ordinibus milites vorticibus abriperentur, qui extra periculum adhuc erant, proditos ſe clamare; & Ducum fidem obteſtari. Proditionem & ipſi Duces metuere: ubi verò profunditas fluvii explorata fuiſſet, Pſonca tanquam proditor militari impetu ad ipſam ripam miſerè truncatur. Atque, ut *in adverſis, ſemper ad pejora judicanda pronior animus eſt*; majores inſidias non vulgus tantum, ſed & Duces vereri: quare extemplò eâdem nocte caſtra inde retrò mota ſunt. Olgerdus verò adjunctis Tartarorum copiis Podoliam univerſam, quæ Polono ſuberat, latiſſimè populatus, prædam omnem ſine periculo, cùm nuſpiam hoſtis occurriſſet, eduxit. Induciæ deinde Polonum *An. 1353.* inter ac Litvanum ſubſecutæ: & Olgerdus quidem, ac Kieyſtutus, initum fædus conſtanter coluerunt: fortaſſe non tam pactorum religione, quàm Pruſſici belli cogitatione. Lubartus autem contra omnem fæderum fidem, cum Volynio & Litvano exercitu, Haliciam in Iulio invaſit: occupatâ

Lubartus Dux Volyniæ Haliciam vaſtat.

patâ ex inſperato civitate, plurimos civium ac exterorum, qui nundinarum occaſione magno numero confluxerant, cecîdit: ædibus ſpoliatis flammas ſubjecit, viciniam univerſam latè vaſtavit. Repetiit rurſus circa Non. Sept. irruptionem, & Zawichuoſtum populabundis legionibus progreſſus, priùs cum prædâ militem, ex hoſtili provinciâ deduxit: quam Poloni ad arma concurriſſent. Non abſimili eventu, ſed meliore cauſâ, Olgerdus cum Kieyſtuto fratre & Patrico nepote, ex Reſſelienſi in Pruſſia territorio, prædas egerunt: quo ſucceſſu irritatus miles, & ad interiora Pruſſiæ ductus, liberiùs ferro & igne latè bachatus eſt. Idem annus inſignis eſt celebri naturæ prodigio. Præter morem ejus oræ, Martium totum, Aprilem, Majum, ingentes æſtus tenuerant. Exeunte verò Majo tanta ſubſecuta eſt aëris viciſſitudo, ut quæ inter intenſa frigora nives ceciderant, ad duos cubitos altæ fuerint. Deſperare agreſtes: & fruges, cum planè flos pullularet, frigore aduſtas, nivibus enectas, & ſex

Fertilitas inſperata.

ſex dierum ſpatio inſepultas, aſpicientes, laborem ac ſementem, ſpem ipſam perditam deplorare. At longè aliter res habuit. Diſſolutis ſenſim calore nivibus, tanta fertilitas ſucceſſit; ut nunquam majores ex agris coloni proventus collegerint. Solæ eæ periere fruges, quas ſervare conati ſunt aliqui, excuſſis intempeſtive nivibus. Sequenti anno inſtaurata in Pruſſiam expeditio, nemine hoſtium, aperto campo, occurrere auſo. Ingens enim in Litvanis caſtris erat multitudo: Pruſſis verò nulla exterorum ad manum auxilia. De munitioribus igitur tantùm locis ſe tueri Crucigeri contenti, colonorum cædes, & prædiorum flagrantium fumum ex arcibus mæſti ſpectabant: Litvanis ferrum & ignem per agros latè circumferentibus, & peragratâ Sambiâ, ultra Regiomontum milliaria quindecem Vartemburgum uſque progreſſis. Refudit vicem deinde Henricus Magiſter; cùm non minorem cladem Samogitiæ intulit: univerſo Ducatu vaſtato, exuſtis pagis, inhabili ad laborem ætate cæſâ,

An. 1354. Pruſſia à Litvanis, Samogitia à Pruſſis vaſtatur.

An. 1355.

ingenti copiâ prædæ, & captivis promiscuæ conditionis eductis. Non paucis tamen captivorum nihil ſperantibus libertatem fortuitus caſus dedit. Nam eo die quo victores Pruſſi Ragnetam acceſſere, Magiſter ab equo lapſus brachium dextrum fregit; eademque nocte concepto fortè igne, arx funditus conflagravit. Inter hunc tumultum captivi Samogitæ elapſi, & carceri, & poteſtati hoſtium ſe eripuerunt. Vltus eſt eam cladem Olgerdus exeunte proximi anni Ianuario: ingenti exercitu hoſtilem provinciam ingreſſus, in diverſa ſimul loca partitus legiones, totam ferè Pruſſiam, ſimul cædibus & flammis involvit; Magiſtro & Crucigeris in aciem prodire non audentibus. Fama ejus cladis Europam, ac præcipuè Germaniam pervagata, magnos in Chriſtianorum animis motus concitavit. Ex Anglia, Gallia, Moravia, Bohemia, Franconia, Suevia, atque adeo totâ Germania, magno numero juventus ſponte nomina dare, vix expectare Ducum evocationem. Magiſter quanquam ex nupero

An. 1356. Pruſſiam Olgerdus vaſtat: unde occaſio Europæis arma ſumendi contra Litvanos.

pero caſu corpore æger, confluentibus nihilominus undique Chriſtianorum auxiliis animo erectior; caſtris ſui loco præficit Sigfridum à Davelt Mareſchalcum Pruſſiæ, atque in Litvaniam dimittit. Ingreſſis hoſtibus Litvaniæ fines, nulla caſtra, nullus miles objectus eſt. Cladem igitur Litvaniæ & Samogitiæ illatam inde pronum eſt æſtimare; quòd totam illam ferociam è tot gentibus collatam, in agros, pagos, & agreſtes, effundere hoſtis ſit coactus; nemine ad pugnam occurrente. Aliquot deinde annorum quies undique interceſſit: quam inde cum Polonis fædus mutuum conſervabat; inde cum Pruſſis ipſa neceſſitas exigebat, tam Pruſſis quàm Litvanis per mutuas clades exhauſtis. Tandem Ludovici Brandeburgici Marchionis (filius is erat Ludovici Cæſaris) cum delecto milite in Pruſſiam adventus Crucigeris ad reſumendas Litvaniæ vaſtationes animos addidit. Repetitæ ter eo anno per Samogitiam & Litvaniam populationes tam graves fuerunt, ut incolis ac pagis omninò excifis,

An. 1360. Marchio Brandeburgicus Samogitiam vaſtat.

 deſerta

deserta territoria memoriam stragis acceptæ diu conservarint. Auxit magnitudinem victoriæ, captus ultimâ expeditione Kieystutus. Hic ut erat *ferociore ingenio, in periculis magis audax, quàm cautus*, abeuntes prædatores cum suis assecutus, atque signa ingenti animo conferre ausus, cùm rem audaciùs urget, cinctus undique legionibus Germanicis, vivus in potestatem hostium venit: paulò post captivorum Christianorum magno numero Crucigeris vicissim misso, suis liber redditus. Prussi his victoriis elati omnino fortunam urgere in sequentem annum decernunt, spe aut occupandæ, aut excindendæ frequentatis cladibus Litvaniæ. Externis domesticisque copiis pro Magistro præficitur Henricus Crumfelt Magnus ordinis præfectus: hic in Subsylvaniam armis Prussorum nondum tentatam exercitum ducit. Vbi cum ob nimias ex assiduis pluviis itineris difficultates res ex animi sententia non cederent, ne tanta expeditio nullo eventu abiret, castra in Litvaniam transtulit. Non diu Litvani passi

Kieystutus in prælio à Prussis semel, iterumque capitur.

An. 1361.

passi Germanos impunè vagari, Ducibus Olgerdo, Kieystuto & Patrico castra ipsa hostium insperato impetu invadunt. Tenuit plures horas atrox & in utramque partem dubium prælium: tandem Germani & armorum genere & loci opportunitate (è castris enim benè munitis pugnabant) superiores Litvanis, victoriam quoque extorserunt. Kieystutus non consilio modò, sed manu & gladio fluctuantes ordines restituere conatus, cùm validè gladium in fortissimum quemque hostium vibrat, ab Henrico Heckerbeg Equite aurato, hastâ à latere impactâ equo dejectus, atque mox concurrentium multitudine cinctus in potestatem hostium venit. Adverterat periculum patris, filius Patricus: itaque velut æstro percitus, (quâ erat animi generositate, & in patrem pietate) in confertos hostium ordines equum agit, laboranti opem laturus parenti: verùm cùm cæco Marte viam sibi gladio ad parentem aperit, pænè ejusdem fortunæ comes factus est; ab Henrico Heberg Crucigero, hastili

Filii in parentem pietas, & militum in Ducem.

haſtili equo dejectus. Gerebat ſeriò rem gladio pedes, ſed multitudine jam opprimebatur; cùm cohortes aliquot Litvanorum cuneo facto hoſtem ſubmovent, & aſſertum libertati Principem, è pugnæ loco ſervatis ordinibus aſportant. At Kieyſtutus grande reliquæ prædæ coronamentum, Mariæburgum abductus, catenis compedibuſque oneratus, in carcerem detruditur. Duos tantum dies eam calamitatem tulit. Nam Litvani cujuſdam (qui ſacris Chriſtianis initiatus ibidem liberè agebat) commiſeratione, tum inſtrumenta effringendo carceri, tùm veſtem ad morem Crucigerorum comparatam tegendæ fraudi, tum equum & reliqua fugæ neceſſaria nactus, clariſſimo die è carcere & arce profugit. Ita certè memoratur fraus ſcitè adminiſtrata; ut tranſeuntem equitem per arcem ac civitatem, tanquam unum quempiam è Crucigeris ipſi Crucigeri ſalutarent. Ante veſperum ad ſylvas delatus, ut inſequentium ſagacitatem eluderet, dimiſſo equo, in locum paludoſum ſe abdidit; ibique

Kieyſtuti carcer, & fuga.

ibique triduo latuit: nocturnis deinde itineribus, per denſiſſimas ſylvas atque paludes frequentes, ſyderum tantum ductum ſecutus, totus lacer, luto oblitus atque adeo ſemianimis in Mazoviam evaſit. Ibi à filia ſua Danuta, Ianuſſii Ducis Mazoviæ conjuge agnitus, liberaliter habitus, recreatus medicinis, equis ac comitatu inſtructus, in Litvaniam rediit, magno fratrum Principum, totiuſque gentis gaudio. Vbi Litvaniam attigit, ſimul reſpirare aurâ patriâ, ſimul bellum contra Pruſſos animo vindictæ cupido, maturare: lecto quamprimùm exercitu Pruſſiam ipſe invaſit. Caſtrum D. Ioannis vi cepit: cæſo præſidio ac theſauris expilatis munitionem ſolo æquavit. Inde ferro & igne latiſſimè ſæviens Gedanum uſque pertigit, & arce per vim potitus, cæteris cæſis Præfectum loci Equitem nobiliſſimum Ioannem Colinum cum aliis Crucigeris in captivitatem abduxit. Tandem rectà ad poſſeſſiones ejus Crucigeri, à quo nupero prælio equo excuſſus fuerat, militem populabundum ducit;

Kieyſtutus in Mazoviam evadit, inde in Litvaniam reverſus, bellum Pruſſis infert: rurſuſque capitur.

cit; arcem dictam Keckerbeg expugnat, spoliat, ædificia simul cum captis militibus subjectâ flammâ absumit. Iam Kieystutus ex conscientiâ sumptæ vindictæ gaudio plenus, onustum spoliis militem deducebat è Prussiâ: cum Præfecti, Bartensteinianus & Rastembergensis abeuntem armatâ acie assecuti, extremos summâ vi adoriuntur. Pugnatum utrinque acriter: Ducis tandem ipsius infelix casus, & animos & victoriam Litvanis perdidit. Excussus equo, à Vernero de Vindeken Kieystutus, (cum occiso hostis equo) fortiter pedes pediti instat, à Præfecto Niessoviæ gravi vulnere debilitatus, in potestatem Præfecti Bartensteiniani venit. Capto Duce, reliquus miles suâ sponte fugam arripuit. Tertia hæc Kieystuto apud Prussos captivitas fuit, non multò longior, quàm priores. Brevi enim è carceribus per aliquam fraudem elapsus in Litvaniam evasit incolumis: relictâ inter hostes suspicionum materiâ; cùm plerique fugam ejus non tam negligentiâ, quàm favore aliquorum, accidisse

disse criminarentur. A privatis, eâ de re, sermonibus sensim ad dissidia publica gradus fiebat. Magister, ne ipso *ocio gliscens dissensio, vires sumeret*; expeditionem bellicam omnibus imperat. Erant illi præter ordinariarum legionum exercitum, auxiliares copiæ è Bohemis, Anglis, Danis, Germanis conflatæ. *An. 1362.* Cum utroque igitur exercitu ineunte vere in Litvaniam movit. Primus belli impetus in Caunam effusus: ingenti apparatu, ac pertinaci operâ, arx oppugnabatur: præsertim, ubi Olgerdus, qui solvendæ obsidioni cum exercitu advenerat, infectis rebus repulsus est. Tandem post diuturnam oppugnationem ipso Sabbatho quod feriis Paschalibus proximum est, subruto cuniculis muro, atque injecto ædificiis igne, pertinax propugnatorum studium Prussi perfregerunt, atque arce sunt potiti. *Cauna oppugnatur à Crucigeris & diruitur.* Amiserunt quidem non paucos, quos oppugnationi succedentes, murus cuniculis loco ejectus, obtrivit: at longè major apud Litvanos clades. Tria millia delecti militis in præsidio fuerant, quorum

rum indignam inter flammas flagrantis arcis mortem, nunc etiam vulgaribus næniis populus decantat. Soli è nobilioribus triginta ſex, cum Voydato Kieyſtuti filio, vivi ab hoſte capti. Subſequens dies ob feſti ſolennis religionem, quiete cultus eſt: at tertio die quidquid munimenti ſpeciem inter rudera exuſtæ arcis adhuc referebat, funditus ſublatum; reliquiæ murorum dirutæ, aggeres disjecti, foſſæ exæquatæ. Eodem progreſſu Piſtena & Vielona exciſæ, illa metu ſuorum deſerta, hæc quatuor dierum oppugnatione capta. Hoſte in Pruſſiam reverſo validius malum, fames; miſerrimè univerſam Litvaniam peragravit: ſive quòd communis, ejus anni, iſta fuerit tempeſtas, ut quæ etiam Poloniam & Ruſſiam involverit; ſive quòd inter continuas hoſtium incurſationes, vel metu vel inopiâ colonorum, omnis agricultura jaceret projecta. Nihilo mitiorem fortunam ſequentis anni Ianuarius attulit. Magiſter Pruſſorum cum auxiliaribus Bavarorum Comitis Volfangi & Livonicorum Crucigerorum

Fames in Litvania.

gerorum

gerorum copiis, ferro & igni univerſam Litvaniam latiſſimè vaſtavit; Eyragoliano, Panreimano, & Lambimenſi territoriis in Samogitia excidio deletis. Deductâ feliciter omni prædâ atque captivis; iterum Mareſchalcus Pruſſiæ Schindekop infeſtis ſignis in Litvaniam rediit; & Grodnam obſedit; verùm cum inſultus ejus aliquot, Patricus qui arci præerat fortiter rejeciſſet; Pruſſus deſerto arcis oppugnandæ conſilio, ad agrorum vaſtationem militem dimiſit. Variavit deinceps fortuna, & paribus ferè cladibus, mutuæ utrinque agrorum vaſtationes inſtitutæ. Illa tamen cura maximè coquebat Litvanum: quòd exciſis arcibus, ſenſim agri colonis deſtituerentur; atque adeò, hoſtis arma, interioribus Litvaniæ, admoveret. Quare & hoſti morando, & colonis inter ſubita pericula recipiendis, munitiones reficere omni ſtudio contendebat: jam enim timebatur ne belli ſedes paulò poſt non modò in ulteriorem Litvaniam, ſed in ipſam Ruſſiam promoveretur. Neque minùs hoſtis incumbebat;

An. 1363.

Pruſſorum expeditiones in Litvaniam, & Samogitiam.

An. 1364.

 ne quæ

ne quæ de novo, per vaſtatas nuper provincias, arcium obſtacula exædificarentur. Ragnetanus imprimis Præfectus, operas ruditer ac tumultuariè Caunæ munitionem maturantes disjecit, & arcis inchoatæ opus diſturbavit. Magiſter deinde Pruſſiæ Piſtoviam, fugâ præſidiariorum proditam, cepit & exuſſit: Velonam quoque ſuis ruderibus recenter inædificatam, licet acriter à Gaſtoldo defenderetur, congeſta arentis materiæ ſtrue, & ſubjecto igne, ſub mænia quo ventus flammam impellebat eam promovendo ſuccendit, & expugnavit. Præſidiariorum plurimi ignibus perierunt. Præfectus præſidii Gaſtoldus, cum vivus hoſtibus ceſſiſſet orta concertatione de jure captivi, inter manus victorum oppreſſus eſt. Quamprimum hoſtis Litvaniâ exceſſit, Kieyſtutus occultis callibus conſequitur, & Pruſſiæ infeſta ſigna infert. Vaſtatum Iuriemburgum, copia ingens captivorum prædæque variæ, nemine amiſſo abacta. Deinde contra Mareſchalcum Pruſſiæ copias duxit; qui rurſus per Samogitiam

Kieyſtuti pro Patriâ geſta.

tiam vagatus, prædam indè collectam exercitu bifariam diviſo deducebat. Extremum imprimis agmen, & cohortes ad impedimentorum præſidia relictas, adortus, hoſtem cecidit, prædam recepit: inde contra ipſum exercitus robur magnis itineribus cum victore milite properabat. Verùm Pruſſi extremi agminis clade conſternati citato agmine in Pruſſiam abiverant, multâ prædâ, quæ fugam onerabat ſparſim per viam deſertâ. Quievit aliquantiſper Kieyſtutus: mox inſperatus Angerborgum obſedit, expugnavitque: indè per vicinos agros prædas egit. Pruſſi Duce Sambienſium judiciorum præſide, cùm abeuntem Kieyſtutum aſſequi non potuiſſent, Eyragoliæ territorium viciſſim vaſtarunt. Pari eventu cùm deinceps Olgerdus & Alexander Koriatovicius diviſis copiis ſimul pluribus locis Pruſſiam vaſtaſſent, atque Tibzâ & Ragnetâ præcipuis arcibus, pluribuſque oppidis excîſis, octingentos captivos eduxiſſent; mutuò Litvaniam latiſſimè populatus eſt Magiſter Pruſſiæ. Inter ſimilem

An. 1365.

 planè

planè mutuarum incurſionum viciſſitudinem, ſequens quoque annus tranſmiſſus. *An. 1366.* Magiſter Pruſſiæ exterorum auctus ſubſidiis; Litvaniam fœdè afflixit: Kieyſtutus verò abeuntem tacitè ſecutus, circa Inſterburgum erupit: arcem pænè cepit, civitatem flammis abſumpſit, territoria Vilavienſe & Tapiavenſe ſolo æquavit. Ipſe arcis Præfectus amiſſo oppido ægrè arcem & vitam periculo eripuit. Vt Litvanis ad repentinas haſcè irruptiones via deinceps præcluderetur, Caunam inter & Iuriemburgum, arcem Chriſtimemelum excitari & Nemeni ripas ponte jungi imperant Pruſſi. Conabatur Kieyſtutus operas diſturbare; ſed à præſidiario milite bis rejectus, tandem quievit.

Caſimirus Rex Poloniæ Litvanis Ruſſiam eripit.

Eodem anno Caſimirus Poloniæ Rex nactus bello Pruſſico implicatos Litvanos, Ruſſiæ poſſeſſione eoſdem exuit; Lubarto Theodoro Olgerdi fratre, è Volyniâ ejecto. Quanquam enim & Belzenſem Ducatum ſub Georgio Narimuntovicio intactum reliquerit; & Podoliæ Duci Alexandro Narimuntovicio attribuerit

tribuerit

tribuerit Volyniam: utrumque tamen ita præſtitit; ut ſupremum jus in Ruſſiam penes Regem Poloniæ eſſet, arces, civitates, præſidia penes Poloni nominis præfectos. Sive hac Polonorum injuriâ irritati Litvani, *An. 1367.* ſive quòd cladem nova Crucigerorum incurſione quinque diſtrictibus illatam Epiſcopi Plocenſis conſiliis fama inter populum vulgata attribueret, Mazoviam prædis agendis apertam, Duce Kieyſtuto invaſere.

Pultovia à Litvanis exuritur.

Pultovia ditionis Pontificiæ oppidum præcipuum, primo impetu captum: arx, exuſti oppidi ruderibus, undique cincta; cùm & ipſa ignem concepiſſet, & præſidium vim flammæ non ferret, expugnata: ditio univerſa, latiſſimè populabundo militi, in prædam ceſſit. Plura molientem Kieyſtutum ab ulteriore Polonici belli curâ, retraxit, domeſtici atque ipſis cervicibus imminentis hoſtis, metus. Pruſſi enim cum jam vaſtitas ſola & ſolitudo per propinquiores Pruſſiæ agros ſupereſſet, ſedem belli in ipſa Litvania firmare contendebant. Ad Nemenum fluvium pænè ſub

conſpe-

Crucigeri in Litvania arcem condunt.

conſpectu Caunæ locum capiunt: atque continuo ſex menſium labore egregiè permuniunt. Arx hæc nova ad unum milliare Cauna diſſita *Botteſverderum* nuncupata eſt. Impoſito præſidio valido cum reliquis copiis populatum ipſe Magiſter Henricus ivit. reverſus inde in Pruſſiam Schindecopio Mareſchalco novis copiis præfecto, curam dat, inſtaurandæ in Litvaniam expeditionis: tum, ut novæ arci præſidio eſſet; tum, ut hoſtem, excifis ejus ditionibus longiùs ſubmoveret. Sed Schindecopio adveniente, ne veſtigia nuperæ arcis jam erant. Olgerdus enim & Kieyſtutus, veluti frenum è propinquo Litvaniæ injectum, extrema etiam contentione excutiendum rati, cùm junctis viribus in quinque integras hebdomadas oppugnationem pertinaciter produxiſſent, tandem vi captam, funditus omnino ſuſtulerunt. Dolore itaque & indignatione plenus Schindecopius, Beieris caſtello copias admovet,& paulò poſt eodem potitur. Kieyſtutus,ſeu quòd paucas in expedito cohortes haberet, ſeu

Olgerdus arcem Pruſſorum diruit.

ret, ſeu aliâ ex cauſa, minari potiùs arma, ac oſtentare; quàm ſigna inferre. Legatis miſſis, caſtellum captum ſibi reſtitui poſtulat; ni id fiat, atrocia in præſidium minatur. Vana nimis legatio riſum aliis; Schindecopio, etiam indignationem, movit. Facturum ſe, reſpondet, ut Kieyſtutum mox eximat, oppugnandi caſtelli neceſſitate; & tam atrocia in captorum præſidiariorum capita, decernendi: ſimulque ſpectantibus legatis, nonigentos Litvanorum milites captos, arci includi jubet, & ignem ſubjici. Fractus tantâ ferocia,ad inſaniam irati Pruſſi,Kieyſtutus; lentiùs agere, & colloquium de fædere poſtulare. Congreſſi amicè initio, illud tantùm è Republica ſtatuêre; ut utrinque captivi permutati, ſuis & libertati redderentur: deinde mox, oleum igni affuſum à Kieyſtuto; cum is intempeſtivè comminatus fuiſſet, ſequenti anno ſe Pruſſiam viſitaturum. Vt enim hiſce terriculamentis, ferro non verbis, reſponderetur: juſſu Magiſtri, bis in Litvaniam,hoc ipſo anno Mareſchalcus irrupit;

Atrox Pruſſorum facinus.

rupit; atque utraque expeditione non levem cladem intulit. Hæc maximè Kieystutum urgebant: ut bellum, nuper inter minas temerè promissum, maturaret. Neque pati potuit, diuturniorem moram; quàm quæ satis erat expeditioni, majore mole apparandæ. Contra expectantem è condicto hostem ituro, valentioribus viribus erat opus: itaque non suis modò fraternisque Olgerdi è Litvania, Samogitiâ, & Russiâ contractis copiis, sed Scythicis etiam auxiliis evocatis, rem aggrediebatur. Vbi coivere in castra legiones: diviso bifariam exercitu, Sambia populationibus electa. Vastatis per universam provinciam latè agris, è populatione miles Otelzbergo arci admotus: locus vi expugnatus, mænia funditus diruta. Promotis indè castris sub Roudinum, pars lentæ oppugnationi designata, reliqua totius exercitûs moles in circumjacentem quaquaversus viciniam effusa, latissimè stragem ferro & igne propagavit. Neque prius in castra reditum, quàm fama ingentes Prussorum copias jam adventare

An. 1370.

Kieystutus Prussiam vastat.

ventare vulgasset. Nam ultra veteranas Crucigerorum & stipendiariorum externorumque auxiliorum legiones; universa juventute quæ per oppida & agros bello inveniretur apta, arma capere jussa ingens omnino exercitus conflatus fuerat. Iam Litvani signa domum converterant: cum Henricus universis simul copiis ingruit abeuntibus. Atrox planè prælium erat: comparatis enim utrinque animis, in pugnam ruebatur: Quamquam verò Litvanis mille jam suorum in acie cecidissent: tamen quia à Crucigeris quoque (præter promiscua capita) viginti sex nobiles ordinis equites, ipseque belli Dux, Magister Ordinis, Henricus occubuerunt: exæquatis damnis in meridiem usque fortuna neutrò inclinabat. Sperari fortasse poterat victoria, sed Kieystutus ac Olgerdus dubiæ spei parum fidere: magis timere, ne sui multitudine armorumque genere inferiores cùm (viribus ipsâ pugnâ fatigatis) sensim remittunt audaciam, tandem in fugam effunderentur. Quare dùm integer animus cuique, signum

Pugna Litvanorum cum Crucigeris.

receptui per universam aciem cani jubent: servatis signis ac ordinibus, omnes campo excederent & impedimenta in proximam sylvam submota sequerentur. Hostis potitus campo & victoriæ quanquam satis cruentæ opinione lætus, substitit neque enim absque Duce, progredi ulteriùs audebat. Litvanus verò victoriæ fructum prædam omnem, salvo milite domum securè deportavit. Reverso in Litvaniam Kieystuto, & connubialibus cum Biruta Vestali conviviis militarium laborum reliquias detergenti non diuturna quies. Leopoldus enim Austriorum Dux, magnum interea militem in Prussiam adduxerat: his copiis Crucigeri Samogitiam adorti; quadrifariam diviso exercitu, universam provinciam vastarunt. Cæsis bello & labori ineptis, reliqui, cum cæterâ omnis generis prædâ, ingenti numero in servitutem ducebantur: citiusque hæc peracta, quàm Kieystutus cum milite advolasset. Quare cùm abeuntium agmen assequi non potuisset populabundas cohortes in hostiles agros

Leopoldus Austriacus Crucigeris contra Litvanos suppetias fert.

agros effudit. Magnam cladem repentinus ille impetus Prussiæ intulit: territorium integrum excisum; caput territorii Gozenlanken arx expugnata atque eversa. Excedentem è Prussia Litvanum, iisdem fere vestigiis secutus Insterburgi Præfectus, Vigandus Beldenstein, expedito milite plurimos pagos hactenus belli mala inexpertos spoliavit, cæsisque agrestibus aut captis exussit. Fervebant mutuæ in agros incursationes: cum per idem tempus mortuo Poloniæ Rege Casimiro recuperandæ Wolyniæ spes ad novum bellum Litvanos avertit. Occupatis illis Prussico bello ut ante memoravi Casimirus Wolyniam detraxerat; atque ejecto indè Lubarto Olgerdi fratre, Alexandro Koriatovicio certis legibus attribuerat. Eo itaque nunc totis simul viribus itum. Aberat fortè tum Alexander, & Cracoviæ apud Polonos agebat; pro absente principe, præerat Wolodimiriæ Petrus Turski Eques Polonus: erat arci, contra longiorem obsidionem sufficiens commeatus; sed præfecto,

Litvanorum in Russia contra Polonos bellum.

fecto, contra solam armorum ostentationem, non satis animi; desperatione suppetiarum, vitam suorum & fortunas pactus, obsidionis tædia, maturâ deditione redemit. Lubartus sine prælio, ac pænè per otium potitus erepto sibi nuper patrimonio, vetustiorem ligneam arcem munitionibus variis ac præsidio forti communivit; aliam è cocto lapide, jussu Casimiri magnis sumptibus per duos annos exædificatam, funditus dirui jussit. Indè junctis viribus in Poloniam legiones ductæ: & Lublinensis Sendomiriensisque Provinciæ latissimis populationibus exhaustæ. Ad ipsum Calvum vulgò montem, pervetusto S. Crucis templo, magnisque religionibus claro, insignem penetratum est: non profana modò, sed & sacra omnia violata; altaribus magnifica piorum donaria detracta. Abeuntibus cum opulentâ prædâ, res non admiratione magis, quàm memoratu, digna contigit. Currus, quo inter reliquam prædam, Crucis illius è qua DEUS Homo pependerat, pars, aureæ thecæ inclusa vehebatur:

Polonia à Litvanis vastatur.

Prodigium admirandum.

batur: cùm planè limites Poloni transcendendi essent, atque in Litvaniam transeundum; ita repentè hæsit: ut nulla vi admota, aut multiplicatis jumentis, loco dimoveri potuerit. Imò lues etiam repentina vulgari cæperat, pecudes inter ac milites eos, qui fortè currum attigissent. Insolens prodigium, cùm aliquamdiu attonitos consiliique inopes Duces belli tenuisset; consultus Sacerdos, respondit: Superos placari non posse; nisi sacra illa præda, suo loco ex fide restitueretur. Delectus quamprimum è captivis Eques Polonus Chorobala; atque in patriam prodigiosum prædæ genus reportare jussus; ubi ille castris excessit; prodigia cessarunt. Præda reliqua ingens, milesque meliore successu domum deductus. Indè rursus ad solitas cum Prussis concertationes reditum: sed nihil ferè aliquot annorum expeditionibus ad memoriam gestum: repentinis tantum populationibus plerumque agri & agrestes vexabantur: raró arces aliquæ, insperato impetu, interceptæ, atque eversæ. Exæquabantur

An. 1371.
An. 1372.

bantur ferè mutuò damna: nam Kieystuto præcipuè intendente, hostis impunè non poterat grassari; sed quæcunque per Litvaniam edidisset, paria illis, domi suæ, pati, cogebatur. Assuetudine continuâ, propè sensum incommodorum amiserant: ita factum, ut Litvani eò promptiùs belli Polonici consilia susceperint; quò minus periculi inter mutuas vexationes metuebant à Prussis. Cupido prædæ, bello occasionem dedit: muliebre in Polonia regimen, & spem & auspicatos successus adjecit. Nam pro Ludovico Hungaro absente, mater ejus Elizabetha inter gravem annis ætatem, morum judiciique levitate celebris, Rempublicam administrabat. Circumferebatur inter Polonos fama, non tam certo aliquo nuncio sparsa, quàm inter prudentiorum conjecturas enata, Litvanos contemptu muliebris fortunæ summâ vi in ditiones Polonas bellum instruere. Monita à Senatu Regina, ut maturè provideret, ne quid Respublica detrimenti acciperet, muliebri jactantia respondisse fertur. *Filio suo imperante*

An.1376.

Litvani Poloniam adoriuntur.

rante vanum Polonorum timorem esse: sufficere illis solam nominis ejus famam, ad extorquenda è manibus quorumque finitimorum, ne dum barbaræ gentis, arma. Interea Litvani non procul Lublinensibus agris, validissimo è Litvanis, Samogitis, Russis, Wolyniis, exercitu recenso; repentè in Poloniam, Octobre exeunte sunt effusi. Aderant exercitui præsentes Olgerdus ipse, Kieystutus, Iagielo, Vitoldus, Lubartus Theodorus, & Georgius Narimuntovicius, Duces: Ita Lublinensis, Sendomiriensisque Palatinatus, Podgoria universa, magnaque Cracoviensium agrorum pars, & quidquid Sanum inter & Vistulam interjacet, divisis copiis uno velut impetu oppressum est. Incredibili celeritate quaquaversum populabundæ legiones volitabant: pauci Polonorum inter subita pericula ad arces vel alteram Vistulæ ripam evaserunt: plurimi aut domi securi occupati, aut in fuga incauti intercepti. Clades ingens vix explicari potest. Integris enim decem hebdomadis, in templa, ædes, agros, igne; in colonos ac in-

 colas

colas ferro sævitum est. Elizabetha verò, inter sumptuosa convivia, musicosque concentus, vix audiebat tam deplorati Reipublicæ statûs rumorem. Cùm satietas ipsa populandi ac prædæ, finem prædando imposuisset; nullusque in campo hostis compareret: onustus spoliis Litvanus, integris signis domum rediit. At non minorem domi stragem à Prussis editam reperit. Nam Vinricus Prussiæ Magister, nudatam præsidiis Samogitiam nactus, sex integra territoria depopulatus est. Revocatas à populatione agrorum cohortes Caunæ admoverat: sed cùm tentata oppugnatio irrito conatu cederet; fortissimis quibusque sub muro amissis, desperatione victoriæ oppugnationem reliquit; prædamque, quam patentibus ad injuriam locis collegerat, in Prussiam eduxit. Inde rursus cum decem millium milite Mareschalcus Prussiæ in Litvaniam expeditus ad Niemeni ripas longissimè ferro & igne grassatus, ingentem prædam abegit. Ludovicus Rex, ubi cladis per Litvanos illatæ rumor in Hungariam

Litvania à Crucigeris vastata.

An. 1377.

gariam pervenit, quamprimum inde in Poloniam, compendioso per Sanocenses montes itinere, movit. Ad Sendomiriam (quo viritim ad arma evocatus Equestris ordo convenerat) recenso milite, partitus est exercitum: alios Duce Sandivojo de Sulin ad Chelmensem oppugnationem destinavit; ipse verò, Hungaros & Cracoviensem, Sendomiriensemque nobilitatem, ad Belzam duxit. Sandivojus felici successu usus brevi Litvanos universâ Chelmensi possessione ejecit: Chelmia caput regionis, Grabovia, Horodla, Sewolosa, arces captæ. Regi ad Belzam diuturnior oppugnatio fuit. At Georgio Narimuntowicio harum ditionum Duci res interea planè desperata. Neque enim fortunæ ejus tanto bello sustinendo pares erant: auxilia verò à patruis, Litvaniæ Ducibus, in Prussiam intentis, sperare non poterat, aut valida, aut in tempore affutura. Kieystutus solus, ut erat versatili ingenio, atque ad omnem fortunam formatus, remedium rebus pænè projectis invenit. Nam amici titulo ad Regia ca-

Polonorum contra Litvanos expeditio.

Kieystuti pro patria artes.

gia castra admissus, nuper hostis & incentor bellorum, jam pacis orator, & arbiter fæderum, periculosissimi belli cursum stitit: pacto fædere his conditionibus. ut *Kieystutus ad suos reversus Polonos, qui per Litvaniam captivi haberentur, liberos dimitteret; Georgius Belzam Regi traderet; reliqua retineret.* Traditâ statim Belzâ Georgius Regi conciliatus, cùm fidem suam ei obligasset, non solùm ditionem amissam Belzamque recepit, sed etiam Lubaczoviâ à Rege auctus est. *Tantùm valent etiam inter gladios, furentemque Martem, pacis artes:* quamquam maturando cum Litvanis fæderi, non leve momentum attulit, orta per eos dies in castris regiis Polonos inter & Hungaros, contentio: quæ ne ad apertum prælium deduceretur, missio militis inter necessaria remedia erat. Compositis ad eum modum ex voto rebus in Russia, securiùs injurias superiore anno acceptas, Litvani de Prussis vindicare cæperunt. Prælusit aliis Kieystuti filius Vitoldus, juvenis manu consilioque promptus, bellandi avidus. Hic suis auspiciis

Vitoldi expeditiones in Prussiam.

spiciis Prussiam in Iulio aggressus, Insterburgum arcem solo æquavit: inde Taploviam usque populationibus progressus, militem cum præda felicissimè reduxit. Filium paulò post secutus, Kieystutus parens. Hic pro suo more, ingenio magis, quàm impetu, tractare arma solitus, exercitum per confinia Mazoviæ in eam Prussiæ oram duxit, quæ à Litvanis maximè aversa; ut longior à periculo videbatur, ita minùs solicitè communita erat. Circa Dzialdoviam & Nidburgum securos periculi Prussos subitâ clade obruit. Repetita est rursus paulò post expeditio, sed majore mole junctisque in commune cum Olgerdo viribus trifariam divisus exercitus, eodem simul tempore Velavienses, Salovienses atque Insterburgenses agros latissimè vastavit. Neque Prussi interea quieverunt. Post Bielscum in Subsylvania validis copiis aliquandiu irrito conatu oppugnatum, universam eam provinciam populati sunt: inde per ipsam Litvaniam ac Samogitiam præda deducebatur; institutis, ex

Kieystuti strategema.

tis, ex itinere, per propinqua vaſtationibus. Nemo aperto campo ſigna furentibus opponere auſus eſt: paucorum tamen conſilio, per inſidias inſigniter hoſtis attritus. Succiſis enim inter ſilvas (quà Pruſſis eundum erat) arboribus, congeſtiſque truncis, illac tantùm patentes tranſitus relicti fuerant, quà occultatæ de induſtria foſſæ, maximè impediebant. Cum itaque in eum locum ventum eſſet, coorti è ſilvis Litvani, magno tumultu ſpeciem potiùs prælii, quàm prælium inchoant. Ita hoſtes inſidiarum ignari, cùm in apertos tranſitus impetu feruntur, in latentes foſſas impulſi, partem præcipuam exercitûs, cum Ducibus amiſerunt: reliqui deſertâ prædâ, per tutiora eluctati, incolumes evaſerunt. Meliore deinde ſucceſſu ternas in Litvaniam excurſiones Pruſſi eodem anno inſtaurarunt. Iniquior longè fuit Litvanis ſequens annus. Godefridus de Linda Pruſſiæ Mareſchalcus, è cujus familia in hunc uſque diem etiamnum in Pruſſia & urbe Gedanenſi ſuperſunt poſteri, duodecim millium exercitu

Pruſſi in Litvania cæſi.

An. 1378.

exercitu igne ac ferro, Trocos uſque ac Vilnam penetravit: ab ulteriore populatione, non armis, ſed Kieyſtuti conſiliis fæderumque promiſſione averſus. Similem cladem Samogitia tulit: ubi à Ragnetano Præfecto Cunone de Hartenſtein, ſex integra territoria miſerrimè pervaſtata ſunt. Eadem ſors Vilnam ipſam, caput gentis involvit. Exeunte Iulio quintis caſtris ingentem exercitum Godefridus Vilnæ ipſi inſperatò admovit: non miles, non conſilium Litvanis in promptu erat. Itaque Kieyſtutus unius diei fædus rogare: interim hoſtium Ducem ita verſare, ut ab incendendæ urbis conſilio dimoveret. Promiſerat Godefridus: ſed militis furor non patiens victoriæ ſpem, aut eripi, aut differri; contra imperata Ducis, intra ipſum fæderis diurni tempus, flammas urbi ſubjecit. Pars magna urbanarum ædium ignibus abſumpta: reliqua civium ſtudio ægrè ſervata. Difficiliorem deinde arcium oppugnationem hoſtis reperit: quare non ultra diem ad eas moratus, in Pruſſiam caſtra movit.

Vilna à Pruſſis exuſta.

Vitoldi stratagema. movit. Abeunti illi, si non victoriam, certè victoriæ sensum, Vitoldus insigni ingenio extorsit. Cum quingentis expeditorum Equitum, quos rapere inter subita poterat, citato agmine hostem prævertit: impedimenta commeatumque omnem inter silvas nuper relictum invadit, occupat: providet summa celeritate, ne quà transeundum hosti omnino foret, pabulum aliquod per vicinos agros haberi posset. Demum fatiscentes ac pænè enectos sex dierum ediâ, & itineris labore, per intervalla inter impeditos transitus, fatigat, carpitque. Ita hostis inter continuas suorum fame ac ferro pereuntium clades, ægrè eluctatus; nihil ferè domum de nupero successu reportavit: victoriæ præteritæ memoriam, præsentis mæroris sensu, obtundente. Quid proximis deinde annis actum sit, nihil consignatum reperio: sive scriptorum incuriâ; sive etiam quòd utrinque interea ab armis temperatum esset. Illud solùm ad memoriam proditur. Quo tempore ab acerrimo hostium Litvania liberata est:

ta est: eodem maximum suorum Principem atque antiquis heroibus ex merito comparandum amisit. Eodem enim anno *An. 1381.* in Prussia Henricus de Kniprod Magister, *Olgerdus moritur.* & Olgerdus in Litvania M. Lit. Dux fatis concesserunt. Numerosa erat Olgerdo mascula proles; sed ante omnes Iagelo in amoribus: eum itaque sibi successorem designavit. Tantum verò valuit judicium morituri Principis: ut inter tot æmulos nemo ante Iagelonem, Principatum ambire ausus fuerit. Vix concordiam ex æquo æstimes; si æmulorum numerum iniveris. Sex ipsi Olgerdo filii, ex Vlianâ Vitepscensium Duce suscepti: Volodimirus Kijoviensium Dux: è quo deinde genitus Olelko seu Alexander, Slucensium Ducum familiam inchoavit. Ioannes Zedzevitus Podoliæ *Filii Olgerdi.* Dux. Simon Linguienejus seu Languinus Msciflaviensium Dux. Andreas Wigundus à quo Trubecensibus Ducibus genus est. Constantinus Dux Czernikoviæ, è quo deinde Czartoriensium Duces prodiere. Theodorus Lubartus Sanguszkorum pa-

 rens,

rens, à quo Kovelſcii & Koſzyrſcii Duces. Quinque alii (præter Iagelonem) ſuſcepti è Mariâ, Twerenſis Ducis filia: Skirgello, Swidrigelo, Korybutus, à quo genus ducunt Zbaraſcii & Wiſniewiecii Duces: Demetrius Koreciorum Ducum parens: Vigundus, qui ſuſceptis, ritu Rutheno, Chriſtianis ſacris, Baſilius dictus fuerat: & paulò poſt Alexander, cùm ad Romanos tranſiviſſet; Severiæ ac Kiernoviæ Dux. Kieyſtuto quoque erant filii ſex Vitoldus, Patricus, Totivilus ſeu Theophilus, Sigiſdus ſeu Sigiſmundus, Andreas Woydatus, aliàs Harbatus; Dougothus: omnes armis exercitati, geſtiſque feliciter in bello rebus celebres. Nihil tamen movere fratres: quamquam omnes ad imperium dignitate pares: plerique ætatis præjudicio propiores. Nihil patruus ipſe Kieyſtutus, qui ut ereptum olim Iawnuto principatum ſponte Olgerdo ceſſerat; ita eodem è vivis excedente, in ſe familiamque ſuam transferre non injuria poſſe videri poterat; præſertim quòd continuis expeditionibus, tantum

tum ipſe pro Republica egiſſet, quantùm nemo alius. Sed maluit, dare amori fraterno; ut ſub nepote Principe privatus viveret; quàm meritis ſuis; ut Principatum, ſuæ domui, quæreret. Dignus maximè vel eo nomine principatu; quòd eum aliis non illibenter concedere ſciret; quo ſolus dignus, meritorum præjudicio, æſtimabatur.

LIBER IX,

De rebus, Litvanorum Rempublicam adminiſtrante Iagelone Vladiſlao.

PErſolutis patrio ritu, vetereque formâ Olgerdo juſtis, univerſi Ordines, ipſo Kieyſtuto auctore, plenis comitiis Iagelonem Magnum Litvaniæ Ducem renunciarunt. Non facilè diſcreveris, plusne valuerit ad concordiam, reverentia defuncti Principis, qui inter moriendum jus ſuccedendi Iageloni conſignarat: an exemplum Kieyſtuti, qui & Reipublicæ cauſâ & privati in fratrem amoris officio, ad omnem Iageloni ſubjectionem præſtandam aliis

Kieyſtuti erga Iagelonem benevolentia.

aliis præibat. Magnum hoc & temperati in egregiæ fortunæ occaſione animi, & conſtantis in cultu amicitiæ argumentum: ſed cæteri illud ſecuti, quàm libenter jurejurando fidem Principi novo obſtrinxerunt, tam inconſtanter eandem coluerunt. *Tantum intereſt quo quis animo ad concordiam & obedientiam accedat. Inconſtans enim agendi propoſitum plerumque eſt, quod ad alienæ tantum imitationis ſpeciem, non ex deſtinata propriæ mentis virtute ſuſcipitur.* Cæteri itaque pro oblatâ rei propriæ opportunitate, ad rebellionem ſuâ ſponte deſciverunt: Kieyſtutus, fraudulenti ambitioſique hominis artibus, pænè everſus, nonniſi tum arma ſumpſit, cum

Woidilonis contra Kieyſtutum factiones. ſumere coactus eſt. Woidilo, homo naſcendi ſorte infimâ, ingenio vafer ac promptus, à piſtrino (ubi piſtoriam aliquamdiu eum exercuiſſe ferunt) ad cubiculum Principis & ſummos favores magiſtratuſque Olgerdo imperante pervenerat: poſt Lidenſem præfecturam adminiſtratam, ultimis ejus annis ſupremus arcanorum conſiliorum præſes creatus. Apud Iagelonem, iiſdem artibus,

artibus, non retinuit modò fortunæ locum, ſed etiam altiùs extulit: ſororem enim Principis Mariam, defuncto Davide Duce priore marito viduam, in conjugium accepit. Hoc verò tantum Domûs ſanguiniſque ſui probrum Kieyſtutus palam ægrè ferre: atque eò apertiùs liberiuſque factum damnare; quòd ætate, auctoritate, & potentiâ grandis, pænè parentis locum obtineret apud nepotem, tum propinquitatis jure, tum Principatus non averſi beneficio, ſibi obligatum. At Woidilo *inde fortunæ ſuæ in ſummo ſtanti, magis timere. Æſtimare ſecùm, quàm inſtabiles juvenum amicitiæ: quàm pronum mobili Principis animo, ſi patrui auctoritate pulſari inciperet, ſibi non conſtare.* Quia verò ad vim par non erat, fraudibus res ſuas firmare, Kieyſtutum penitus convellere. Criminabatur maximè: *Kieyſtuti filiorumque ejus amicitiam, nihil ultra externam ſpeciem habere: Principatu tamdiu eos carere poſſe, quamdiu ejus invadendi facultas non ſuppeteret: intentos interea eſſe in omnem Jagellonis opprimendi occaſionem.* Neque difficile fuit ſiniſtris ſermonibus apud

 cupidum

cupidum dominandi juvenem, si non fidem, saltem suspicionem reperire. *Facilis est enim inter Principes de æqualibus suspicio: quos regnare posse advertunt, cupere præsumunt.* Nutantem jam suspicionibus Principem, facilius deinde in odium armorumque cogitationem impulit. Secretis consiliis Kieystuti cum prole cædes decernitur: Voidiloni tanquam fidissimo hostium indici præmium, ditiones oppressorum promittuntur. Differre nihilominus tantisper apertum bellum placuit, donec Crucigeri Equites per Prussiam, & Livoniam ad societatem armorum pertraherentur. Occultissimè inter Iagelonem & Prussos fœdera conscribebantur, Voidilone administro: cùm Augustini Sudsteinii Ostrodomensis Præfecti indicio, res ad Kieystutum emanavit. Nam quòd nuper Danutam ejus filiam, Ianussio Masoviæ Duci nupturam, Christiano more è sacro fonte levasset, pro initæ necessitudinis ratione, amicum periculi imminentis admonuit. Trocis tunc agebat Kieystutus. Ad insperati nuncii fulmen, vix

Conspiratio Iagelonis contra Kieystutum, ejusque domum.

vix ipse sibi credere; inter tot tantaque sua benè merita, potuisse tantum scelus animo nepotis concipi, nedum destinari. Tum in furias contra consiliorum moderatorem versus, extrema Voidiloni minari. Mox seu alia de causa, seu quòd ipse natu jam magnus, sui loco juvenem bello acerrimum in hasce concertationes immittere mallet; filium Vitoldum Grodnâ evocat: questusque multa, insidias ex ordine aperit: urget in Iagelonem, cui tam parum esset sanguinem suum vilissimi hominis connubio nuper polluisse; ut etiam eundem augendæ nefariæ dominationi, hostium armis propinare non vereretur. Vitoldus ut erat amicissimo semper in Iagelonem animo, nihil horum in mentem demittere: connubium Mariæ sororis cum Voidilone excusare: fœdera cum Crucigeris & insidias negare; omni demum conatu parentis affectus componere. Illud potiùs ipse suspicari, parentique persuadere; non à Iagelone, sed ab hostibus fraudem timendam. *Hostiles nimirum has*, ajebat, *artes esse;* *curare*

Kieystuti consilia, post intellectam Iagelonis conspirationem.

Vitoldi Kieystutiadæ constantia singularis in colendo Iagelone.

curare ut quorum concordia formidabilis eſſet, eos ſiniſtris rumoribus inter ſe committerent, & tandem mutuis cladibus attritos, faciliùs ipſi opprimerent. Kieyſtutus ſive perſuaderi reverà ſibi paſſus, ſive (quod verò propius) omnem ſuſpicionem ſe deponere, in ſpeciem teſtatus, Vitoldum Grodnam ac Drohicinum dimiſit. Verebatur enim fortè ne præſens, pro eo, quem conſtantiſſimè in Iagelonem retinebat, affectu, obſtacula conſiliis ſuis opponeret. Ipſe verò Trocis in omnem partem intendebat: ne quà ſubito tempeſtas in incautum ingrueret. Pauci dies interceſſere, cùm non dubia proditionis argumenta emerſerunt. Andreas Voidatus Kieyſtuti junior filius Polociæ præerat. Huic Iagelo nullo jure Præfecturam abrogat; & Skirgeloni attribuit. Polocenſes Voidati factionem ſecuti, bello novæ mutationi obſiſtunt: ſubmittitur itaque Skirgeloni exercitus, qui rebellem populum armis ad officium cogat: acceſſere Livonienſium equitum auxilia, è nuperi fœderis conditionibus promiſſa. Dum hæc ad Po-

Voidati Kieyſtutiadæ cum Skirgelone bellum.

lociam aguntur: apud Kieyſtutum antiquæ ſuſpiciones indubitatis ſignis confirmabantur. *Videbat enim Voydato præfecturam eripi, non alio crimine, quàm quòd filius ſuus eſſet: bello contra ſe movendo Iageloni non deeſſe animum, ſed occaſionem tantùm quæri; hanc quoque non ampliùs expectandam, ſi parens filii cauſam tuendam ſuſciperet: denique nova ibi fœdera neceſſariò debere intercedere, ubi Crucigeri nuper jurati hoſtes veteribus odiis temperatis, jam pro Litvanis arma ferrent; & animis oppoſiti, iiſdem caſtris ſe contineri pati poſſent.* His momentis impulſus Kieyſtutus jam non timere tantùm ſuo capiti, ſed etiam audacioribus conſiliis providere. *Faciliùs quippè domeſticæ inſidiæ audendo opprimuntur; quam metuendo evitantur.* Magno itaque ſilentio militem qui ad deſtinata ſufficeret recenſet. Trecentos è Samogitis Equites (quos fidiſſimos atque ad ardua ſuſcipienda exequendaque imperia idoneos probaverat) Vilnam ire jubet: atque per variorum negotiorum ſpeciem, in diverſa hoſpitia ſparſos, ita ad condictum diem agendi mandata expectare, ne qua

Kieyſtutus Vilnam occupat, Iagelonem capit, Voydilonem plectit.

ſuſpicandi occaſio præberetur. Sexcentos deinde pedites plauſtris, fæno aliiſque id generis rebus onuſtis occultatos, intra mænia immittit. Denique omnibus ad ſubitam vim ex ordine comparatis, ipſe cum delecta mille equitum manu citato agmine advolat: dato armorum ſigno reliqui ex inſidiis repentè coorti ad Ducem concurrunt: arces occupantur, cingitur armatis regia, Iagelo cum parente Vlianâ & ſorore ſua Maria in poteſtatem redigitur: urbi arcibuſque præſidia imponuntur. Firmatis rebus eodem ipſo die Voidilonem (totius hujus ſcenæ auctorem) in furcam agi victor juſſit. *Ita nulla incertior fortuna eſt, majoribuſque ruinis obnoxia, quam quæ repentinis augmentis ad ſummum evecta, per fraudes aut continuatur, aut ad altiora intemperanter urgetur.* Ex altiſſimo monte (undè, in ſubjectam urbem, undequaque expeditus patet aſpectus) malè tractatæ fortunæ pæna, everſæ exemplum, Voidilo de patibulo ſpectaculum exhibuit. Cum deinde ad arcana conſilia veſtiganda, ſcripturæ per ocium ſtu-
dioſè

dioſè excuterentur, productæ ſunt literæ, manu ſigniſque factionum communitæ; quibus pacta nuper cum Crucigeris contra Kieyſtutum fædera continebantur. His vulgatis, audax atque primâ ſpecie atrox Kieyſtuti factum, levius inter populares audire cæpit; & animi à commiſeratione Iagelonis, in odia verti. *Tam leves ſunt vulgò affectus, & exiguis momentis mutabiles! Facilè enim deponuntur, quæ impetu, non ratione aſſumuntur.* At Vitoldo inter tanta offenſionum argumenta, conſtabat vetus in Iagelonem amicitia. Celerrimis nunciis facti totam ſeriem à parente edoctus, cùm Vilnam Grodnâ advolaſſet, inter filii, fratriſque amiciſſimi affectus, vix verba, nedum conſilia reperiebat. Parenti gratulabatur palàm deprehenſas oppreſſaſque hoſtium artes: & ipſâ gratulatione violari amicitiæ ſacra, apud ſe dolebat, cùm amicum Iagelonem hoſtium nomini accenſere cogeretur. Suſciperet negotium agendi pro amico, ſub alieno arbitrio incertam vitæ ſpem, inter publicas cuſtodias, trahente: ſed de-

Vitoldi Kieyſtutiadæ conſtans erga Iagelonem animus, parentem ad mitiora conſilia flectit.

 bita

bita in patrem pietas lædi videbatur. Exprobrabat enim parens, quòd cùm nuper consiliorum initia à se indicari audisset, inconsultæ amicitiæ specie occæcatus, apertum sui paternique capitis discrimen, aut non vidisset, aut non curasset: eumque ut fratrem & amicum colere non cessasset, qui professis insidiis hostem se fecisset. Vitoldus non veritatem rei in dubium revocare, non fæditatem criminis destinati elevare: neque tamen Iagelonem odisse poterat. Igitur facinus quidem execrari, sed omnem invidiam in Voidilonem congerere: tum ipsâ sumptæ de Voidilone vindictæ laude atque exaggeratione, parentis affectus temperare; tandem sensim rem deducere ad memoriam Olgerdi: quâ ubi emollitum Kieystuto animum advertit, juvenilem pro Iagelone levitatem prætendere; suas etiam preces interponere. Hâc ratione Kieystutus ad mitiora consilia flexus, Iageloni vitam donavit: è paterna hæreditate Krevensem Ducatum, è Materna Vitepsciam attribuit; pecuniâ omni thesauroque

Iagelo è custodia liberatus Krevum amandatur.

roque amplissimo quem in arce Vilnensi occupaverat, penitùs abstinuit: Principatu solo mulctatum, privatum agere jussit. Inde ad Reipublicæ in se translatæ curas versus, inprimis ne quæ novorum motuum materies Vilnæ relinqueretur, Vitoldo commisit, ut Iagelonem cum parente ejus Vliana, cæterisque suis, Krevum deduceret. Præstitum id à Vitoldo, magnâ & amicitiæ & honoris in afflictum Principem significatione. Deinde ad exercitum missi, qui sui Principis nomine à Polociæ oppugnatione discedere juberent. Paruit miles magistratui militari. At Skirgailo Dux graviora veritus, cum auxiliaribus copiis vitatâ Litvaniâ in Livoniam abiit. Mox in Severiam ducendus erat ipsi Kieystuto exercitus. Nam alter ejus nepos Demetrius Korybutus, cùm nuper Iageloni rebellasset; non modò nullum Magni Litvaniæ Ducis in Severiam jus agnoscere volebat: verùm etiam novorum in Litvania inter Principes dissidiorum oppurtunitate usus, aliquot finitimas arces armis occupaverat.

Occasione belli Severiensis lecto milite, Vilnam & Principatum Kieystuto eripit.

Contra illum Kieyſtutus maturè movit. Ne verò ſe abſente turbarum aliquid enaſceretur, Iageloni quoque quantocius ſuos Vitepſcenſes ſub ſigna cogere, & in caſtra properare mandarat: ita enim putabat fore ut per ſpeciem neceſſariorum auxiliorum è Litvania eductus, à novandarum rerum ſpe averteretur. Verùm Iagelo lætus datam ſibi ſcribendi militis copiam; aliquantùm versùs Severiam cum exercitu progreſſus, repentè iter flexit, & magnâ celeritate Vilnam contendit: ubi Hawnulonis arci Præfecti, & urbani Magiſtratûs proditione, noctu intra mænia receptus, arces occupavit, Kieyſtutiani præſidii partem cecidit, partem in vincula conjecit. Potitus eo modo Vilnâ, legatos in Pruſſiam atque Livoniam ad petenda auxilia dimiſit; ipſe relicto in urbe valido ſuorum præſidio, recreatum auctumque militem contra Vitoldum Trocos duxit. At jam Vitoldus de tota re ab amicis monitus, cum Birutâ novercâ, Grodnam ſe receperat. Vrgebat tamen oppugnationem Trocorum

Trocos expugnat.

corum Iagelo: neque diu Trocenſes vim tulere; deſperatis auxiliis, cum civitate, arcibus, & fortunis in Iagelonis partes conceſſerunt. Vbi ea Kieyſtuto ex ordine ſunt nunciata, relictis Ruſſorum legionibus qui aut Novogrodiæ obſidendæ inſiſterent, aut finitima ab infeſtationibus Koributi tuerentur: ipſe magnis itineribus in Samogitiam regreſſus, lecto tumultuariè milite Viliam tranſgreditur, caſtra ſua Vitoldo, qui jam Grodnenſes ſub ſignis habebat, conjungit. Quia verò per legatos auxilia à Ianuſſio Maſoviæ Duce affine ſuo nuper popoſcerat, eaque in dies ventura expectabantur, noluit exiguis copiis, rectà contra Iagelonem ductis, ante adventum auxiliorum in extremam dimicationem ſummam rei deducere. Ne tamen armatis, quos habebat, torpentibus inter ocia agendi tempus laberetur, Trocorum oppugnationem orſus eſt. Paucis diebus continuatâ obſidione, arcta undique res, ad alia conſilia coëgit. Inde enim ſignificabatur, Ianuſſium non modò auxilia denegaſſe; verùm

Kieyſtutus contra Iagelonem ducit, Trocos obſidet.

verùm etiam violandorum impunè fæderum opportunitate arreptâ, novum bellum per Subſylvanam ditionem circumferre. Et jam Drohicinum, Mielnicum, Suraſum, Kamienecum ſubitâ incurſione occupaſſe. Inde Iagelonem Livonicis ac Pruſſicis auxiliis auctum, jam Vilnâ caſtra moviſſe. Perſpectum erat Kieyſtuto, quàm ingentes hoſti eſſent copiæ: quantum ipſi & armorum genere, & numero militum, inferiores. Attamen ſeu cauſæ æquitate ſecurus: ſeu quòd in fuga parum præſidii, plurimum turpitudinis veteranus miles & Imperator videret, ingentes vir ſpiritus contra Iagelonem duxit, caſtraque caſtris aperto campo objecit. Conſtiterant inſtructæ ad prælium utrinque acies apparebat Kieyſtutianos obſtinato in pugnam & mortem, gradu pergere; atque adeò ſolâ pænè deſperatione agi; hinc Iagelo, quanquam de ſuorum victoriâ non dubitaret, ingentem tamen cladem animo præcipere: quare fraudes priùs experiri apud ſinceras mentes, quàm arma contra exercitum bello militem

Iagelo ante pugnam, fraudibus contra Kieyſtutum agit.

militem maluit. Vitoldum per internuncios aggreditur. *Obteſtatur, ut obſirmatum pugnandi ardorem, mitioribus conſiliis, ipſe paterque ſuus reſtinguerent. Meminiſſent non hoſtiles, ſed fraternas ex adverſo acies ſtare. Non pugnam modò, ſed victoriam ipſam, toti deinde poſteritati deteſtandam, ſe penitus execrari. Nam cuicùnque tandem ex Superûm ſententiâ ſit deſtinata: neutri tamen aliter ceſſura eſſe, quàm per tot parricidia, fraternaſque cædes. Horrere ſe tantum ſcelus: atque ideò quantiſvis propriis diſpendiis, concordiam ſine ſanguine malle. Interponeret ſe modò Vitoldus arbitrum, facilè ab eo, inter Kieyſtutum & Iagelonem, pacem æquâ poſſeſſionum partitione ſtabiliri poſſe.* Non difficilem Vitoldi animum ad ea conſilia reperit Iagelonis legatio, utpotè nondum de integro averſum, & è vetere ſtudio non parùm retinentem: tamen quia inter tot violatæ fidei argumenta difficile erat nihil ſuſpicionis in animum tranſmittere, armato fidere non plenè audebat. Miſſus itaque Skirgaylo Iagelonis frater, qui commeaturis inter exercitus pacis ſtabiliendæ cauſâ, ac inprimis Vitoldo, jurisjurandi

randi

randi interpoſitis religionibus, coram pro ſe & Iagelone ſecuritatem ſponderet. Diu de paciſcendi fœderis rationibus, ſtante interim in armis exercitu, inter Duces Iagelonem ac Vitoldum actum eſt: verùm quòd nihil ſtabile decerni poſſet abſente Kieyſtuto, ipſum, ut adeſſet, invitare placuit. Fidem itaque ſuam rursùs Iagelo juramento obligat: Kieyſtutus poſt multam tergiverſationem, Skirgaylone ſanctè coràm omnia tuta promittente, ac Vitoldo ſuadente, tandem Iagelonem acceſſit. Negotium totum, magis fortè deſtinato conſilio, quàm decernendarum rerum difficultate, in veſperum extractum eſt. Tum primùm Iagelo vultu ad gratulationem ſperatæ pacis in ſpeciem compoſito, ſubjicit. *Paucis quidem jam horis ad rem totam abſolvendam opus eſſe: ſed ab ingruente nocte, illas haud permitti. Quare quæ conſilio ſupereſſent, commodiùs in craſtinum diem differenda. Quoniam verò de pleriſque jam conveniſſent, non eſſe neceſſe, tam incommodâ ſtatione non neceſſariam ſibi moleſtiam accerſere: venirent potiùs Vilnam; noctem ad curanda*

Kieyſtutus dolo ad caſtra Iagelonis allectus, Vilnam deducitur.

randa corpora acciperent; & ſociali cœna, futuro fœderi præluderent; cras negotio ſupremum finem addituri. Senſere Kieyſtutus Vitolduſque, & pauci qui aderant è proceribus comites, quò res ſpectaret: quid, ultra illa verba, Iagelonis animus agitaret, planum erat: ſed jam inconſulta temeritas, quâ ſe illis inſidiis induerant, damnari tantùm poterat, non corrigi. Verbo etiam de violata jurisjurandi fide queri auſi non ſunt; ne ſcilicet jurgio, apertæ vi initium darent: ubi ipſi à ſuis avulſi inter medias hoſtium legiones, nihil manu tentare poſſent. Diſſimulato itaque timore Kieyſtutus, quia repudiare abſque periculo non poterat, Vilnam profectus eſt: exercitibus in caſtra quietè concedentibus, quòd utrique putarent, Duces ſuos confectis ex voto rebus, fœdera communis hoſpitii religione auſpicari. At *nunquam periculo res vacat, cùm ipſa belli capita, ſolius fidei datæ acceptæque confidentiâ, armato ſe hoſti credunt. Difficilis enim animo ac vix aliqua ibi fidei conſtantia, ubi quidvis cum hoſte patrandi opportunitas, manu tenetur.* Eâdem

Kieyſtutus & Vitoldus Vilnæ juſſu Iagelonis comprehenduntur.

nocte Iagelo proculcatis amicitiæ, ſanguinis, jurisjurandi, hoſpitii juribus Kieyſtutum ac Vitoldum comprehendi jubet; atque illum avehi Krevum, hunc Vilnæ in cuſtodiam conjici. Ita Heros ille tot caſibus medios inter hoſtes ſuperior, conſilio Vlyſſes, manu Achilles Litvaniæ, nepotis ſcelere domi interiit: quintâ nocte ſubmiſſis à Iagelone ſicariis (præcipui erant ex illis qui cubiculi Principis officiis præerant, Proxa, Bilgenus, Kiſzyca, aliique) in carcere Krevenſi ſtrangulatus eſt. Parentavit patruo, regiâ pompâ Skirgaylo Vilnæ in campo Swintoroha. At Iageloni efferatior in vindictam animus nondum reſederat. Vidimundum primarum in Samogitia opum ſenem, Birutæ Kieyſtutianæ uxoris parentem, in rotam agi juſſit: bona ejus conjugi affinibuſque adempta Montivido attribuit. Solus ſupererat Vitoldus, ad quem velut aggere objecto, effuſus vindictæ impetus aliquantùm hæſit. Obſtitit enim tum veteris conſuetudinis recordatio, tum novorum ſtudiorum conſcientia,

Kieyſtutus Krevi ſtrangulatur: Vidimundus in rotam agitur: Vitoldus in carcerem compingitur.

ſcientia, ne gravius aliquid in eum repentè decerneret. Senſim itaque adoleſcebat conceptum facinus: hinc tempus datum Vitoldo ad meliorem fortunam ſervando. Vilnâ ille Krevum honorificè deductus, regio cultu quoad alia habebatur, niſi quòd arctiſſimâ cuſtodiâ ſervaretur; quæ nemini ſuorum conſpectum, nedum colloquium permittebat. Sola conjunx Anna, fortunam viri ſpontè ſecuta, cum duabus puellis liberè admittebatur. Atque hoc ipſum ſatis fuit ad libertatem Vitoldi: ita *ſæpè minimis momentis fata conſiſtunt*. Vigilum enim quiſpiam admonet Annam, Vitoldo certam cædem imminere: addit ſceleris adminiſtros à Iagelone deſtinatos jam Krevum adveniſſe. Aperit illa rem totam marito, ſimulque ſuadet ut aſſumpto unius è puellis habitu, eluſis vigilibus, ſe hoſti & certæ cladi eripiat: amicorum curâ omnia ad fugam comparata haberi. Succeſſit feliciter muliebre conſilium; mentito ſub veſperum habitu vigilias Vitoldus ſuperavit, atque inter tenebras è muris demiſſus, con-

Vitoldus inſigni conjugis ingenio è carcere Crevenſi liberatur.

 ſcenſo

ſcenſo equo in Mazoviam evaſit. Acceptus ibi à Ianuſſio Duce uxoris Annæ parente humaniter, aſſignatiſque poſſeſſionibus adjutus; citò ſeu alia quavis de cauſa; ſeu quòd Litvanis incurſionibus ea regio infeſta eſſet; ſeu magis quòd bellum animo vir acerrimus volveret, eoque reſpiceret unde majora præſidia ſperare poterat, ad Conradum Zelnerum Pruſſiæ Magiſtrum abiit. Duriorem ſe primo congreſſu Zelnerus prætulit, cauſatus, non voluntate, ſed neceſſitate amicitiam Equitum Pruſſiæ, à Vitoldo quæri. Illud æquiùs tergiverſationi ſuæ obtendiſſet; quòd priora ſibi cum Iagelone fœdera contra Kieyſtutum ejuſque familiam intercederent: verùm homo Litvaniæ inhians, parum penſi habebat, cujus fœdera ambiret, cujuſve rejiceret; modò, nunc illum, deinde alium, auxiliis firmando, mutua Litvanorum odia, in ipſius Litvaniæ excidium aleret, armaretque. Atque ea cauſa eſt cur non diu ſeveriorem illam perſonam tulerit: mox enim promiſſis auxiliis, Vitoldo Mariæburgi ſedem

In Mazoviam, deinde in Pruſſiam evadit.

dem deſignavit: præſertim cùm è Samogitia illaque Litvaniæ parte quæ Kieyſtutiani juris erat, præcipui ad Vitoldum commearent, qui oblatis ſuis opibus bellum in Iagelonem accendebant. Iagelo defunctus, ut rebatur, domeſtico periculo, vires convertit ad externum hoſtem ſubmovendum è Subſylvania: quam Ianuſſius Mazoviæ Dux, inter civilia Principum Litvaniæ diſſidia, Litvanis nuper ademerat. Drohiczyno inprimis exercitus admotus, oppugnationem virtute præſidiariorum valde difficilem habuit: præſertim cum Saſzynus Curiæ Ducis Magiſter, per media obſidentium caſtra viam ſibi fortiter aperuiſſet, & centum equitibus quâ haſtis quâ baliſtis minoribus armatis comitatus, in arcem penetraſſet. Per proditionem deinde aliquorum Ruſſorum per loca aliquot ſimul ædificiis accenſis, cùm inde conceptus ignis graſſaretur, inde Litvanus muris acriter inſtaret; vir fortiſſimus, quòd ſimul utrique malo non ſufficeret, arcem ſemiuſtam Iageloni dedidit. Paucis poſt diebus Surazum deditio-

An. 1383.

Iagelo Subſylvaniam à Mazovitis recuperat.

deditione, Mielnicum inopinato insultu receptum. Kamienecia octo dierum obsidione hosti extorta. Vindicatâ prosperè Subsylvaniâ, domum major cura avocabat. Vitoldus enim cum Samogitis constanter factionem suam secutis, & Magister Prussiæ cum suis in viscera ipsa Litvaniæ ferro grassabantur. Vastatione agrorum Trocos usque pertigerant: cesseratque illis oppidum cum bina arce: sed ad famam redeuntis cum victore exercitu Iagelonis, citato agmine è Litvania excesserunt, arcibus duntaxat valido Germanorum præsidio, commeatuque abundè firmatis. Quia tamen, quâ nuper ruinis patefactæ fuerant munitiones, tam properè non potuerant refici: non diu suffecere præsidiarii loco retinendo, atque oppugnationi sustinendæ: præsertim cum non die aut nocte unquam insultus remitterent Litvani. Pacti itaque libertatem fortunarumque exportationem Germani oppidum Iageloni dediderunt. Interea Samogitæ communi gentis consilio, partes Vitoldi

Vitoldus cum Prussis & Samogitis Litvaniam invadit, Trocos occupat.

Iagelo Vitoldianos Trocis ejicit, cum Vitoldo paciscitur.

toldi tuendas suscipiunt. Iusta hæc omnino metuendi causa erat, ne si plures provinciæ id exemplum sequerentur, civili concertatione omnia Crucigerorum armis per Litvaniam, nuda apertaque proderentur. Præcipuas itaque artes ad conciliandum Vitoldum intendere visum est: missi occultè impigri viri, *qui misericordiâ civium, cæterisque studiis solicitarent animum, necdum sui patriæque oblitum: promitterent ab Iagelone cuncta, quæ prætendere posset, atque adeo quæ infami apud hostes exilio & incertæ eorum fidei anteponere meritò deberet*. Successit auspicatò negotium. Vitoldus clam è Prussia abiit; acceptaque quam ex pacto cesserat Iagelo, possessione Grodnæ, Volkonisci, Brestiæ, priorem amicitiam constanter resumpsit: tantaque deinceps subsecuta est studiorum atque consiliorum conjunctio, ut ne nuncium quidem, extra patriæ fines, inscio Iagelone Vitoldus destinare fuerit solitus. Iagelo verò arcendi hujus belli necessitate liber, alterius inferendi curas suscepit. Contra Ianussium inprimis Mazoviæ Du- *An.* 1384.

cem

Iage'onis in Mazoviam & Poloniam expeditio.

cem exercitum duxit: vaſtatis quæ injuriæ per Mazoviam patebant, populabundas legiones in Sedomiriam Polonorum provinciam tranſtulit. Belli quidem hujus Polonici Cromerus non meminit: ne tamen quiſpiam meritò deſideraret, quod à pluribus Ruſſis conſignatum reperio; noluit noſter Strycovius lectorem ea ignorare, quæ illi ſeu errore, ſeu rei geſtæ notitiâ in ſuos commentarios retulere. Quàm latè præterfluente Viſtula vaſtatio arceri non potuit, ferro ac igni abſumpta cuncta: miles ab effuſa populatione cum præda ad Zawichwoſtum in caſtra convenire juſſus. Arx eò loci erat ab adverſa Viſtulæ ripa, in quam terrore vaſtitatis plerique nobiles è propioribus agris liberos fortunaſque comportarant: rati hoſtem fluvii tranſitum nequaquam attentaturum. Nam neque alveus, aquis per eos dies auctis, erat vadoſus: neque ullæ in promptu aut naves, aut rates tranſportando militi, idoneæ. Omnis tamen difficultas Radivili Equeſtris turmæ Præfecti audaci conſilio ceſſit: hærentibus enim

Radivili in Zawichwoſti expugnatione ſolertia.

enim in expediendo conſilio ceteris, ille circumductâ circa ſiniſtram manum equi caudâ, equum in flumen præcipitem agit, ſuoſque idem facere jubet. Horum exemplo totis caſtris, non expectato Ducum imperio, tumultuariè in flumen properatum: ſatiſque feliciter in adverſam ripam pars inſidentes equis, pars de caudâ vel jubâ penduli, evaſerunt. Defunctis eo periculo, majus oppugnandæ arcis ratio negotium objecit: cùm nihil præter equos, & arma aperto tantùm campo idonea, haberent. Hic quoque ingenio, prompto ad ſubita, Radivilus uſus, ſingulos milites è vicinis ſepibus ac tectis, quantum ferre poſſent, ligna comportare jubet; tum congeſtas ingentes ſtrues ſenſim in foſſam promovere: exæquatâ foſſâ, tantâ deinde copiâ, fuſtes in adverſa mænia contorſere; ut fama obtinuerit, arcem baculorum conjectu inſepultam fuiſſe: propius tamen verò, quod pauci tradiderunt, obſervato vento ſubjectum eſſe ignem conjectis in foſſam lignis; tum ſerpente ſecundùm ventum

 tum

tum flammâ, mænia arcemque universam incendio periisse: paucis per flammas dilapsis, qui captivitatem morti prætulere. Inde latissimè per minorem Poloniam vastitas circumlata est: nonnisi ad Vislicam & Calvummontem populabundæ legiones prædationem stiterunt. Hæc clades eo major fuit, quò liberiùs Litvani arma circumferebant, domesticis Polonorum dissidiis, securitatem hosti facientibus. Mortuo enim Ludovico Rege, diversa pro novo Rege studia, præcipuos in Republica Principes, non contentionibus modò, sed & bellis exercebant. Inter opimam ex Polonia prædam, solis Russis (Polonarum enim rerum scriptores non memorant) auctoribus accepimus spoliato Calvimontis templo, Crucis, in qua humani generis pretium Christus olim pependerat, partem religiosè ac magnificè eò loci asservatam Dowoynæ obtigisse. Vilnam deinde cum triumpho regressis, ingentem cladem inter confertam plebem (si quis temerè sarcinas, quibus sacra illa præda habebatur, attigisset)

Dowoynæ Litvano transeundi in Poloniam occasio.

tigisset) grassari cæpisse. Denique cum nobilis puella, illustri in Polonia domo (de Habdank) orta, inter cæteros nuper captivos abducta, cælestis spiritûs secundùm quietem visi monitu, causam cladis edocuisset: & Crucem illam, & puellam muneribus honoratam Iagelone jubente, à Dowoyna in Poloniam reductam esse. Qui, quòd nuper captivam fæminam honestissimè habuisset, à parentibus, ipsaque puellâ magnarum opum unica hærede, in matrimonium invitatus; susceptis Christianis sacris in Polonia mansit: auctus est ibi novo stemmate; quod Dubno, vulgari vocabulo dicimus, cruce ad memoriam rei actæ servandam, insigne. Per idem tempus Hungari, quòd de possessionibus per Pokuciam cæteramque Russiam sibi nuper attributis, à morte Ludovici Regis, non levem cum Polonis concertationem metuerent: acceptâ ingenti pecuniâ Oleskum, Kremenecum, Horodlum, Lopatinum, Swiatinum, Lubarto Iagelonis patruo, (qui tunc pro Litvaniæ Principe, Luceo-

Hungari arces aliquas in Russiâ Litvano vendunt.

riæ, Volodimiriæ, atque per universam Volyniam imperabat) vendiderunt. In Polonia interea civilium bellorum, mutuarumque vastationum tædio, factionibus de pertinacia remittentibus, animi in concordiam ab interregno coivere. Tandem Hedvigis Ludovici Regis natu minor filia, communi voluntate Regina renunciata est, atque excluso Sigismundo Brandeburgico, quem Elizabetha Regina mater administratorem Regni destinaverat, atque pars Regem Poloniæ nuper dixerat, Cracoviæ solenni ritu per Bodzentam Archiepiscopum Gnesnensem inaugurata; Regni per se administrandi suscepit curam: donec de sponso Rege, è Reipublicæ bono, ordinum consiliis provideretur. Vulgata ejus rei apud finitimos Principes fama, Iagelonem ad ambiendum eas nuptias permovit. Legatio honorificentissima in Poloniam decreta: capita legationis Skirgelo, & Vigundus Basilius seu ut alii volunt, Borysus, fratres Principis, cum Haunulone Vilnensi Gubernatore: addita munera Reginæ ac Proce-

An. 1385.

Iagelo nuptias Hedvigis Polonorum Reginæ ambit.

Proceribus, permunifica. Conditiones quibus matrimonium poscebatur, præcipuæ erant. *Jagelonem matre Christiana genitum, neque mediocriter in eam religionem semper propensum; cum universis suæ gentis ordinibus, sacra Christiana Romano ritu suscepturum: quicquid in Russia, vel Podlachia, per Litvanos Polonis hactenus ereptum esset, Polonæ ditioni consignaturum: captivos, quicunque è Polonis vel Russis haberentur, absque pretio liberos dimissurum: Magnum Litvaniæ Principatum, cum universis Litvani juris provinciis, Reipublicæ Polonæ æterno fœdere conjuncturum: quicquid in thesauris haberet, in Poloniæ Regni commoda cumulanda expensurum: atque inprimis omne consilium ac opem collaturum ad Silesiam, Pomeraniam, Prussiamque recuperandam.* Eò gratiora hæc proceribus Polonis acciderunt, quia & minùs expectata, & in rem Polonam non parum conferentia: quare legatio æquissimis auribus accepta est; visumque omnibus, studiosè allaborandum esse, ne qua firmandæ, per conjunctionem validæ gentis, Reipublicæ occasio impediretur. Reginæ tamen (ut ferè *fœminis privati amores*

Legatio Iagelonis Polonis grata, non Reginæ.

amores ante publica commoda sunt) alienior erat ab his consiliis atque Iagelone (cujus formâ aliquantùm offendebatur) animus; præsertim quòd alteri à teneris obnoxius. Infantem enim illam, ac propè in cunis, parens Ludovicus Guilhelmo Austriæ Duci desponderat, ducentorum millium vadimonio adjecto. Legatis Iagelonis, ejus quoque pecuniæ annumerandæ debitum, in Principem suum transcribentibus, cùm Regina nihilò propensiorem se ferret, Reginæ matris per legatos sententia quæsita est, quid super eâ re censeret: lubens illa permisit, uti Poloni, quod è Republica fore videretur, decernerent. Quare permoto priùs Reginæ in eandem sententiam animo, *pietatis præcipuè (quod maximum in teneras mentes telum est) prætextu*; ne scilicet tantæ gentis ad Christum accessioni obfirmatis in Austriacum amoribus obstaret: frequenti Senatu, Reginæ matrimonium Iageloni promissum est; simulque Legati in Litvaniam missi, Volodko de Ogrodzieniec, Christinus de Ostrow, Petrus Szafraniec de

Legati ex Polonia ad Iagelonem.

de Luczyce, Hincza de Rogowo. Cùm negotium Iagielonium hinc inde per legatos agitur; Vilhelmus Austrius seu occultis nunciis evocatus, seu quòd aliàs propensiorem in se Reginæ animum cognitum haberet, Cracoviam splendido comitatu advenit. Exclusus quidem ille fuerat arcis ingressu, Dobieslai de Kurozwak Castellani Cracoviensis curâ: sed quòd è propinquo suis rebus intenderet, parvo negotio priora Procerum consilia pæne expugnavit. *Agendis enim rebus, vis quædam potior, ac momentum, ex præsentia accedit: at quæ per internuncios quantumvis impigros geruntur, plerumque nequeunt, ita administrari; ut non aliquantum langueant.* Itaque frequentiore colloquio, conviviisque hilarioribus, à Reginâ ad Cænobium D. Francisci adhibitus Austrius; de ejus in se affectu jam certus, reliquæ Curiæ animos humanitate ac liberalitate solicitare ausus est: tantumque jam illis artibus profecerat, ut & ipse intra arcem versari, regiaque pro hospitio uti permitteretur; & plerique mutatâ mente, standum esse

Procerum atque Reginæ animus, rursus à Iagelone avertitur.

eſſe veteribus Ludovici Parentis pactis non obſcurè ſentirent. Certè niſi maturè venientis magno apparatu ad nuptias Iagelonis rumor vulgatus, conſiliorum ſeriem interturbaſſet, matrimonium inter Hedvigim & Guilhelmum haud invitis Proceribus conſtitiſſet. Verùm hi, ad eum rumorem, repentè præſentium oblivisci; in conſultæ mutationis pænitentiâ, etiam vehementiùs cum Guilhelmo agere. Nam & arce ejectus eſt: & clauſis portis ab Reginæ conſpectu arcebatur. Ægerrimè id ferebat Regina: & quòd magis mirere, propriis manibus vim clauſtris parabat: auſura certò ſupra ſexum ac majeſtatem aliquid, niſi Demetrius Gorayski Regni ærario Præfectus impotentes fæminæ impetus prudentibus conſiliis compoſuiſſet. Guilhelmus verò plura veritus, ſpontè Cracoviâ clam ſe proripuit, multa ſupellectile inter tumultuarium abitum relictâ. Paucis poſt diebus Iagelo, Litvaniæ Proceribus, ac præſertim ſuæ ſtirpis Principibus comitatus, ad aliquot milliaria Cracovienſi

Rumor de adventu Iagelonis connubium cum Auſtriaco diſturbat.

An. 1386.

vienſi Palatino Spitkone Melſtinski, cum delectâ Equitum manu, obviam honoris cauſâ progreſſo, Cracoviam magnifico ſpectaculo, pridie Id. Febr. invectus eſt. Eodem die Reginam ipſe coràm ſalutavit: poſtero, per Skirgelonem & Vitoldum fratres, ampliſſima munera obtulit. xvj deinde Kal. Mart. qui D. Valentino ſacer eſt, à Bodzenta Archiep. Gneſnenſi Chriſtianis ſacris initiatus, Vladiſlai nomen accepit. Alii quoque Duces (qui Chriſtiana ſacra nondum ſuſceperant) cum religionibus, nomina mutarunt: Vigundus cum Vitoldo Alexandri, Skirgailo & Korigailo Caſimiri, Swidrigailo Boleſlaus, Dougothus Georgius, dicti. Succeſſerunt connubialia Regum fœdera; quibus ritè peractis, cum pro Iagelone Alexander Vitoldus, Michael Iawnutides, & Theodorus Lubartus Sanguſzko, Reginæ ac Polonæ Reipublicæ ſpopondiſſent; fore ut ſingula, quæ per Legatos nuper eſſent promiſſa, ex fide ac ordine præſtarentur: ſolennibus cæremoniis, Iagelo Rex Poloniæ inauguratus

Iagelo Cracoviam venit, baptizatur, coronatur.

ratus eſt. Tum ſinguli Litvani Proceres, ſuo ac Provinciarum quibus præerant, nomine, Regi Reginæque fidem jurejurando obligarunt; atque ea conventa & pacta, ut æternum rata inconcuſſaque manerent, tabulis publicis, caverunt. Cùm ea maximè Cracoviæ omnes agunt, cladis inſperatæ nuncius publicæ hilaritatis fortunam evertit. Conradus Zelnerus, nuper amicè à Regibus ad Connubialia ſacra invitatus, partitus bifariam exercitum in Litvaniam ſimul & Samogitiam irruptionem fecerat: neque levis erat aut trepidatio, aut vaſtitas; utroque malo creſcente ex abſentia Ducum. Ab alia parte Andreas Vigundus Trubecenſium Dux, Iagelonis frater, Dunam tranſgreſſus ditiones Litvanas infeſto milite populabatur. Puer ille admodùm ad Chriſtiana Græci ritus ſacra acceſſerat: hinc, aliiſque dotibus, ante alios fratres Ruſſis gratior, univerſam propè Ruſſiam vehementer jam ante in ſe inclinaverat. Ruſſicis itaque opibus fidens, cùm abſentibus aliis occupandi Principatus ſpem,

Bellum in Litvania cum rebelli Iagelonis fratre Andrea Vigundo.

imma-

immaturiùs in animum admiſiſſet pertracto in Societatem belli Henrico Livoniæ Magiſtro, factaque à Conrado Zelnero Pruſſicorum auxiliorum ſpe, audacior, arma per proximam Dunæ oram circumferebat: Lukomlâ, validâ ſatis arce, per cruentam oppugnationem, potius; propinquiora loca non magno negotio occuparat; Druiâ, Driſſâ, atque Pólociâ prope ſponte deditionem facientibus. Sub idem tempus planè (ut dubium omne abſit, rem totam compoſitis conſiliis actam eſſe) Suentoſlaus Smolenſcenſium Dux Vitepſciam, indè Orſzam aggreſſus, cùm civitates ipſas expugnare non potuiſſet, Tyrannorum magis inſtituto, quàm militari more, exquiſitâ per agros crudelitate ſæviit. Nam captos promiſcuè aut in pagos compingi, & flammis ſubjectis exuri jubebat, aut levatis in altum ædificiis, ordine longo eos ſubſternere, atque in jacentium colla, levata onera dimittere. Celeribus iſta nunciis Cracoviam allata, Litvanos quamprimùm contra hoſtem ire compulerunt: dati à

Rege

Rege qui ſummæ rei præeſſent Caſimirus Skirgailo, & Alexander Vitoldus; Duces in rebus ſubitis experti: raptis, quæ eo tumultu poterant, copiis (quibus non exigua Polonorum Volonum manus ſponte acceſſerat) acceleratum agmen in extremam Litvaniæ oram, ut abeunti cum præda Conrado, via interciperetur: ſed jam is non ſatis aperto fidens, in tutiora maturè, cum prædâ, abierat. Quare toto robore contra Vigundum itum eſt. Lukomla inprimis arx pertinaci oppugnatione recepta eſt: exciſiſque, quæ ibi Ruſſorum ac Livonum manſerant, præſidiis; quo deinde exercitus ducendus foret, nonnihil ſententiis variabatur. Ad Polociam propior hoſtis erat: ſed ad Mſciſlaviam gravior, & crudelitate & viribus. Iam enim Suentoſlaus ab Orſzana agrorum vaſtatione Mſciſlaviam ingreſſus, caput Provinciæ civitatem, magnâ ſuorum, ſed nec minore mænium ſtrage pænè ad extrema compulerat: vix aliquam moram res pati poterat; ceſſuram hoſti urbem certò ferebant exploratores,

Skirgailo & Vitoldus bello in Litvania præficiuntur.

tores, niſi ſubſidia in tempore adeſſent. Lukomlæ ergo valido præſidio relicto, ſepoſitâ tantiſper Polociæ curâ, rectà miles contra Suentoſlaum ductus: ita patentibus inter ruinas mænibus, apertaque per cuniculos civitate, jam pænè abſoluta expugnatio omitti debuit, & univerſa moles belli in venientem exercitum verti. Quà latius excurrebant planiores campi inſtructâ acie, magno impetu in venientes Litvanos Suentoſlaus incurrit: primi congreſſus ferociam, nihilo remiſſior, cùm totæ acies coivere, pugna excepit. Diſpar nihilominus pugnandi cauſa, ut diſpares animos faciebat, ita diſparem pro æquitate eventum attulit. Turbari primùm apud Ruſſos mediæ, aciei ordines: quos, reficere Suentoſlaus conatus, cùm audaciùs hoſtibus adequitat, à Litvano equite lanceâ medio pectore confoſſus, interiit. A cæde Ducis, tota acies in fugam, quà propiores ſylvæ erant, effuſa eſt. Caſtra, ab hoſtibus deſerta, victoribus ceſſere: Georgius quoque filius Suentoſlai, poſt acerrimam circa ſe edi-

Suentoſlaum Smolenſcenſium Ducem profligant.

ſe editam pugnam, ſaucius in poteſtatem venit: reſtitutus deinde paterno Principatui, cùm priùs in fide ac obedientia Iagelonis, Magnorumque Litvaniæ Ducum ſemper futurum jurejurando ſe obſtrinxiſſet. Victoriâ eâ potitis, vix aliquid negotii in recipienda Polocia repertum: expugnata urbs: de rebellibus, qui autores facinoris aliis fuerant, pœnæ ſumptæ: Andreas Vigundus Dux & fax ejus belli, captivus ad Iagelonem miſſus; univerſa Ruſſia pacata. Ne tamen quid rurſus ab ea parte turbarum cieretur; Boleſlaus Swidrigailo, cum mediocri præſidio Pólociæ manſit: reliquo exercitu dimiſſo, Vitoldus Grodnam, Skirgelo Trocos, Mſciſlaviam Simon Linguien, in Severiam Demetrius Korybutus rediere. Ejus belli curâ liber Iagelo, Vigundo fratre captivo ad Checinenſis arcis carcerem relegato, firmandis Polonicis rebus, per varias interregni vices non parum concuſſis, neque adhuc quietis, impenſiùs ſe commodavit: tùm ut initio Regni, incolis ſe quàm maximè probaret, tum ut ſe-

Polociam recipiunt, Vigundum capiunt.

ut ſequens annus expeditior ſibi relinqueretur, ad Chriſtianam religionem ſtudioſiùs totâ Litvaniâ propagandam. Itaque compoſita ad leges per Poloniam tranquillitate, primis menſibus hybernis Vilnam cum Regina venit. Aderant comites Regi è Polono Senatu, Archiepiſcopus Gneſnenſis Bodzenta, Ioannes Epiſcopus Cracovienſis, Ianuſſius & Semovitus Mazoviæ, Conradus Oleſnicenſium Duces, Palatinus Poſnanienſis, Bartholomæus de Wiſzemborg, Chriſtinus de Kozieglowy Sadecenſis, Nicolaus Oſſolinski Viſlicẽſis Caſtellani. Cancellarius Regni Zaklikus de Miedzygorze, Procancellarius Nicolaus Moskorowski, & Supremus Cameræ præfectus Spitko de Tarnow. Poſt peracta hoſpitalia feſta, genti univerſæ ad initium verni per quadraginta dies jejunii comitia indicta. Frequentes ordines convenere atque inprimis Principes Regii ſanguinis. Statutum ibi eſt uti ſuperſtitioſus plurium Deorum cultus totâ Litvaniâ, cæteriſque Litvani juris provinciis, penitus eliminaretur: & Chriſtiano ritu unum Supremum Numen ab

Iagelo è Polonia in Litvaniam venit.

Comitiis indictis, aufert ſuperſtitioſum plurium Deorum cultum.

 omni-

omnibus deinceps adoraretur. Legem eam primi ſunt executi, qui ex Equeſtri Ordine Comitiis interfuere. Chriſtiano inſtituto ſacris aquis abluti: tum in area arcis infimæ, quo loco, Perkunas vulgò, Fulminum præſes perpetuo igne curabatur, templum D. Staniſlai titulo per Archiepiſcopum Bodzentam dicatum eſt: à Iagelone ampliſſimi cenſus Epiſcopo Vilnenſi, cæteriſque Sacerdotibus ejus Collegii, vulgò Canonicis attributi. Epiſcopus renunciatus eſt Andreas Vaſillo nuper reginæ à ſacris confeſſionibus, vir nobili in Polonia Iaſtrzebeciorum genere ortus, religioſam inter Franciſcanos vitam profeſſus. Minora deinde ſacerdotia per proxima loca Vilkomeriæ, Niemenczynæ, Miſſogolæ, Miednicis, Krevi, Obolciis, & Hayni erecta: templa hæc, Regina quoque magnificis donariis & pretioſa ſupellectile cumulavit. Iiſdem comitiis lege cautum eſt ne Ruſſi, matrimonio Catholicis priùs jungerentur, quàm ritus Græcos deſeruiſſent: fortaſſis quòd eo tempore Ruſſi à Romano Ponti-

Epiſcopatum Vilnenſem cum aliis Eccleſiis erigit.

Pontifice, Græcorum defectionem ſecuti, abhorrerent. Additum magnâ piæ in Chriſtianam religionem propenſionis ſignificatione, uti poſſeſſiones Eccleſiarum ab omni penſione, oneribuſque fiſcalibus aut militaribus immunes perpetuò eſſent: nullumque jus ipſe Princeps, nedum cæteri profani magiſtratus in capita, aut bona Eccleſiæ, haberet. In ſingula hæc, ordinibus conſentientibus, Skirgelo Trocenſis, Volodimirus Kijovienſis, Korybutus Novogrodenſis, Vitoldus Grodnenſis Duces vice omnium ſubſcripſere. His ex ordine conſtitutis Dobrogoſtus Poſnanienſis Epiſcopus Romam ad Vrbanum IV profectus eſt, qui pro Rege, (ex vetere Chriſtianorum Regum inſtituto) ſupremam in Chriſti Vicario poteſtatem recognoſceret, atque ea quæ in Litvania in rem Chriſtianam acta eſſent, partim nunciaret, partim rata pro ſumma authoritate haberi, impetraret. Dimiſſâ deinde in Poloniam cum Polonis Proceribus Reginâ; ipſe rudibus ad Chriſtiana ſacra adducendis omni ſtudio in-

Poſnanienſem Epiſcopum Romam mittit.

dio incubuit. Difficilem admodum hunc laborem inprimis expertus eſt: *nihil quippe durius in humanis, quàm avitas religiones, quibus quiſque innutritus ſit, alieno juſſu ejurare. Neque enim reverentia metuſque Deorum ille, qui à tenero mentibus injectus, cum annis creſcit, rudibus animis vi ſolâ evelli poteſt.* Cùm tamen adverterent jubente Rege ſacros ignes extingui, aras atque adyta profanari, lucos ſuccidi, ſerpentes necari, atque omnia securè ac impunè perpetrari: tum vana eſſe, quæ hactenus timuiſſent, ſuſpicari; ac metu ſenſim imminuto, in Principum religiones ſpontè tranſire. Fortè cùm Sacerdos gente Bohemus, de nomine Hieronymus, ſimulacrum Dei Perkuni, ſecuri demoliretur, incauto ictu pedem ſibi graviter ſauciaverat: itaque populus Numinis violati irâ hæc accidiſſe vociferari, religiones ſuas profanatas plorare: at cùm idem Hieronymus, ductâ ſuper vulnus manu, Crucis ſacræ effigiem deſignaſſet; verique Dei nomine invocato, ſanum repentè pedem circumſtantibus oſtendiſſet: tum verò inſolentis

Agreſtes ad ſacra Chriſtiana inducit.

lentis prodigii ſpectaculo attoniti, novæ religionis dignitatem ſuſpicere, antiquæ vanitatem deridere. Accedebat quòd Princeps ipſe univerſam Litvaniam luſtrans, non verecundaretur Chriſtianam doctrinam ad frequentem plebem Litvano idiomate interpretari. Sacerdotes enim ejus linguæ ſatis periti ad manum haberi non poterant. Confluebat in dies populus; non humanitate ſolùm, ſed & munificentiâ Principis excitatus: nam quòd ruſticanæ plebi, ſolius lineæ ac pelliceæ veſtis hactenus uſus fuiſſet, ſingulis verò qui ſacro fonte abluerentur, lanea albi coloris attribueretur; magni concurſus fiebant. Oportebat ad fluvii ripam conſtitutos, per cohortes recenſeri, atque ſingulis cohortibus ſua deſignando nomina, aquis aſpergendo tingere. Triginta millia ruſticanæ ac oppidanæ plebis eâ expeditione, ſacro fonte abluta eſſe memorantur: atque adeo in hanc diem fluvii, ad quorum ripas Chriſtiana hæc expiatio peracta eſt, populari vocabulo vocantur Swienta: cui reſpondet latina vox

Sancta. Interea Vitepscii ac Polociæ aliquantùm tumultuatum est: quò excurrere Rex coactus, auctoribus capite mulctatis, motus eos brevi compescuit. Inde rursus Vilnam regressus, sororem suam Alexandram, Semovito Mazoviæ Duci in matrimonio collocavit: è quâ ille suscepit Cymbarcam, Ernesti deinde Archiducis Austriæ conjugem, Friderici tertii Romani Imperatoris matrem. Post nuptiarum solennia regio apparatu ibidem celebrata; quòd abitus in Poloniam maturandus sibi esset, præcipuis primorum consentientibus Casimirum Skirgelonem, sui loco Magnum Litvaniæ Ducem renunciavit, atque solitis ceremoniis inaugurari jussit: eâ nihilominus obstrictum conditione, ut Iageloni Regi supremum jus in Litvaniam remaneret. Rebus per Litvaniam in eum modum compositis, in Poloniam rediens, Volyniam ex itinere obiter lustravit: ubi quòd Creslao Curasvanscio Polono Præfecturam Luceoriæ contra Litvanorum sententiam consignasset; in odia suspicionesque Principum

Casimirus Skirgelo Magnus Litvaniæ Dux renunciatur.

pum Litvanorum incurrit; quæ cùm in aperta deinceps bella emersissent, depositis tandem armis, frequentibus concertationibus diu jactata, nonnisi sub Sigismundo Augusto ex integro conquieverunt. Ius enim in aliquas Russiæ Provincias à Polonis Litvanisque prætensum, utrosque diuturnâ lite exercuit. Quæ verò in eo negotio, aut adversis partium studiis agitata sunt, aut mutuo consensu sancita; in alterâ historiæ hujus parte, temporum rationem secutus indicabo: ita tamen, ut neque disceptationem, neque sententiam super eâ re meam, ipse promam, qui historicum, non arbitrum, tantorum negociorum ago. Illud inter comperta habendum. Quo tempore Iagelo ad Poloniæ regnum evectus est: præter Litvaniam, Samogitiam, Polesiam, Podlachiam, Vitepsciam, Polociam, Smolensciam, Msciślaviam, Magni Litvaniæ Ducis imperio subjectam: Severiam quoque universam, Kijoviam, Volyniam, partemque Podoliæ, Litvano paruisse.

DEO *regnorum omnium primo supremoque Gubernatori ac Domino, Honor & Gloria.*

OBSIDIO CLARI MONTIS CZĘSTOCHOVIENSIS DEIPARÆ IMAGINE A DIVO LUCA DEPICTÆ CELEBERRIMI.

Authore Stan Kobierzycki

Regna vicissitudinibus obnoxia.

REgnorum ac Imperiorum miras viciſſitudines ; & vetera & nova ſatis docuêre exempla. Nullum tam præpotens, ſtabileque fuit, quod externa vis, aut non concuteret ; aut non everteret. Ludit quippe in Orbe terrarum æterna ſapientia, & in Reges ſupremum exercet imperium ; quos altiores, immemores Majeſtatis, è tot ſeculorum ſerie firmato ſolio, uno momento dejicit. Regnorum luxum, laſciviamque exterorum irruptionibus caſtigat, & ſub gravi jugo gementis populi audiens, diuque tolerans querimonias,

nias, tandem laneis licet pedibus ad vindictam procedit, ulciſciturque aut ferali ſubditorum rebellione, quibus ſpoliatis arma ſuperſunt, aut immutato veteri ſtatu, novos imponit Dominos. Sua cuique Imperio imminet ineluctabilis fatorum periodus; & quod olim florentiſſimum fuit, in extremam ſe conjectum ruinam derepentè vidit.

Exemplis antiquioribus probatur.

Obſoleta ſunt, quæ de Gotthis, Hunnis, Longobardis, Imperii Romani everſoribus narrant Scriptores. Hiſpaniam Mauris ex Africa à Comite Juliano accerſitis, Roderici ultimi Gotthorum regis libido proſtituit. Gallia ab Anglis domita, paucis antè temporibus libertatem pulſis hoſtibus obtinuit; quin avorum noſtrorum memoriâ claves ad florentiſſimum Chriſtianitatis Regnum, è cingulo Regum Angliæ pendentes, heroica Guiſii virtus abſcidit, & eripuit. Carolum ejus nominis octavum, Galliæ Regem Neapolim occupantem vidit Ferdinandus Arragonius, jamque Regno ſpoliatus, mari hoſtem fugiens ingemuit: obverſusque ad eam, quam deſerebat urbem, lachrymabun-

mabundus in hæc verba prorupit. ¶ *Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Plura, quæ prudens prætereo antiquioris ævi exempla Hiſtoricorum ſuppeditant monumenta, recentiora nuper ipſi vidimus.

Exempla recentiora.

Qualis, quantave converſio Germanici Imperii fuit intra ternas annorum decades. Quid nuper erat Bohemia, niſi alternantis fortunæ ludus, jam adſcititium advocavit Regem, mox à legitimo recuperata, iterum extorta, nunc Suecis, nunc Saxonibus paruit? In ipſis Auſtriæ penetralibus quæſitus Imperator, Viennæ obſeſſus, vix evaſit: pòſt, filius ad ejuſdem urbis portas pulſantes audivit hoſtes, ſeque periculo ſubduxit. Quid memorem cæteros Germaniæ Principes, ſuis exutos dominiis, & variantes vices ſæpiùs deplorantes. Stetit pax, nec aliter haberi potuit, niſi veteres poſſeſſiones, partim vicino Regi, partim novis, & trans mare quæſitis, ceſſiſſent Dominis: jacturam interea compenſante patrimonio Chriſti

Ferdinandus II.

Galliæ. Suecis. Brema,

 erepto,

Magdeburgum &c.

erepto, inque prophanos verſo Ducatus, dixiſſes, in bello Germanico de inconſutili tunica iterum luſiſſe milites.

An in hoc Orbis theatro & Hiſpania ſuos non exhibuit ludos? cùm Bergantiæ Duces Luſitaniam, & ejus appendicem Indiam Orientalem ad ſe traxêre, Catalonia Gallorum imperio ſe ſubjecit, in Belgio urbes & penè integræ detractæ Provinciæ, Neapolis ſeditione commota, & quos pridem non ſenſêre, ipſa Hiſpaniæ penetralia hoſtes jam exhorruêre. Angliæ verò quis ſtatus? in ferali trunco depoſitum caput Regium lictoris ſecuris abſcidit; pepercêre fata Jacobo Regi, ut Aviæ in nepote necem vindicarent: Sic ſic jam acerba fata Stuartos agunt, poſtquam immerentis Mariæ fluxit in terram cruor. Quos verò Nobiliſſima hæc Inſula datura ſit ludos, in poſterum tempus docebit. Nunquam itaque Orbis theatrum vacat, ſemperque novas exhibet tragœdias, & continuis viciſſitudinibus veluti verſatili ſcenâ oculos ſpectantium paſcit.

Poloniæ nova viciſſitudo.

Venit quoque & ad Poloniam ſuæ infelicitatis portio, quæ nuper comparuit tragico ſuccincta cothurno. In florentiſſimo conſtiterat ſtatu hoc Chriſtianitatis propugnaculum Vladiſlai Regis felicitate, omnium circà finitimorum ſocietate & fœderibus juncti erant animi, maxima fuit regnantis fortuna ut Janum clauderet, quod rarò ante illum contigerat, ſed graviora bello incubuêre longæ pacis mala, luxus, libido, ambitio, inertia, quæ Rempublicam peſſundedêre. Proinde animam agente Vladiſlao, ſimul & illa Regni exſpiravit felicitas. Subſecuta ſtatim à morte ipſius calamitoſiſſima tempora. Namque Theodatus Chmielnicius excitatâ Coſacorum ſeditione, Tartaris in auxilium advocatis, quantus & quàm ferox Regno hoſtis immineret, eventus docuit. Profligati exercitus, Duces in Tauricam ducti captivi, ſacra juxtà prophanaque everſa, nobilitas oppreſſa, & acceſſione plebis protervè obſequium ejurantis aucta rebellio, tanta feritate, rabiéque univerſam invaſit Ruſſiam, ut redivivos Attilas & quicquid unquam

A Coſacis Duce Chmielnicio excitata.

crudelius Orbis habuit, in hominum, urbium, pagorum, tectorum excidium ab inferis rediisse dixisses. Neque semel, iterumque, sed pluries per longiores moras cum Cosacis dubia pacis bellique alea repetita, majori semper & deplorando Reipublicæ damno. Quippe hæc rebellio vires, opes, sustulit: avulsitque dextrum Poloni Imperii brachium Russiam, fortissimorum virorum militiâque exercitatorum receptaculum; non absque evidenti Numinis irâ, quæ Regnis bellatores auferre solet, ut inermes populos hostium ictibus objiciat, tantò crudelius feriendos.

Postmodum à Moschorum incursione.

Luctantem cum Chmielnicio rebellibusque Cosacis Poloniam, quos immanis feritas & odium implacabile conciliari Polonis nunquam permisit, novus aggreditur hostis Moschus, tantò gravior, potentiorque, quantò magis insperatus: namque pax jurata, nullisque labefactata injuriis, securitatem ab hoc Septemtrione pollicebatur. Sed ut Moschi fœdus violarent, & Suecis & Cosacis debent. jam enim ita Dei judicio permittente,

tente,

tente, fatum erat Poloniam à fœdifragis oppugnari, discerpique. Et Cosaci quidem renuntiatâ Tartaris societate Moschorum amplexi sunt patrocinium, Chmielnicio in verba Magni Ducis præeunte Sacramentum; novaque firmante vincula, plebe facilè consentiente, quam & rabies in Polonos incitaret; & eadem religio suaderet, Latinis ritibus inimicissima. Ita mox in Russiam Moschi junctas Cosacis intulêre vires, Dux verò ipse in Lithuaniam susceptâ expeditione, Smolenscum, universamque Severiam, post & Albam Russiam primo recepit anno,
ferro, flammâque ubique horrendè debac- 1644.
chatur, donec sequenti ipsam aggrederetur 1655.
Lithuaniam, & Caput Magni Ducatûs Vilnam infestis armis occuparet.

Rebellio Cosacorum & Moschorum invasio irruptionem Suecicam accelerant.

Et hæc fuit Suecorum occasio, sumpta ex rebellione Cosacorum, Moschorumque successibus; ut tali cum opportunitate in Poloniam fractam aut distractam irruerent: hæc unica ratio ad frangendas inducias impulit. Irruptionis quidem suæ Sueci speciosas (si modò veræ, nec frivolæ fuissent.) edidêre

re

re causas, quæ sufficienter refutatæ, injustitiam potiùs, quàm justitiam prodidêre armorum. Etsi verò cætera deessent documenta, nihil manifestiùs esse posset Caroli Gustavi Regis Sueciæ attestatione, qui Stocholmii, post alios discursus, in ipso procinctu Legato Polono dixit: se quoque partem aliquam adempturum Poloniæ, quandoquidem adimendi facilitas invitaret. Irrupêre itaque Sueci, & Poloniam induciarum fide securam, subitâ armorum vi aggressi sunt; & cùm jam à duobus validissimis hostibus laceraretur, quibus adhuc aliqua renitendi suppetebat facultas, jam quo se verteret in tam insperatâ rerum confusione nesciebat. Tunc demum tristis incepit tragœdia, cui Moschus & Cosaci feralibus scenis præluserant. Quippe circumlata per universum Regnum arma Suecorum, torrentis ad instar Majorem & Minorem Poloniam pervasêre, cedentibus incolis vi aut metu abreptis, miles Regni præsidiarius, seditione paucorum, quorum nomina exhorrescet posteritas, Regem deseruit, ad hostem factâ

Hinc secuta conversio Status Poloniæ.

factâ transitione, Metropolis inops auxilii sese dedidit. Rex à suis desertus, Opolium se recepit: Secuta ad extremum deploranda totius Poloniæ conversio, nihilque jam nisi tristis fabula fuit.

Verùm ego narrationem rei gestæ, tantæque calamitatis initia, progressus, aliis Scriptoribus libens relinquo, & me à conspectu malorum, quæ vidimus tantisper avertam, omnis expers curæ, quæ scribentis animum, & si non flectere à vero, sollicitum tamen efficere posset. Lætiori argumento interim me & lectorem meum occupabo, quod in his ærumnis cœlestis benignitas, ne penitùs afflictam Patriam solatio privaret, suppeditavit; & cùm omnia hostium furori, libidinique patuissent; Sacrum *Deiparæ* montem Częstochoviensem subduxit, intaminatumque esse Castissimæ Matris Domicilium voluit; ut inde, veluti à firmo pietatis Marianæ propugnaculo, attrita hæresis, rediture felicitatis spem ostentaret. Ibi primùm in tanta Regni caligine visa est, *Hæc Aurora Consurgens*, Orientis iterum benigniori radio Solis prænuntia.

Quam aliis scribendam Author relinquit.

Solam Clari Montis Obsidionem scripturus.

nuntia. Scripturus itaque sum Obsidionem *Clari Montis* eâ fide, quam ex accuratissimis Obsessorum Commentariis accepi. Nec vanis aut superstitiosis narratiunculis lectorem detinebo: haud prætereibo tamen, quæ ad Dei, Matrisque ejus cultum pertinent; & homo Catholicus, piaculum ducerem beneficia, eventa, certisque comprobata prodigiis silere. Et dum narrare incipio, communi ac veteri Orthodoxæ Ecclesiæ formulâ, preceque Deiparam compello.

¶. *Dignare me laudare te, Virgo sacrata.*

Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Vitembergius Majorem Poloniam aggreditur.

Agebatur Annus, supra Millesimum, Sexcentesimũ, Quinquagesimus, Quintus, cùm nec denuntiato bello, nec Fæciali præmisso, Carolus Gustavus Sueciæ Rex Arfurdum Vitembergium Generalem Copiarum Ducem, cum parte exercitus, versùs Majoris Poloniæ fines ire jussit. Is verò ex Pomerania mo-

movens, per ditiones Electoris Brandeburgici, quæ mediæ interjacent, limites Regni ultimis diebus Mensis Julii attigit; constititque ad Notesium fluvium propè Oppidum Vscie. Erat ibidem in armis utriusque Palatinatûs, Posnaniensis & Callissiensis nobilitas, quæ se adventanti objecerat hosti; prompta quidem ad omnes repellendos insultus, arcendumque Suecorum impetum; sed pedite, tormentis, cæteroque bellico apparatu haud instructa; & quod in rebus bellicis summè noxium, non unius parens imperio: quippe duo Palatini, sui quisque Palatinatûs regimen ad se traxerant: is verò cui per legem in proximis Comitiis suprema cura demandata erat; dum Varsoviæ negotiis publicis impeditus, diutiùs hæret, tormenta, milesque subsidiarius lento passu procedit, opportunitatem hosti præbuit, rem subitò transigendi. Aderat Vitembergio, Hieronymus Radziejovius notus Orbi proditor, cujus operâ sollicitati, tractique in partes Suecorum animi erant, effecitque, ut præter Reipublicæ exspectationem Polo-

Uscie.

Cui comes expeditionis Radziejovius.

 nia

nia Major ſepoſitis armis cum hoſte tranſigeret, partemque pacis haberet, exarmatâ jam manu dextram tetigiſſe Tyranni. Scriptæ deinde conditiones, firmatæque chyrographo, ſed non adeò multorum, quos Palatini in ſocietatem defectionis traxerant. Defectio à Rege Joanne Caſimiro Protectionis titulo velata, Regi Sueciæ Protectoris nomen inditum. Dilapſa cum aliquibus Regi fidiſſimis nobilitas, paſſim rerum, quæ à Palatinis gererentur ignara, veluti ferali tacta ſydere, attonitaque tam ſubitâ converſione, domos repetiit, & quibus majores facultates erant averſati protectionem, protectoremque, fluxamque reputantes Suecorum fidem, temporaneum exilium aperto prætulêre flagitio: ii verò, quos arctior res, aut nimius fortunarum amor domi detinuit, duris exactionibus, rapinis, inſolentiâque divexati, egregiam, ſi Diis placet, protectionem triſtes ſquallidique toleravêre.

Tranſigit cum Palatinis Majoris Poloniæ.

Progreditur Poſnaniam Vitembergius, urbe præſidio vacuâ facilè ſeſe dedente, inde

Poſnaniam deditione capit.

de Calliſſium excurrit Radziejovius, firmatque milite & aliquâ munitione: Hinc verò ad vicini Palatinatûs Siradienſis mittit nobilitatem, quæ à Majoribus Polonis geſta ſunt, edocet, utque in poteſtatem Regis Sueciæ pari modo faciles concedant, ſuadet, hortaturque, Siradienſes aſpernati defectionem, Radziejovium leniori detinent reſponſo, interim evocati à Rege jam jam ſeſe cum aliquibus opponente copiis, in ſubſidium eunt.

Calliſſiũ Radziejovius.

Habebat in animo Radziejovius conciliatâ Suecis nobilitate Siradienſi, ulterius progredi, peteréque Clarum Montem Częſtochovienſem, quò illum ſpes ſacræ ſupellectilis rapiendæ invitabat: ſed ab excurrente cum paucis equitum turmis, *Stephano Czárniecio, Caſtellano Kijovienſe*, cujus manus vix evaſerat, exterritus, Calliſſio aufugit.

Idem Clarum Montem intercipere parat.

Fugit interim à Czarniecio penè interceptus.

Reſerato interea Majoris Poloniæ aditu, apertâque portâ ad invadendum Poloniæ Regnum; Carolus Guſtavus Sueciæ Rex cum reliquo mox adeſt exercitu, pactiones cum Majoribus Polonis initas confirmat, &

Carolus Rex Sueciæ in Poloniam venit.

& ubique clementiæ, benignitatiſque famam ſpargit, nec diu moratur, poſteaquam Regem Joannem Caſimirum propè Oppidum Piatek caſtris conſediſſe intellexit, ſigna movit. Proſperè aliquantùm primæ velitationes noſtris ceſſerant, jam Maſoviæ Nobilitas & Siradienſis, prout retulimus confluebat, verùm ita urgentibus fatis, illa quidem perturbatis Ordinibus; aliquo ab hoſte accepto damno celeriter dilapſa eſt; & Rex cum ſuis copiis Cracoviam versùs iter direxit, veſtigia ejus premente Sueco, qui Kolo, Lancieja, Lovicio, Varſovia captis, ne quid à tergo periculi immineret, præſidia impoſuit. Cracoviam ubi ventum eſt, Rex à ſuis deſertus, Opolium ſeceſſit, Metropolis Regni à Stephano Czarniecio, qui adventum hoſtium duobus aut tribus diebus antevertterat, defenſa aliquot ſeptimanarum ſpatio, impetum ſuſtinuit; & quia ampla, nulliſque firmata munitionibus, deſperatis, quæ promittebantur, auxiliis, honeſtiſſimis conditionibus Carolo dedita, ſi in eis ſervandis fides verbo regio,

Joannem Caſimirum, Regem inſequitur,

Qui Opolium ſecedit.

Cracovia conditionibus Sueco deditur.

gio,

gio, manuque obſtrictâ, ſalva manſiſſet.

Ultimus novo Herculi reſtabat labor Quartianus miles, (hoc illum nomine indigitant Poloni, à quarta redituum parte è bonis Reipublicæ à Præfectis in ejus ſtipendia conferri ſolita,) & hic Suecorum fortunam adoravit, non ſine probro, turpique nota. Pruſſia ad extremùm vocabat Regem Sueciæ, in qua Elector Brandeburgicus Princeps Fiduciarius armatus comparuerat; proindeque ejus amicitiæ ambiguus, motis ſignis illuc properavit, Vitembergium Cracoviæ annexiſque Provinciis impoſuit, Duglaſſium Sendomiriæ. Et quia miles ſuis cum Tribunis in præſidia diſtributus exercitum ejus attenuaverat, Quartianorum aliquot legiones in ſupplementum ſequi juſſit; evocato inſuper è Livoniâ Comite Magno de la Garde, (fortaſſe quòd parum adhuc fideret nuper acceſſoriis legionibus,) qui ſex armatorum millibus in Pruſſiam adductis, exercitum ejus auxit. Mellerum verò Vicarium Generalem veterem, expertumque Ducem Majori Poloniæ præfecit, injunxitque, ut finitima

Quartianus miles ad Sueciæ Regem deficit,

Qui in Pruſſiam properat.

nitima

Mellerus Majori Poloniæ præficitur. nitima Silesiæ loca firmis muniret propugnaculis, militemque induceret; præcipuè verò Częstochoviam in suam redigeret potestatem à valido insidendam præsidio.

Et hactenus in brevem contractâ summam succinctâ narratione initia Sueticorum armorum complexus sum, quò commodius lectorem properantis hostis omniaque fatali celeritate abripientis, vestigiis insistentem, ad ipsam Clari Montis Obsidionem deducerem.

Acceptum itaque Sueci Regis mandatum Mellerus quantociùs exsequi statuerat: interea præcurrit Joannes, Veihardus Comes à Wrzesczewic, sive à Mellero explorandi loci Religiosorumque (quibus olim notus familiarisque fuit,) ad obsequium reducendorum causâ, sive quod magis sentio, ut victoriam Mellero præriperet, suamque operam Carolo Regi probaret, & aliquid de thesauris Ecclesiæ delibaret. Vicinia quoque tentandæ aggressionis commoditatem dedit: namque Velunii consederat, ac nonnullorũ ad Silesiæ limites præsidiorum cum imperio Præ- *Wrzesczevicius ad Clarum Montem copias admovet.*

Præfectum agebat. Octavo igitur die Novembris, noctis primâ vigiliâ (idque è Sueticæ militiæ usu, intempestivo accessu terrorem Oppidanis ad deditionem compellendis inferente,) ad radicem Clari Montis venit, tubarum clangore, timpanorum sonitu, rupto conticinio, Religiosis ad quietem compositis, novitate perculsis, mittit è vestigio, qui Regis Sueciæ nomine deditionem postularent; quam si denegarent, pertinacis repulsæ vindictam à quatuor millibus militum, Cœnobii mœnibus admovendis mox subituros, suorumque bonorum direptionem, vicorumque incendia spectaturos. Et nox ipsa, & hominis importunum, minaxque postulatum, Religiosorum penitùs aditum denegantium firmavit constantiam: Proinde Wrzesczevicius, quasi id reverentiæ Loci Sacri daret, rem commodius tractandam in crastinum differt. Albescente die, mittuntur duo ejusdem Instituti Patres, Benedictus Jaraczevius & Marcellinus Tomicius; mox ubi in conspectum Comitis venêre, causam adventûs sui exponunt; non absque *Noctu aggreditur.* *Deditionem urget.* *Religiosi aditum negant.* *Sequenti die à proposito deterrent.*

absque stupore hesterno strepitu armorum excitatos fuisse Patres, tantoque magis jam mirari: quòd vir Catholicus ad Locum Sacrum armatus accederet, cùm tamen hoc in Monte, antea sæpius Virginem Matrem supplici prece veneratus fuisset; & qui olim munificâ ac liberali manu eidem beneficia contulisset, eâdem jam, sed armatâ, templi, Cœnobiique fores pulsaret. Desisteret tandem à tam pertinaci proposito, permitteretque illos pacatè vivere, quos Dei solius amor, atque Religiosi Instituti ratio, à terrenis secretos curis, in ea conclusisset solitudine. Faceret id exoratus per fidem, quam profiteretur Catholicam, per Virginem Matrem, cui Mons Clarus dicatus esset, & quem perpetuo ejus servitio obstricti tuerentur clientes: Patronum se potiùs, Protectoremque exhiberet, & veteris illius, expertæque benevolentiæ, veluti è postliminio, revocatis hilararet argumentis.

Instat Wrzesczevicius variis rationibus.

Wrzesczevicius cùm suam paucis erga Locum Sacrum pietatem, virosque Religiosos merita commemorasset, nec præsentem

tem

tem rerum statum, temporumque vicissitudinem, aliquid de veteri ipsius affectu imminuisse affirmasset, subjunxit: Amicus non hostis venio, Monasterium meæ fidei permittite, ita jam suadente tempore, rerumque statu, optatam quietem & Religiosam securitatem habituri, Sacra supellex integra vobis servabitur, bona, fortunæque Cœnobii nullum detrimentum accipient, necessarios sumptus ipse mihi, vobisque providebo. Hac deditione evitabitis impendentes vobis calamitates, ab exercitu Melleri subsecuturas, hominis à vestrâ religione alieni, proindeque duriora imperaturi. Ferendum erit, quicquid ille jusserit, vos verò manebit serò spreti, damnatique consilii, cum perpetuo animi angore tristis recordatio.

Videbatur hæc fistula dulce cecinisse in auribus Obsessorum, ni auceps hesterno assultu, inopinatoque fragore, suspectum se fecisset; nec emolliri poterant animi, alieno periculo cauti, cùm plerosque inconstantia Suetici promissi, malaque fides elusisset:

proin-

Wrzeſczevicius pro hoſte decernitur.

proindeque Wrzeſczevicium hoſtis loco habendum decernunt, vimque, ſi inferretur, omnibus viribus propulſandam. Et ſiquidem aliqui è Nobilibus, cum Conjugibus, cariſque pignoribus Martis declinantes furorem ad Clarum Montem, tanquam ad aſylum ſe recepiſſent, dedit honori illorum *Auguſtinus Kordecius*, eximium ſuæ religionis decus, ſæpiúſque à nobis, non ſine elogio memorandus Cœnobii Moderator, ſuoque & Religioſorum nomine ſententiam exquiſivit, quid jam faciendum cenſerent. Illi collatis inter ſe capitibus, unanimes Stephani Zamoyſcii, Enſiferi Palatinatûs Siradienſis ore reſpondent: In una lance Patres Reverendi, hoſtium potentia, in altera veſter apparatus, viresque appendendæ ſunt, ſi Libra paritatem fecerit, veſtrûm jam erit, ſequi eam quam Deus inſpiraverit mentem. Rogati verò à vobis ſententiam promimus: Obedire hoſti nullâ urgente neceſſitate, ignaviæ, metûſque indicium eſt: pacem ignominioſâ deditione paciſci, probroſum. Nos, qui ultrò tutelæ Loci Sacri ſub

Kordecius Cœnobii Moderator, Nobilium de deditione ſententias exquirit.

Reſpondet Zomoyſcius, Enſifer Siradienſis.

ſub Glorioſiſſimæ Virginis Matris Dei præſidio, noſtram incolumitatem, caraque pignora credidimus, vobiſcum vivere, vobiſcum mori, decrevimus. Et animæ quidem noſtræ, ſi ſors ita tulerit, patientius ibunt ſub umbras, quàm ſi ſe hoſtili ſubderent ſervituti, & in æternam potiùs claudentur lumina noctem, ne polluta Sacra, contaminatam, oppreſſamque aſpiciant Religionem. Sed conſulet Deus Matris ſuæ honori, aderitque piis Catholicorum conatibus, retundet impetus hoſtium animosâ propugnantium defenſione.

Unanimi itaque conſenſu inſtructi, remittuntur ad Wrzeſczevicium Patres; implorant iteratò priſtinam illius benevolentiam, revocant in memoriam ſinceri affectûs conteſtationem, exaggerant iniquum hominis Catholici poſtulatum, ad extremum rogant, mitior hinc recederet, aut certè tantiſper deſiſteret, donec ſibi in tam arduo negotio, Theophili Bronovii conſtaret voluntas, à quo illi tanquam à Supremo ſui in Provincia Poloniæ Inſtituti Moderatore

Iteratò Patres implorant Wrzeſczevicium.

 tore

tore dependerent, ita jubente voto, obstrictâ obedientiâ. Nihil ad hæc Wrzesczevicius, solâque contumaciâ ferox, aut, inquit, iis, quas vobis ad Cœnobium perferendas do, Conditionibus, Clarum Montem dedatis; aut vicorum, bonorumque vestrorum incendia exspectate, utrumlibet eligite. Promunt reduces Nuntii oblatam, seu obtrusam potius sibi à Comite Chartam, pudendis inscriptam Conditionibus, quæ tales fuêre.

Sed is duras obtrudit conditiones.

¶. *Hodie, Nonâ Novembris Transactio facta,*

Cum Illustrissimo Domino Joanne Veihardo, *S.R.I.* Comite ab Wrzesczewic / Sac. Regiæ Majestatis Suecorum à Consiliis Status & Belli, Supremo Generali Vigiliarum Præfecto, & Colonello Equestris & Pedestris Legionis ex una: & Nomine Serenissimi ac Po-

tentissimi Principis ac Domini Dñi, Caroli Gustavi, Suecorum, Gotthorum, Vandalorumque, &c. Regis, Domini sui Clementissimi. Et ex altera parte, cum Admodum Reverendis, Priore, Suppriore, cæterisque Patribus, & toto Conventu Częstochoviensi, sive Clari Montis. Et ea Transactio ab utraque parte in omnibus clausulis & punctis, sacrosanctè observari fide sanctâ & inviolabili promissa.

1. *Clarus Mons*, unà cum Monasterio, fortalitiis, propugnaculis, se subdit in fidem Comitis Sac. Regiæ Majest. Suecorum, Sacramque Regiam Maje-statem

ſtatem pro Protectore ſuo clementiſſimo veneratur.

2. *Omnes Religioſi*, quotquot ſunt à primo ad ultimum, fide Sacerdotali & religiosâ jurant & promittunt Sacræ Regiæ Majeſtati Suecorum, Carolo Guſtavo, fidelitatem, reſpectum & obedientiam, renuntiantque omnibus confœderationibus, conſpirationibus, compromiſſionibus, tranſactionibus Regis Joannis, Caſimiri, ipſiuſque addictis.

3. *Conventus recipit* in Gubernatorem fortalitii & præſidii, prædictum Comitem à Wrzeſczewic / cui etiam ejuſque Officialibus Majoribus atque Minoribus, omnem fide-

fidelitatem & honeſtam cointelligentiam, reſpectum & reſpectivè obedientiam, quoad militaria pollicetur.

4. *Præſidium recipient*, numero militum conſtituto, nullumque majus modo, & nullo alio tempore, niſi extrema neceſſitate imponetur.

5. *Omnia tormenta*, pulveres, cæteraſque munitiones, quo nomine illæ appellentur, prædicto Comiti, cum certo ſpecificato Regeſtro extradentur, & ſub pœna vitæ, à Patribus nihil in hac materia celabitur, etiam omnia loca ſubterranea, quæ fortalitio nociva eſſent prædicto Comiti, aut

 ejus

ejus locum tenenti, monſtrabuntur, ſub eadem pœna.

6. *Milites omnes*, quos habent, ſive haidones, ſive alios, ſtatim licentiabunt; nullumque militem, ſive palàm, ſive clam, ſine expreſſa Comitis, aut ejus Locum tenentis licentiâ, in Monaſterio ſuſtentabunt, habebunt, aut alent.

7. *Abrenuntiant*, omnibus correſpondentiis cum inimicis *S. R. M.* Suecorum, ſive literis, ſive verbis, ſive quibuſcunque modis poteſt fieri: & ſacroſanctè pollicentur, omnia ea, quæ ipſis innotuerint in damnum *S. R. M.* Suecorum fieri, tempeſtivè revelare, & iis malis cum omni

omni ſua potentia, & firma fidetate, obviam ire.

8. *Et ultimo.* In gratitudinem prædictæ tranſactionis, prædicti Patres & Conventus promittunt, ſe prænominato Comiti & Generali Summam in tali tempore paratam exſolvere.

E Contra. Comes ſupranominatus promittit nomine Sereniſſimi & Potentiſſimi, Caroli Guſtavi, Suecorum, &c. Regis, Reverendis Patribus, totique Conventui, &c. &c. * ☞

☞ Perlectis Conditionibus indignabundi Patres, præciſâ omni morâ animosè reſpondent: Juramentum ad libitum unius hominis prophani fruſtrà à ſe exigi, quod Sacrilegii loco prorsùs ducerent, utpotè jam aliis adſtricti votis. Loca Supremi Numinis cul-

Rejiciunt conditiones Religioſi.

tui è præſcripto Catholicæ Romanæ Eccleſiæ deſervientia, pravè de Religione ſentientibus permittere, id verò impium cenſere. Intendat quantum velit minas Comes, nihil à viris extorquebit religioſis, nunquam ſuo obſecundaturis imperio. Tum verò accenſus iracundiâ Comes, proripit ſeſe, & vicino Templo Divæ Barbaræ ædificio, flammas injicit, citatoque curſu tormentorum, aliquot ictibus ipſum proſequentibus, Krepicium ſe confert: unde paucis abhinc diebus per ejus loci præſidiarios, bona Cœnobii invadit, ſpoliat, pecoribus pluſquam quadringentis abactis.

Indignatur Wrzeſczevicius & abit.

Monaſterii bona diripit.

Pauca de Wrzeſczevicii vitâ & moribus.

Atque hoc fuit præludium futuræ Obſidionis: juvat interea, aliquid de ipſo Præluſore noſſe. Wrzeſczevicio Natales Bohemia dedit; Nobilitati ſplendorem attulit S. Romani Imperii Comitatus, Adoleſcentiæ bonis literis excultæ acceſſit peregrinarum rerum notitia, Latinè eleganter, Germanicè, Italicè, Bohemicè, loquebatur; Mores compoſiti, ſed ingenium inquies, ambitioſum, & vanitate tumidum: quod ab ejus col-

colloquio, dum mecum juſſu Regis, certo in negotio conferret, patuit. Tandem conquiſito à diverſis creditoribus ære Salinarum Velicienſium fructûs in Polonia locaverat, Rege ſecuritatem præbente: indeque brevi amotus, ſeu invidiâ, ſeu æmulatione, non abſque tamen aliquâ injuriâ, quam ſibi inferri paſſim querebatur. Hinc orta indignatio, aulæ Polonæ odium; & cùm apud Auſtriacos nihil favoris haberet, hîc verò ſpe lucri excidiſſet, hoſtes Polonis quæſivit, Conſtantinopolim adiit, bellumque contra Polonos ſuaſit: atque poſt multas, hinc & inde curſitationes, cùm animus, neque vigiliis, neque quietibus ſedari poſſet, ultimò commune proſcriptorum aſylum acceſſit. Fortè ſubolfecerat jam in Suecia contra Polonos bellum adornari, proinde ſuam quoque operam Carolo Regi recenter inaugurato offert, eloquentia prompta, mores compti, ingenium mobile, in amicis parandis facilitas, in rebus gerendis dexteritas, nec non mutatoria religio, & ſuper omnia Ferdinandi Cæſaris indignatio, Polonorum con-

contemptus, homini pretium fecit, mox & Titulos auxit, quos illi Carolus juramento prævio, largè contulit, prout in capite illius, quam obtruserat, Transactionis, apparuit. Fuitque inter primos Ordinum Ductores irruptionis Sueticæ in Poloniam, & ejus fidei vicinæ Silesiæ munitiones concreditæ fuerunt, tantumque apud Carolum æstimationis acquisiverat, ut nomine Cæsareo Ablegato ejusdem Comiti de Petingen de Wrzesczevicio conquerenti, duriùs responderet, quod ex literis ejusdem Viennam transmissis suæque legationis relatione patuit. Verùm Sueticos favores brevi infelix exitus terminavit; quippè jam crescentibus Polonorum copiis, Krepicio, Bolesławiecio, Ostrzeszovio receptis, ille profugus Velunio excessit, hærebatque in Majori Polonia, tam diu; donec ibidem urbes ac oppida ex pacto Regis Seciæ, cum Brandeburgico inito, Derflingus ejusdem Copiarum Ductor reciperet, suumque militem induceret. Wrzesczevicius verò Posnaniâ, Costeno, Miedzyrzecio, cæterisque locis, detractis Sueticis

cis præsidiis, properabat, ut obsidentem Callissium Nobilitatem insperato accessu, vel opprimeret, vel dissiparet. Jamque ad vicum Lubers rippæ fluvii Vartæ assidentem, pervenerat, cùm nullas in vicinia Polonorum copias morari (sed falsò) ab exploratoribus didicisset, ab iisdem noctu irruentibus, ducibus Paulo & Stanislao, Chleboviis, (illis enim prima debetur gloria,) octingentorum strage acceptâ, ipse dum equo destitutus, pedes fluvium superare nititur, à rusticâ manu fuste cæsus, undisque immersus, suo exemplo docuit, quàm cautè sit cum Superis agendum; atque ad initium sequentis Mensis recurrebat anniversaria dies impetiti Clari Montis, tristi ipsius vindicata exitu.

Wrzesczevicius ad maturandam Clari Montis Obsidionem Mellerum urget.

Defuncti novissimæ invasionis metu Religiosi, alterum jam à Mellero exspectabant, quem Wrzesczevicius spretus, rejectusque ad maturandam Obsidionem accendebat. Ostendebat locum maximè opportunum, qui & vicinam Silesiam in Officio contineret, & Cracoviam commeantibus copiis, sum-

ſummam adferret commoditatem, alias à præſidio Polono non amoto vicinas regiones infeſtandas. Invitabat ſpe prædæ, ingentiſque theſauri, qui à tot annis coacervatur, inibi lateret, aurea, argentea, donaria, gemmas, pretioſam ſupellectilem, ſtatuas, ſigna affabrè facta, depingebat, quæ ſuis quondam delibaſſet oculis. Ibi eſſe profugorum Nobilium opulentiam, pleroſque abſentes, loco huic concredidiſſe facultates. Feſtinaret itaque accedere, & Regi ſingulare præſtiturus ſervitium, & militis egeſtatem luculento ære, prædaque recreaturus.

Kordecius à Vitembergio literas ſecuritatis petit.] Nec Mellerus in promovendis copiis ſegnior fuit, cujus adventantis monitus *Auguſtinus Kordecius*, Cœnobii Superior, miſerat Cracoviam ad Vitembergium Generalem Ducem, pro obtinendis literis aſſertitiis, & hic quidem prætextus legationis erat, cæterùm inſtructi fuêre Nuntii, qui ex Religioſis erant linguæ Germanicæ periti, ut interim explorarent, quæ mens Vitembergii de Cœnobio eſſet. Redeunt illi ſtatim poſt abitum Wrzeſczevicii, literas quidem ſecuritatis facilè

facilè ſe obtinuiſſe referunt, ſed tamdiu valituras, quoadùſque aliud de Cœnobio ſtatueret, ordinaretque. Ambiguum Vitembergii reſponſum, magnam ſollicitudinem injecit Kordecio, qui impendentis periculi admonet Patres, rogatque ſententias. Unanimis tunc erat Loci Sacri defendendi conſenſus, ſolâ Dei, Virginiſque Matris Patronæ fiduciâ mentes, animoſque Religioſorum accendente: *Ambiguas obtinet,*

Quapropter Kordecius ad propulſandam hoſtium vim, omnem ſuam vertit cogitationem, peditum numerum milite exercitatiori auget, in propugnaculis, vallo, tormenta ordine ſuo collocari imperat, ſtationes diſponit, tabernas inſtitorias per declivium montis exporrectas, ad Montis radicem pertingentes dirui, ſoloque æquari jubet, hoſtibus facilem acceſſum ubique intercipit, omnia denique non tantùm fortiſſimi militis, ſed etiam ſolertis Ducis exſequitur munia. *& ad propulſandos hoſtes ſe præparat.*

Et profectò reputanti mihi, unde tam repentina peritia homini provenerit, qui à *Ejuſdem Elogium.*

 tene-

teneriori ætate Cœnobio inclusus, non arma solum tractarit, sed ne strepitum illorum unquam audiverit, profectò miraculi loco censendum existimo: Numen Supremum ad Matris suæ preces elegisse infirma, ut confunderet fortia, atque ad deprimendam hostium superbiam, unum Monachum v ecrano opposuisse Duci. Unius profectò *Kordecii* vigilantiæ debetur, Montis Clari servati laus; quippe ille vigilias obire, insomnes ducere noctes, militesque quâ verbis hortari, quâ largitione accendere, magnitudine periculi dejectos Religiosorum animos, Nobiliumque erigere solebat; ad extremum solus obstitit, ne porta hostibus pateret, quam jam pavor & consternatio dedere sese volentium remotis obstaculis, penè aperuerat. Quæ ideo libentiùs commemoravi, ut memoriæ viri æquè pii, ac de religione sua optimè meriti, tanto fidentius consulerem, quanto ipse in Commentariis obsidionis religiosam professus modestiam, in suis laboribus referendis parcior est, & prout communis vitæ societati assuetus, ita commune cum soda-

libus ærumnarum & parti decoris voluit habere elogium.

Provisis à Kordecio rebus ad defensionem necessariis, auxilia deforis multorum implorata sunt; sed effectu nullo: namque Rex, cui libellum supplicem obtulerat, vacuus milite, qui ad hostem defecerat, Opolii degebat; & Stephanus Czarniecius potentiæ Suecorum impar, in Ducatu Severiensi consederat; nulla prorsus subsidia sperari poterant, in tanta, tamque subitâ Poloniæ conversione: Proinde & hinc Divinæ benignitatis non postremum capio argumentum; Deique Matris Loci sibi dedicati, singularem tutelam veneror, quæ contra omnem militiæ, bellantiumque morem: (quippe arces tam diu arcent hostem, quàm diu subsidia non submittantur) eam mentem, illosque spiritus, hominibus religiosis dederit, ut expertes auxiliorum, versâ ad alienum Dominum nobilitate, militiaque, hoste omnia possidente, occupanteque, solis è cœlo tantùm venturis confisi auxiliis, ausi fuerint Suecorum irritare poten-

Auxilia Kordecius implorat effectu nullo.

Divinæ providentiæ singulare argumentum.

 tiam,

tiam, eique obstaculum moliri.

Kordecius Wrzesczevicium literis compellat:

Atque ita omni spe subsidiorum evolutus *Kordecius*, scribit iterum Wrzesczevicio, si adhuc hominem præferocem aliquâ ratione flectere posset, mittitque imaginem Virginis Claromontanæ in cupro, è prototypo à perito artifice elaboratam, veluti sibi supplicantium advocatam. Sed ille jam talium contemptor, nihilo melior, molliorque redditus minas intentabat, vindictamque spirabat, & pro eodem Sacro Monte intercedentem Stanislaum Varsicium, Castellanum Cracoviensem acriter repulit, non absque aliquo contemptu.

Qui vindictam spirat.

¶. *Eat nunc*, inquit, *si placet, Dominus Castellanus*, & Locum illum Sacrum pro sua pietate defendat, en adest exercitus Regius. *☞ Neque hîc suo encomio fraudare vellem Varsicium, quem Clari Montis religiosa familia, munificum, agnoscit Patronum, in eaque calamitate potissimum, cùm & armenta, pecoraque mona-

Varsicii Castellani Cracoviensis erga Locum Sacrum pietas & munificentia.

nasterii centum Imperialibus ab hoste redempta, restituit: & loco periclitanti duodecim tormenta submisit. Erat quoque in exercitu Suetico, Tribunus Venceslaus Sadovius Bohemus, is in Majori Polonia bonorum Maximiliani Miaskovii Castellani Krivinensis, fructus locaverat, pòst Suecis irrumpentibus, illorum turmis sese immiscuit, adhæsitque tanto cum Polonorum odio, ut nemo illo genti infensior haberetur, tuendisque Sueci partibus addictior: Proinde aliquot equitum turmis impositus, altiorem militiæ gradum obtinuerat: hunc etsi summè Catholicis infensum, & maximè Clero (id enim literæ ipsius ad Vitembergium datæ, sed interceptæ docuerant) aggredi prece decrevit, *Kordecius*: (fortasse aliqua olim viri notitia fretus,) oratque per epistolam à Religiosis sui Monasterii delatam, quatenus belli molem à Loco Sacro averteret, daretque id Claritudini Montis Regum & Principum pietate notissimi, tum & vicinorum videlicet Hungarorum, Bohemorum, Moraviorum, Silesiorum pere-

Sadovium per nuncios Kordecius aggreditur.

Benignum referunt responsum.

grinationibus celeberrimi. Benigniori vultu, quàm ab homine Calviniano ſperari poterat, excepti religioſi, vocatoſque ſemotis arbitris tali conſilio inſtructos dimiſit: Non eſſe ſuæ poteſtatis belli mox ingruentis molem avertere, illud cavendum eſſe, ne Suecos contumaciâ ad ferociam provocarent, colloquium ſatiùs inſtituerent, deque conditionibus diſceptando tempus extraherent, donec loco, ſibique attemperatas obtinerent.

Sadovius obſidionem Clari Montis Mellero diſſuadet.

Cæterùm ferunt cum Mellero ſedulò præfidenterque egiſſe, objectoque periculo exiſtimationis ſuaſiſſe, ut alium quempiam expeditioni huic præficeret: namque Cœnobio à Monachorum pavido, invalidoque grege inſeſſo, expugnato, quam laudis acceſſionem? quale militaris peritiæ decus obventurum ſibi putaret? Quod ſi verò illum pertinax obſeſſorum defenſio, re infectâ abſcedere coëgerit, æternum probrum, convitiumque relaturum: Mellerum, tot palmarum Ducem, turpiter à Monachis rejectum loco ceſſiſſe.

Sed jam fatalem accepturus ignominiam pro-

Mellerus contra pergit ſuis cum copiis.

properabat *Mellerus*, quem Velunio moviſſe, trepidus inde accurrens ejuſdem Religioſæ familiæ ſodalis Hyacinthus Rudnicius nuntiat, & magno quidem cum apparatu, numeroſoque milite incedentem. Non pauciores novem millibus fuiſſe conſtat:

Quantæ illæ.

junxerant namque ſuas copias Comes Wrzeſczevicius, Dux Haſſiæ, & Sadovius, inſuper & duæ Polonorum legiones aderant, ſuis cum Chiliarchis, Severino Kalinio, & Joanne Zbrożek. Ad famam adventantis Melleri, Generalis Vicarii, novus iterum metus exoritur in Claro Monte,

Exterrentur Religioſi.

auctus à Priore Cœnobii Velunenſis hoſtium vires extollente, ſuadenteque Religioſis, ut tantæ impares potentiæ, ſubſidiis præſertim nunquam comparentibus, ultimo obviarent excidio, tutiùs quibuſvis conditionibus tranſacturi.

Quos animat Kordecius.

Obſtitit *Kordecius*, vitamque potiùs honori Dei Matris devovendam eſſe cenſuit, quàm hoſtis ſe credere arbitrio, Divûm, hominumque contemptoris. Nec cunctatus die Novembris decimâ octavâ univerſam Reli-

Et Cœlestem opem implorat.

Religiosam familiam, omnesque loci incolas humanis destitutos auxiliis, Cœlites in subsidium humili prece advocari jubet, Patronamque Clari Montis Dei Matrem implorare: ad cujus aram Sacris operatus, omnibus summâ cum pietate adstantibus, mox intra muros & propugnacula institutâ supplicatione, Augustissimum *Christi Domini Corpus* circumducit, pòst partitis inter milites stationibus, tormenta, sclopos majores, fistulas ferreas, globos, pulverem bellicum, arma precibus desuper è præscripto Ecclesiæ recitatis, aquâ lustrali aspergit, præsidiarios animat, ipse ubique operi intentus. Venit tandem ejusdem diei horâ, post meridiem secundâ *Mellerus*, admovetque exercitum ad radices Montis Clari: & quandoquidem secutura est acerrima oppugnatio, succinctè *Loci* situm, originem, antiquitatemque præmittam.

Mellerus admovet exercitum.

Clari Montis origo, situs, & Imago à Divo Lucâ picta, describitur.

CLARUS MONS Częstochoviensis, ab Imagine *Deiparæ à Divo Luca* depicta, ibidemque deposita, ac propterea à populorum peregrinantium frequentiâ, concursuque

que Claritudinem & Cognomen accepit. Aliud Częstochoviæ Oppidi vicinia, inde mediæ horæ itinere distantis dedit, prout in Brabantiâ Virgo Asperi Collis, Sichemiensis etiam titulum obtinuit, à Sichemio Oppido illi adjacente, quo in loco Dei Matrem mira prodentem olim mihi venerari contigit, adesseque cùm è veteri Sacrario ad templum ab Archiduce AUSTRIÆ Alberto constructum inter Belgii opera elegantissimum deportaretur. Hanc verò Imaginem à D. Lucâ depictam fuisse, unanimis Græcorum, sæculorumque consensus tradidit, atque jam ætate *Virginis* adultiore, ipsaque vivente, quod pictura testatur, eaque formâ, corporisque compositione, ac viventis similitudine, ut uter meliùs ipsius effigiem, an Epiphanius apud Nicephorum calamo delineaverit, an pictor Antiochenus, D. Lucas, vivis coloribus expresserit, ambiguum sit judicium.

Nicephorus lib. 15. cap. 14.

Nicephorus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 21.

Tabula cui Imago superinducta cernitur, Cupressina est, Mensamque fuisse Virginis, quod testatur vetus inscriptio Domui Lauretanæ olim imposita. ¶. *Men-*

ſam autem Virginis habet Czeſtochovia in Poloniâ. Altitudo Tabulæ ad duos cubitos & ſeſquipalmum protenditur, latitudo unius cubiti & trium palmorum ſpatium occupat, craſſities duos obverſos articulos medii digiti continet.

IMAGO hæc Helenæ AUGUSTÆ Hieroſolymis primùm innotuit, deſtinata Conſtantinopolim, ſed mors Imperatricis irritum propoſitum fecit, pòſt ab Eudoxiâ Hieroſolymis, Antiochiam deportata, tranſmiſſaque, inde Pulcheriæ Theodoſii Imperatoris Sorori, collocataque Conſtantinopoli, in templo ab eadem magnificè extructo τῶν ὁδηγῶν, ſeu viæ Ducum à Græcis Scriptoribus nuncupato, eorumque teſtimonio magnis in Urbe præpotenti claruit miraculis.

Obtigit tandem Carolo Magno, per manus Nicephori, unà cum celebri ſacrarum reliquiarum theſauro, quem Aquiſgranenſis Eccleſia ſumma cum pietate aſſervat. Is verò *Leoni Ruſſiæ* Monarchæ, quem contra Saracenos fortiſſimum, fidiſſimumque ſocium ar-

armorum habuit, ſibique ideo percarum, obnixè petenti, donavit, non abſque tamen doloris ſenſu, quod tam præſtanti Imagine privaretur. Lætus in munere Ruſſiæ DUX, deportatam in Arce Belzenſi munitiſſima deponit, ritûſque Græci Sacerdotibus curam, cuſtodiamque Sacræ Imaginis committit, manſitque ſub eâ curâ annis quingentis. Redactæ tandem à *Caſimiro* Magno, Poloniæ Rege, in Provinciam Ruſſiæ, *Ludovicus* Hungariæ & Poloniæ Rex, ejus ex Sorore Nepos, Vladiſlaum Opolienſem Ducem, Cognatum ſuum, Præfectum imponit: Is repertam in Arce Belzenſi Sacram Effigiem ex obſcuriore loco, in amœniorem, ſuoque vicinum domicilio transfert, inque dies prodigiis clareſcentem, Patronam Virginem penè à Tartaris oppreſſus experitur, illatamque ab eorum ſagittâ gutturi imaginis, ulciſcitur contumeliam, ingenti hoſtium clade. Tandem è Ruſſiâ tam carum pignus avehit. Opolii in Urbe Ducatûs ſui primaria feliciter deponendum. Nec longa jam reſtabat via, MONS

ſuperandus erat, in cujus vertice, veluti humi defixa, conſtitêre jumenta, nec currus dimoveri potuit; ita Divino curſum ſiſtente oraculo, pergratamque *Virgini Matri* commonſtrante *Sedem.* Atque DUX voluntatis Divinæ, quam ſupplici conſuluerat prece conſcius, admonituſque, paret cœleſti mandato, *Imaginem* deponit: TEMPLUM auguſtâ & eleganti formâ extrui imperat, Cœnobium amplis dotatum reditibus addit, inducitque ex Hungaria evocatos Religioſos *Ordinis S. Pauli* Eremitæ primi, DEI Matris honori, cultuique perpetuo deſervituros.

Anno Domini 1382 Augusto Menſe.

TEMPLO ad latus Septentrionale ædem admovit, non ineleganti eductam artificio *Vladiſlaus* JAGELLO, Poloniæ Rex, ad quam temporis ſucceſſu illata Imago, nunc in Arâ ex hebeno artificiosè ſtructâ, ſtatuiſque argenteis juſtæ magnitudinis inſertis ſplendidâ, non ſine pavore quodam venerabili conſpicitur. Sed quia ædes accurrentium populorum multitudinem haud capere poterat, *Matthias Lubienius*, Gneſnenſis Archie-

chie-

chiepiſcopus, Regni Primas, Vir olim in Eccleſia & Republica Magnus, ampliorem ſumptu magnifico effecit, hocque ſuæ pietatis inſigne reliquit monumentum. Atque ita loco crevit celebritas, prout retulimus, ad cujus venerationem longiſſimæ multarum nationum inſtitutæ fuerunt peregrinationes, duratque hucuſque accurrentium populorum frequentia, propitium ope Virginis implorans Deum.

MONS totus rupeus eſt, non nimium duro ſilice, petrâque conſtans, ſed è candicante lapide, ædificiis, & cæmento facilem præbente materiam, altitudine ſat conſpicuus, quippe ad tria Germanica milliaria protenſa terrarum ſpatia oculos ſubjicit, non prærupto, difficilique aſcenſu moleſtus, ſed molliter in ſubjectam declinans vallem. Ad Orientem lætiſſimam paſcuis, agris, aquis planiciem, Oppidumque Częſtochova reſpicit: ad Meridiem planiore via, ſed poſtmodum leniter ſubſidente, ducit ad Templum D. Barbaræ, tyronumque Religioſorum Domum, tribus inde ſtadiis diſtan-

 tem.

tem. A Septentrione & Occidente, assurgunt colles veluti Sacrum MONTEM venerabundi, in quos ille supremum obtinet dominium.

Verticis amplitudo è Templo justæ magnitudinis, Cœnobio centum & amplius Religiosorum capaci, cæterisque annexis ædificiis æstimari potest.

A Principio, ut omnium rerum, parva sunt initia, exiguum sepimentum, templum

Anno Domini 1430. claustrumque cinxerat, proinde prædonum, Hussitarumque, per ea tempora debachantium licentiæ patuit. Hi namque spe prædæ, quam animo præconceperant, è finitimâ Silesiâ erumpentes, templum, cœnobiumque diripiunt, incendunt, Religiosis partim cæsis, partim fugatis, Imaginem auro, gemmis, à LEONE Russiæ Duce exornatam spoliant; demùm inter cachinnos & ludibria, impurissimi homines currui imponunt, ad triaque stadia avehunt, ibi verò Tabula immobilis currum jumentaque stitit, nullo impetu equorum, impulsuque amplius dimovenda. Commovet bilem insana rabies, &

& ¶. quid nobis, inquiunt, cum futili ligno? ☞ tandem è curru dejiciunt, conculcant, raptant, fædeque conspurcant, ad extremum in tres dissolutam partes terræ allidunt, & unus projectæ audaciæ scurra, binos gladii ictus faciei infligit, duasque reliquit cicatrices, nunquam à peritissimo etiam artifice obducendas. Et ille quidem unà cum socio idem audente, repentino rigore concretam manum, oculosque, qui tale spectaverant facinus, amisit, mox & vitam: cæteri grassatores impii, mirum dictu! subitâ peste, cùm nullibi apparuisset afflati, pecorum adinstar concidebant sparsim per campos cadaveribus provolutis.

Tali edocti periculo Religiosi, altiori muro templum cœnobiumque circumdant, & tantò quidem postmodùm accuratius, quantò pia liberalitate *Vladislai Quarti*, Poloniæ Regis aucti, etiam propugnaculis munivêre.

Certè è præscripto Machinatoris bellici firmandi loci, *Vladislaus* Author fuit, sive Silesiæ

leſiæ aliquando non quieturæ limites obſervaret, præſcinderetque latrociniis, ac incurſionibus licentiam, ſive præviſo à Superis, quod imminebat ab illius hæreditario hoſte, periculo, non evulgato tamen rerum futurarum arcano, hanc illi mentem injecêre, ut loci Sacri ſecuritati in omnem eventum, quiſquis ille foret, proſpiceret, & proſpexit: Namque præalta mœnia, terrâque ad eludendas pilarum emiſſiones latè oppleta, Templum, Cœnobiumque quatuor propugnaculis inde prominentibus ſeque mutua ope proſpectantibus, ac prælarga circum foſſa contuentur. Porta unica Meridiem reſpicit. A vicinis collibus nihil periculi, namque iis altitudo MONTIS imperat, tormentorum ubique patentes ictibus. Et hic erat tunc loci Sacri ſtatus, ſed multò operoſius jam muniendum properant Religioſi, munificentiâ Regis *Joannis Caſimiri*, opera externa promovente. Et decem antequàm hæc ſcriberemus Menſibus, erigi cœptum eſt ad Orientem *Propugnaculum*, paulùm à mœnibus abjunctum, tuendoque *Dei-*

paræ

paræ Sacrario objectum, ad quod erigendum in ipſis initiis ſuæ Majeſtates admovêre manum. Primuſque *Rex*, pio erga VIRGINEM Matrem affectu, *cum Regina* præivit, terram & rudera ſarculis egerendo, ſimul ſecuti Principem *Aulici*, *Senatus*, & *Primores quique*, & *Gyneceum*, unà *cum Matronis Nobilibus*, ſuas quoque commodavit manus, comparuêre & alii certatim dies integros operi inſudantes.

Sed me jam Sacro MONTI imminens revocat *Mellerus*, videbatur ille conſilio prius, quàm armis experiri, datis ad Religioſos literis, perque unum ex agreſtibus, delatis, niſi jam infeſtus arma explicuiſſet, occupato pago Częſtochowka radici Montis adhærente, ibidemque prædio Monaſterii direpto, ejuſdemque à rationibus famulo Joanne Konopſcio trucidato, captatis, inſeſſiſque locis inſtituendæ oppugnationi perquàm opportunis, ita ut neceſſe habuerit *Kordecius*, palantes per agros ſitum, poſitûſque locorum & munimentorum explorantes, tormentis depellere,

Mellerus ſcribit ad Religioſos.

ante-

antequàm literis reſponderet. Et illæ quidem in eam ſcriptæ erant ſententiam:

Literæ ipſius. ¶. *Cùm S. R. M. Sueciæ,* Dominus meus clementiſſimus de rebellium quorundam in Majori Polonia conatibus certos accepiſſet nuntios, quod ſua Majeſtas non modò ad illos compeſcendos, ſed & porrò ad limitaneas arces adverſus quamlibet invaſionem aliquo præſidio firmandas, me eò cum juſto exercitu mittere fuerit coactus. Quando igitur ad hos limites progreſſus ſum, jamque & Monaſterio veſtro exercitus imminet, cui ut conveniens præſidium imponatur, ſerium eſt S. R. M. mandatum, veſtro ex com-

commodo fore putavi, ſi vos ejus rei gratiâ primùm ac maturè commonefaciam: Quod dum facio, vos ſeriò adhortor: ut ſine ulteriori circumductione, aliquos cum libera poteſtate mittatis, de quantitate præſidii, aliiſque ad hanc rem pertinentibus mecum deliberaturos. Facietis hoc ipſo rem S. R. M. gratam, quæ non intermittet vos ac Monaſterium veſtrum omni Regia clementia fovere ac tueri: nec enim aliter vobis perſuadeatis, quam Sacra veſtra omnino fore intacta, neque devotionibus veſtris ullum impedimentum, multo minùs contumeliam illatum iri; ſiquidem nihil

 aliud,

aliud, quàm tutela Regni & securitas finium quæritur.

Cæterùm, si totâ jam Minore, Majoreque Poloniâ, in potestatem S. R. M. redactâ, desperatisque omnibus auxiliis, obsistere tamen ulteriùs præsumatis, non aliter potero, quàm præsenti armorum remedio vos & cum exustione totius Monasterii ad recens compellere obsequium. Id ne fiat, vestrûm erit fato non resistere, sed honestâ deditione Serenissimi Regis nostri clementiam amplecti. ✠

NON sperabat tam promptum, quod tormento peregerant Salutationis Officium, Mellerus: Proinde inclinato jam in vesperam die, mittit Sueco stipendiarios Polo-

Cessationem armorum

Polonos, Golynium ex legione Zbroscii, Equestris turmæ Præfectum & ejus commilitonem Alexandrum Paprocium, addito illis suo ex Sorore nepote, qui armorum cessationem postularent. Id facilè Mellerum obtenturum respondet *Kordecius*, si ille suas copias ex hac vicinia, prædioque retraxerit. Id verò quandoquidem uberiori hoc anno proveniente segete, abunde hostem annonâ, commeatuque instruere poterat, nocte candentibus globis incensum, flammâ cum horreis absumpsit, non sine Suecorum aliqua clade, qui inter ædificia stationem cæperant.

per duos Equites Polonos petit.

Negant Religiosi, nî prius copias amoveret, & horrea incendunt.

Et duo illi Poloni à Mellero ablegati sanctè spoponderunt, nihil à se, suisque commilitonibus Claro Monti metuendum esse, manereque apud eos Loci Sacri reverentiam, quam licet Suecorum partibus adhæsissent, nunquam tamen exuissent. Sed hæc tam Sancta sponsio, haud illos à turpi absolvit nota: etsi etenim arma ad aggressionem non strinxerint, oppugnarunt tamen Clarum Montem multoties à Mellero submissi, tur-

Ablegatorum Polonorum erga Locum Sacrum reverentia.

turpem suadendo, nec sine minis deditionem.

19. Novemb. *Mellerus Stationes disponit.* At Mellerus altero die lustratis circumquaque campis, exploratoque locorum situ copias partitur. Ad Meridiem Hassiæ Ducem & Sadovium collocat, insidereque jubet Templum D. Barbaræ dedicatum, huicque annexam tyronum Religiosorum domum peramplam satis, commodamque. Ipse milite, bellicoque apparatu validior intra Orientem & Septentrionem in pago **Czestochowka** radici Montis contiguo stationem capit, opportunitate aggressionis inde æstimata: quippe & tormentis admovendis, muroque, quem debiliorem fortè hac ex parte rebatur, quatiendo, facilior dabatur accessus, & Cœnobium ibidem in longum porrectum, scandulis ligneis tectum, flammæ obnoxium erat, ab igneis globis momento erupturæ. Jam verò ædificia pagi, trabes ad suggestus tormentarios erigendos, fossas humo egesta continendas, cæteraque opera militaria suppeditatura prævidebat, tantò majori temporis lucro, quod non à lon-

longinquo peterentur. Atque ut ocius metum hosti incuteret, dispositis tantummodò stationibus, nullis adhæc erectis appropinquationum operibus, tormenta, propugnacula versùs dirigi jubet, mox & impetit magno conatu, sed effectu nullo. *Tormentis Clarum Montem impetit:* Fælicius ab obsessis insonuere machinæ certam inferentes stragem, pluribus exanimatis, cùm vel incedentium agmina globis certa collineatione explosis perrumperent, vel transvolantes pilæ parietinis perterrebratis, intra casas latentes conficerent. *Respondent Obsessi cum strage hostium.* Inter exanimatos unum Polonum Equitem fuisse comperio, is nimiâ cupidine habendi ardens, Clari Montis opes, commilitonibus suis mox prædæ futuras, cum quadam gestientis animi alacritate ostendebat, quibus temeritatem dicti, hominisque impietatem, super hoc Catholici aversantibus, respondet: *Eques Polonus, Loci Sacri contemptor, pœnas luit.*

¶. *Et cur Sacra diripere non liceret, præsertim nobis, qui militiæ Sueticæ nomen dedimus,* (quasi verò ab hac Magistrâ Sacrilegia, Dei hominumque contemptus

ptus proveniret,) hæcque audacius Sociis regerentem, à Sanctiori scholâ superveniens Magister globus capiti, sed avulso aliam impressit doctrinam; Religiose cum Superis agendum esse.

Malè habebant Claromontanos ædificia pagi Czestochowka, quæ non solùm latebras hosti præbebant, sed altiores domos Monti viciniores (nam pleræque hospitiis peregrinantium inserviebant) ad tormentarios suggestus destinari præsenserant, subductasque machinas eminentiori ex loco majore obsessorum damno fulminaturas. Eapropter *Kordecius*, qui ut Cœnobii, ita & ejusdem bonorum Superior erat, non ignarus ab incolis in suprema ædium contignatione, subque ipso tecto, fœnum, paleasque asservari, inumbrante vesperâ candentes globos è tormentis explodi imperat, repenteque denso intermicans fumo flamma, tecta primùm, deinde ædes corripit, hostibus suâ in statione talium securis, quos accrescentis celeritas ignis, fætorque ingens densioris fumi, qualem paleæ, fœnumque succensum excitare solet,

Kordecius candentibus globis pagum succendi jubet.

solet, penè interceperat, ita ut pavidi, inermesque, atque seminudi, sese inde ejicerent, reboantibus interim tormentis, stragemque inferentibus, quam hinc & inde cursitantes evitare vix poterant.

Cum aliqua clade hostium.

In hoc ab utrinque armorum fervore, mittit *Mellerus*; (quod sæpius in hac Obsidione fecit,) unum Themistoclis Deum, suasionem videlicet, per *Severinum Kalinium*, Præfectum Bracławiensem, Equestris legionis Chiliarcham perferendum, qui obsessos hortaretur, ut se, suaque, fidei Regis Sueciæ permitterent, cujus universa Polonia protectionem, patrociniumque recepisset: tum verò in laudes Caroli effusus, deprædicabat Martialem Principis genium, summam bellandi peritiam, clementiam Regiam, benignitatemque, eamque Majestatem, quâ salvâ omnibus se affabilem, juxta ac venerandum præberet. Hoc illi ajebat unicum esse curæ, Poloniam in pristinum reponere statum, exterorum periculis obnoxiam, tueri, neve finitimorum excursionibus pateret, Częstochoviam Silesiæ vicinam,

Severinus Kalinius deditionem suadet.

H mu-

munire, eidemque præsidium imponere, decrevisse. Viderent itaque Patres, an non satiùs, æquiúsque esset, mandato Clementissimi Regis obtemperare, quàm contumaciâ, ferro, flammaque vindicandâ, indignationem justam accersere. Hæc compluribus suadenti *Kalinio* leniter responsum est: Mox duo Patres ablegantur, ad Mellerum uberiorem daturi declarationem. Ac inprimis dicunt: edicto Regis Sueciæ immunitates, libertatemque Ecclesiarum ac Religionis integritatem comprehendi, jam sibi mirum videri, cur Mellerus ad Locum Sacrum infestus accesserit, nullâ præsertim lacessitus injuriâ, præsidium impositurus, eamque solam rationem Religiosos à tractando negotio excludere, tamdiuque se sciret ab ingressu Cœnobii prohibendum, donec ejusdem Moderatori de Regis voluntate scripto exaratâ constiterint. Hoc responso, pluribus modestè tamen exposito, Mellerus bilis effervescentis indicio non celavit indignationem, questusque est, se insolito Monachorum de Regio mandato examini

Ad Mellerum duo Religiosi ablegantur.

Dato Casimiriæ ad Cracoviam, 30. Septemb. 1655.

Mandatum Regis Sueciæ, de obsidendo Claro Monte requirunt.

mini subjici, posthaberique auctoritatem Generalis Vicarii, tot obsequiis, belloque præclarè gestis emeritam: postmodum tamen aliquanto placatior modestiâ Patrum, apud se agentium redditus, *Kuklinovium* turmæ Equestris præfectum adire Kordecium jubet, unáque Religiosis exhibere mandatum Regium literis ejusdem sigillo, chyrographoque munitis comprehensum, quibus illi committit, ut præsidiis Bolesłaviam, Vielunium, Krepicium, Częstochoviam, firmaret.

Exhibetur Mandatum Regium per Kuklinovium 20. Novemb.

Conjecerat oculos *Rex* Sueciæ in vicinam Silesiam fortasse, ut pacatis tempestivè prout sperabat rebus, opportunitatem captaret, unde gravior *Cæsari*, Austriacæque Domui incumberet, & recenti potentiâ auctum eò collimasse arcanæ docuêre literæ sæpius interceptæ, quin & Principum fœdere Suecis colligatorum applausus, & exquisitæ gratulationes moverant suspicionem, præcipuè Galliæ Regis Poloniæ semper olim amici minæ, ad Aulam Cæsaream, ut ferebatur, missæ, si quid inde auxilii, Polonis con-

Munitiones vicinas Silesiæ cur Rex Sueciæ firmare jusserit.

contra Suecos, aut mitteretur, aut concederetur. Et Hæretici in Silesia, unde numerum copiarum Carolus non mediocriter auxerat, apertis gestientis animi signis Sueco favebant, tacitè verò summo cum desiderio expectabant ultorem templorum, quæ *Cæsar* amotis Novi EUANGELII præconibus, pristinis Dominis, veterique religioni restituerat.

Poloni in Silesiam profugi pessimè tractati.

Et profugi Poloni, quantis ibidem affecti contumeliis, quibus pressi, divexatique exactionibus, quibus cavillis, scommatibus, publicè appetiti fuerint, notum est, frustra hospitales invocantes Deos, quos in Polonia exules Silesii benigniores habuêre. Auditæ & Suecorum triumphantium voces, Germaniæ bellum interminantes, fereb aturque nubem ingentem apparatu bellico rarò hactenus viso gravidam, futuro apparituram Vere, quæ tonitrua, fulgura, ignes promitteret, certè non Constantinopoli, aut in Moschoviâ, sed alibi spargendos. Nec meliora sperare jubebat spretum pacis inter duos Reges conficiendæ *Cæsaris* arbitrium,

trium, ipsiusque Legatus contemptim habitus, & post longas moras, perque tot terrarum divortia tractus, tandem leviter expeditus.

Scio ego hæc aliter à Suecis narrari, & pleraque contraria inserta Memoriali Electori Moguntino à Suetico Ministro porrecto leguntur, quæ ad odium in Polonos concitandum, justam verò armorum causam afferendam pertinent: verùm si seposito partium affectu, ad veritatis lancem perveniant, nullum pondus, nullamque sunt habitura æstimationem. Patet, patuitque Orbi, Poloniæ innocentia, quæ aliquando injustæ aggressionis convincet aliena appetentes.

Non mirum itaque videri debet, si *Cæsar* armorum in confiniis strepentium sonitu excitatus, eaque locorum vicinorum firmâ insessione præmonitus, aliquid suspicionis habuerit. A Rege Poloniæ in Ducatum Opoliensem secedente, nullus metus oriri poterat: namque exarmatus à suis desertus, vix centum virorum comitatu stipatus, bre-

vi interjectâ morâ, iterum ad suum redierat Regnum, nec exules Poloni, tam validi, numerosique habebantur, qui negotium facessere possent, observantibus eorum conatus Silesiis, prodituris procul dubio Sueco, præpedituris que, si quid molirentur. Quod verò postmodum inde prodierint, jam Patriæ amor, Regis obsequium, debitaque fidelitas, & Nobilitas ab hoste oppressa, hanc pusillam evocabat manum. Hospitii illis jus à Cæsare denegari non poterat, stantibus cum Rege Bohemiæ & Poloniæ veteribus pactis. Integra armatorum agmina, prout Rex Sueciæ scribit in suis ad Cæsarem literis,
Datis Strasburgi Borussorum 4. Junii 1656.
in illius Dominiis receptum habuisse, hoc verò non constat: integra agmina è Silesiâ in subsidium Sueci ivisse, prædas è Poloniâ abactas, ibidem depositas, distractasque, Duces Silesios insultantes Polonis, Sueticis victoriis applausum dedisse, hoc verò constat. Et hæc exilia Polonorum in Dominiis Cæsaris, ægrè tulisse Carolum ex iisdem literis patuit, cum adjicit. ¶. *Ut non sit mirum,* si

si nunc ad Silesiæ fines infesta arma concurrant & strepant. Quasi diceret mox eo prætextu contra Cæsarem inferenda. Providere itaque vicinæ Silesiæ locis jussit, inde quasi Polonorum exilia ulturus, quà munitione, quà præsidiis.

Id verò quandoquidem Mellerus literis Regiis prolatis, Religiosis significare jusserat, illi acceptis à *Kuklinovio*, quoniam non postremæ essent considerationis, diesque instaret Præsentatæ in templo Hierosolymitano, *Virgini* Sacer, responsum distulerunt. Et huic quidem sanctius colendo Patres incubuêre, propitiam invocantes apud Filium *Patronam*, cujus *Sacratissimum Corpus*, intra propugnacula, mœniaque circumtulêre. Ita postmodùm ritè provocatis Sacris *Kordecius*, datâ ad Mellerum epistolâ, in hunc disseruit modum: Sciret ille non esse Instituti Monastici Reges eligere, sed electos à Regni Proceribus venerari, cui igitur illi suffragium dederint, ei & se, suaque omnia & Locum Sacrum Regum patrocinio, devotioneque Cla-

Religiosi diem Præsentationis Beatæ Virginis summa cum pietate colunt.

Respondet Kordecius Mellero, ambiguum Regis Sueciæ mandatum asserit.

Clarum, humiles dedituros, non ab armata coactos manu, (namque modestia Religiosa, viriumque imbecillitas Regibus contraniti vetat,) sed à piâ observantiâ commonitos. Vidisse se mandatum Regis Sueciæ, & quoniam ad arcendam insolentiam, justum haberent præsidium, Monasterium verò unà cum Templo, antiquitus *Clari Montis* Cognomen obtineat; Oppidum verò Czestochowa / ad se nullatenus pertineret, proinde magnam sibi mandatum Regium ambiguitatem peperisse, quòd Częstochoviam, munitioni, præsidioque non Clarum Montem designaret. Orare itaque supplices, relinqueret pacatum Monasterium & Templum *Deo* ejusque *Matri Sanctissimæ* Sacrum, nec Divinum interturbaret cultum, Religiosamque pro Regis salute exorantium pietatem.

Ægrè fert responsum Mellerus.

Eludi se Mellerus interpretatione REGII mandati intellexit, didicerat enim probè Częstochoviæ nomine Clarum Montem vulgò appellari, qui situ loci propugnaculis, Oppido exiguo, nullaque opportunitate commendato potior esset, proinde commotior, tormenta expediri jubet. Quinque suggestus tormentarios, diversis in locis imposuerat Mellerus: Primum Cœnobio haud longè admoverat, collocatis machinis, quæ igneos ejaculabantur globos: Alterum paulùm retrorsùm, pagum versùs Czestochowká, quatuor tormentis munitum: Tertium ampliorem omnibus, ad latus horum duorum Septentrionalibus propugnaculis imminentem erexerat, projecto in cuspidem angulo corbibus vimineis, terrâ infarcitis munito, quos inter corbes, octo tormenta obsidionalia disposuerat, utque firmius infixi insisterent, rigore hyemis usus, aquâ crebrò perfundi jussit, quæ gelu concreto, duratoque in tantum vimina, terramque solidaverat, ut & globi ab obsessis emissi resilirent, & obsidione solutâ non aliter inde moveri potuerint, nisi igne luculenter circumquaque structo, glacies eliquesceret. Quartum pari modo munitum Occidentali propugnaculo opposuerat. Quintus ad Meridiem erectus templo qua-

Suggestus tormentarios erigit.

quatiendo, inque ejuſdem tecta & annexarum Sacrarum ædium flammas ſpargendo, permultùm obſeſſis negotii, incommodique attulit.

Tribus è locis Monaſterium impetit nullo fructu.

Tribus itaque è locis, à Septentrione videlicet & Meridie intonuêre tormenta, nullo muri, propugnaculorumque damno, aliquo tectorum, non tamen enormi: namque globi, aut à ſcopo aberrantes, aut prætervolantes Cœnobium, aut à tegulis reſilientes, parietibuſque leviter alliſi, caſſo effectu decidentes, aut iis perterrebratis aliò avolantes, ab Obſeſſis Divinam adorantibus providentiam, ſpectabantur: Mellero vehementer anxio, quod nulla mœniorum ſtrages edita eſſet, quæ ſubituris ſterneret viam, aditumque aperiret, quamvis tribus continenter diebus Cœnobium ac propugnacula crebrâ emiſſione pilarum impetiiſſet. Nec pepercit noctibus egerendis foſſis, quantum contumax rupes permittebat, acceſſibuſque accelerandis intentior, non intermiſſâ interea frequenti ad infeſtandos obſeſſos tormentorum fulminatione. Atque

que iis, etſi conſtans, indefeſſaque hoſtes excipiendi eſſet alacritas, aliquid tamen ſollicitudinis incuſsêre candentes globi, igneſque ſparſi. Namque Mellerus ſtatuerat Monaſterium, templumque incendere, eoque unico modo Monachorum expugnare pervicaciam. Nec omiſit, ſiquidem ex utroque latere & noctibus præſertim ad terrorem augendum, igneas magna in copia emittebat pilas, & præſertim eas, quæ à Malogranato nomen habent, quod quemadmodum illud è numeroſis conſtaret acinis, ita hæ ferreis globis quandoque & lapidibus infarcitæ, igne concepto, accenſoque, diſſilientes, tecta, muroſque diffringerent, flammam excitarent, adferentque inevitabilem perniciem. Mira profectò res, quæque non ſine ope Divinæ dexteræ evenerit; tanta quippe globorum, ignes attemperatè ferentium, ſparſarumque flammarum multitudo, nec Templo, nec Monaſterio noxa fuit. Agnovêre *Divæ Matris* Patrocinium, adoravêreque Religioſi, quæ ſola cladem hanc avertit, igneſque extinxit: etſi etenim hinc &

Incendere Monaſterium vult.

Mira Dei providentia defendit Cœnobium.

inde ſuper tecta diſpoſiti excubarent ſparteoli, qui impetus globorum obſervarent, obſervatoſque tignis hærentes, aut indicio fumi ſeſe prodentes cunctis dejicerent, aut micantem ignem madidis opprimerent velis, tamen in tanta lignorum ſtrue tectis præſertim Cœnobii ligneis, aridam, ſiccamque materiam flammæ haud obtemperaſſe, prodigii loco cenſendum eſt.

Nec abſque miraculo globorum reſilientium.

Quin & illud, an non cœlitùs factum? cùm aliquot globi flammantes Monaſterium peterent, unus Ædi *Deiparæ* Imaginis Sacratæ impactus repentè reſiliit, alter ad latus ſummâ vi tendens, reſupino ſeſe ad caſtra hoſtium referens volatu, ignes ſcintillantes in aëre ſparſit. Audaciam illius à Sanctiori genio terræ allifam dixiſſes, hunc reverentiâ loci tactum, non auſum accedere, ad hoſtes reditum cœpiſſe, ut diſcerent tandem juſtitiam moniti, nec temnere Divos. Tertius ab excubitoribus è tigno ædificii excuſſus, propè cunas infantis jacentis, cadens, noxias cohibuit flammas, innocentiam, *Virginis* aſylo tutam, non auſus corripere.

pere. Liceat mihi Euſebii Emmiſſeni verba attexere: Quantum lætitiæ in præſenti obtinent merita Religionis, & Privilegia Sanctitatis. Ecce horrendum neſcio quid, anhelavêre globi, extrinſecùs ſæviunt, intrinſecùs parcunt.

Homilia I. de Epiphaniâ.

Atque interea dum arma ſtrepunt, ferventque, *Muſici* è ſublimi turris pergula, vario inſtrumentorum genere *Hymnos honori Virginis*, ab Eccleſiâ dicatos concinebant, magno profectò Obſeſſorum ſolatio, accreſcenteque inde majori fiduciâ, *Præſentis Dei Matris Patrocinii*, hoſtibus verò res primum mira viſa inter fragores bellicos dulcis melodiæ ſonus, poſt furor & indignatio ſecuta, quaſi à Claromontanis illorum riderentur conatus.

Obſeſſi in Suecos erumpunt, Duce Petro Czarniecio.

Obſervaverant interim Claromontani Suecos, nullius eruptionis metuentes, in ejectis foſſis ſecurius agere, proindeque conſilium capiunt magnanimæ excurſionis argu-

gumento, illos virtutis, ſuique imperterriti animi admonere. *Petrus Czarniecius*, Vir ad militiam natus, multiſque egregiis facinoribus, in hac Obſidione clarus, è præſidiariis ſubitum compoſuit agmen, apertaque intra muros ſecretiori portulà, egreditur, jamque tranſmiſſis excubiis, non intellectus, rectà ad foſſam contendit, in cujus capite partem agminis collocat, partem intus ſecum ducit, rectáque in hoſtem nihil opinantem vadit, mox obvium quemque ſternit, & primo quidem impetu rei tormentariæ, Præfectum ad quietem ſeſe componentem, obtruncat, poſt aliquos Officiis militaribus inſigniores, mactat, ceteros milites fiſtulâ ferreâ pluribus oneratâ globis perculſos, trepidanteſque aut conficit, aut fugat: ii verò, qui ſeſe extra foſſam ejecerant, à collocatis ibidem præſidiariis excepti, paſſim cæſi. Oritur interea è propugnaculis ingens clamor, reboant tormenta, ſcintillant longiores ſclopi, hoſtis è propinquioribus Cœnobio ſtationibus conſternatus, ignarus quid rerum id eſſet (namque Obſeſſos nunquam

Cladem hoſtibus inferunt.

quam erupturos credebat, ſuæ metuentes paucitatis) ſeſe proripit, reliqui in turmas & agmina conglobati inſomnes exegêre noctem.

Redeunt præſidiarii victores, nec abſque præda, multis hoſtium ultra gregariorum ſortem peremptis, interque illos Machinatore bellico, & viro quodam excellenti de Foſſis nuncupato, Wrzeſczevicio ſummè familiari, inque militiæ gradu ſecundo, ſuper cujus morte vehementiſſimè indoluit.

Sauciatus Hornius, quem ad ſuam Krepicenſem Præfecturam deportatum ſuperante curationem malo mors oppreſſit.

Hornius Præfectus Krepicenſis ſaucius, moritur.

Inſuper ad ſuggeſtum tormentarium procurrentes, duo tormenta clavis ferreis in foculos impactis inutilia reddidêre. Ex aggreſſoribus unus tantùm deſideratus, Janicius Hungarus, qui dum ex agmine ſolus, verſus hoſtium caſtra longius progreditur, errore pro hoſte habitus, glande à ſuis tranſfigitur. Ita jam tunc *Czarniecius*, aliqua Suecorum præluſit clade, à cujus agnato majores

res inferendas propitium destinabat Numen.

Mellerus à Vitembergio tormenta & peditatum petit.

Mellerus interea etsi minore spe aperiendi, per diruta mœnia, quassataque propugnacula ad Cœnobium viam, non tamen animo aut consilio destitutus, haud omittere cœpta & simul adhuc aditum tentare statuit, majore quàm unquam vi: misitque ad Vitembergium, Sueticæ militiæ Supremum Ducem Cracoviam, ut inde tormenta obsidionalia plura, & peditatum acciperet, ipse verò mutatâ fossione, actoque cuniculo obsessos distinere jussit. Sed neque fossio, neque cuniculus processit: quippe rupes pertinax fodientium operam lusit. At longè efficaciorem intra Cœnobium induxerat cuniculum, quin propè erat, ut præsidiariorum constantiam everteret, Suecisque locum aperiret. Submisit è castris, Equitem Polonum, judicio maturum, tantoque minus suspicioni obnoxium, quàm morum gravitas, vultus ad modestiam compositus penitus eximeret, imò Patres ad omnem humanitatem novo hospiti exhibendam pro-

Fossionibus & cuniculis Obsessos distinet.

Eosdem ad deditionem per Equitem Polonum sollicitat.

provocaret. Et exceptus benevolè, sermones familiarius miscet, donec injectâ mentione de recenti Poloniæ statu satis deplorato, deditionem Monasterii facundius, quàm decentius suadere incipit. Incusat tristia Patriæ fata, dolet præreptum eligendi Regis suffragium, nobilissimam, potissimamque libertatis Polonæ portionem: exaggerat durum necessitatis telum, quo adacta Nobilitas Regis Seciæ fortunam adorasset, Joanne Casimiro, Regnum deserente, spernenteque; quomodo militiæ Polonæ robur jam Carolo militaret, Senatus, Proceresque Regem venerarentur, obniti neminem audere Divinæ voluntati, quæ Regnum universum in eum redegisset statum. Vos soli Patres eidem reluctamini, quâ spe, quibus freti auxiliis? in his fluctibus immoti esse vultis, mox nisi vela submiseritis, atroci tempestate submergendi. Cur potius ad Regiam non confugitis clementiam? cur vindicandam excidio vestro opponitis pertinaciam? Non decent arma Religiosos: solitudo, non bellorum

Qui rem agit sedulò.

 stre-

strepitus vestri est Instituti, Reges à vobis obsequio, Religiosâ submissione colendi sunt, non efferâ, nihilque valiturâ contumaciâ irritandi. Non vult ire perditum Catholicam Religionem, ejusque immunitates, Sueciæ Rex, salvas, fartasque relinquit. Absit, ut Monasterium vestrum ruinæ, prædæque exponat; locum externis nationibus conterminum, munire, ipsa dictat ratio, & hoc illi unicum curæ. Monitos insuper vellem, si Mellerum admiseritis faciles, aliquam vobis offerendam esse pecuniæ Summam, dandam quoque & rei tormentariæ Præfecto amplum honorarium, ad quem è militiæ lege pertinerent omnia ex ære fusa, proindeque paratis redimenda nummis.

Non absque indignatione aliquâ Obsessorum.

Persuadentis oratio variè tenuit audientium animos, sed quia non sine Regis Joannis Casimiri contumeliâ, tum de omnium Procerum & Ecclesiasticorum spontaneâ deditione, apertum mendacium, indignationem nonnullorum magis, quàm assensum præbuit, alios tamen timori obnoxios, desperantesque Suada blandè loquentis corrupit,

Aliquos tamen corrumpit.

rupit, ita ut illi æquis cum hoste conditionibus componendi arbitrium deferrent. Sed *Kordecius* re propiùs inspectâ, veritus ne diuturniore consortio ad Obsessorum labefactandos animos, lentum virus spargeret, Oratorem hunc è vestigio absque responso dimittit, quod crastino die accepturus rediret: sed jam illud conceperat peditum primipilus, ejusque afflatu ceteri milites pestem non dubiam contraxerant, secretâ proditione in loci deditionem conspirantes. Id verò posteaquàm *Kordecio* innotuit ab iis, quos fides, pietasque sincera ab hac lue immunes fecerat, gliscentem seditionem subitò opprimit, præsidiarios verbis partim castigat, partim demulcet, ad extremum & largitione ad obsequium revocat, duplicato in Mensem stipendio, receptoque Sacramento, quo se mori satius, quàm loco cedere obstrinxerant. Authorem verò seditionis, cum aliis defectionis complicibus militiæ gradu movit, & è Monasterio exclusit. Ita prudentiâ *Kordecii* Cœnobii Moderatoris oppressa in herbâ seditio, cautiorem fecit.

Præcipuè præsidiarios milites,

Quos Kordecius ad obsequium revocat.

Authore seditionis punito.

fecit. Namque coacto è Patribus, Nobilitateque consilio, cùm brevibus de meliori ordine instituendo, majorique vigilantia adhibenda disseruisset, mox Patres ætate provectos, militiæque oneribus impares choro addicit (à quo tamen præsertim diurno, nec juniores excipit) primumque hoc agmen hostibus opponit, ab armis quidem haud metuendum, sed à Supremi Numinis, Cœlitumque implorata ope, satis superque validum: Ceteros partitis cum milite laboribus, vigiliis, aliisque militaribus muniis, propugnacula insidere jubet. Et post lustratos, recensitosque præsidiarios, suisque inductos stationibus, singulis propugnaculis decem Religiosos, unumque sua cum familia Nobilem, eò quòd pauciores haberentur, imponit, simul & bellatores & inspectores futuros, qui militibus immixti, & illorum suo exemplo accenderent alacritatem & motus, gestusque tacitè observarent: tum verò unicuique propugnaculo duos libratores assignat, summoque cum imperio præficit, unum è Nobilitate, ex

Meliorique ordine inducto.

ex Religiosis alterum. Excubiarum Præfecturam contulit Patribus, Marcello Dobrossio & Zachariæ Małachovio, rei tormentariæ & reliqui apparatus bellici curam demandavit Petro Lassota / injunxitque, ut faces, è turri quandoque exponeret ad invitanda auxilia. Generalem verò armorum Præfectum dixit *Stephanum Zamoyscium*, Ensiferum Siradiensem, eique adjunxit Patrem Ludovicum *Czarniecium*: Et aliorum quidem virorum Religiosorum, qui à Sacra militia ad prophanam tantisper adscripti, vires, animosque attulêre, promptum mihi esset referre nomina, nisi *Kordecius* uberiùs in suo opere Sodalium suorum memoriæ consuluisset, quorum & director & spectator fuit. Et hi quidem extemporanei milites suo cum Duce *Kordecio*, magnam apud posteros habituri sunt commendationem, laudemque, at multò majorem Clarus *Deiparæ Virginis* MONS admirationem, reverentiamque, cujus beneficio à Paulina Eremo, imbellis & solitaria turba, tam repentè spiritus Martiales hausisset,

 hosti

hosti exercitato, bellisque innutrito fatales.

Atque hæc *Kordecii* vigilantia, inque omnes partes sese vertentis accurata sollicitudo, etsi omnem spem, cum hoste transigendi adimeret, decretumque sibi esset Clarum Montem etiam cum vitæ, sanguinisque dispendio tueri, consultiùs tamen duxit, injectâ aliquâ de conditionibus, quæ deditionem simularent, mentione, hostis impetum cunctatione frangere, distinereque ferociam; aut cum tempore languescentem emorituram, aut certè à subsidiis, si quæ benigna sors immitteret, reprimendam. Et in Cœnobio plerosque à continuo metu anxios, imò omnia Sueticæ potentiæ permittentes, hâc simulatione Tractatuum contineri expediebat, lenireque optatæ concordiæ haud diuturnâ expectatione. Jamque Nobilis ille hesternus Orator ægrè in reditu ad castra à prætervolantibus pilis evitato periculo, iterùm manè comparuerat, responsum accepturus. Tardius admissus, vultuque severiori exceptus, ambigua ad Mellerum verba retulit, adjecitque: ¶. *Isti Monachi*

Kordecius simulat se tractare velle:

chi stulti sunt, temerarii & protervi. Sed jam aliud responsum Religiosorum par Stephanus Stavicius Sacrarum literarum Magister, & Marcellus Dobrossius ad Mellerum ferebant: à quo comiter accepti, auditique, quod de Tractatibus instituendis, conditionibusque ad æquitatis jura accommodandis verba fecissent. Lætus enim verò hac promptæ voluntatis declaratione Mellerus, profert conditionum capita septem, traditque: adjicit benevolentiæ, liberalitatisque specimen, sex pisces grandiores, nomine suo Religiosis offerendos. Quæ verò super deditione Clari Montis proposuerat, ita se habebant.

Perque Ablegatos mentionem Tractatuum injicit.

Gratè id accipit Mellerus & deditionis capita offert.

¶. *Monasterium Clari Montis*, ejusque Patres & incolæ concedunt in deditionem & tutelam *S. R. M.* Sueciæ, cupientes in posterum devotè & subjectissimè, non aliter ac decet subditos devo-

votissimos colere ac venerari Sacram Regiam Majestatem. E contrario, renuntiant Regi Joanni Casimiro, hoc ipso & omnibus obligationibus Serenissimo Sueciæ Regi contrariis, nec committere volunt, ut sive clam, sive palàm, sive opere, sive consilio, per ipsos, aut ipsorum nomine per alios *S. R. M.* ejusque Majestatis exercitui, vel Ministris ullo modo noceatur.

Rursus Excellentissimus D. Generalis Locumtenens, nomine *S. R. M.* Sueciæ, prædicto Monasterio, ejusque Patribus ac ceteris incolis, securitatem plenam promittit, insuperque cavet, non modò

modò Monasterium illud Clari Montis cum omni Sacra supellectili, & mobilibus Patrum, ac ceterorum incolarum, ac Monasterii Subditorum intactum fore, ejusdemque reditus ex prædiis & villis ipsis relinquendos; nec insolitis contributionibus gravandos esse, sed etiam Religionem, ejusque exercitium, Processiones, Peregrinationes Sacras, & devotiones, quocunque nomine veniant, nullatenus turbatum iri.

Pro majori autem securitate & tutela Monasterii & Fortalitii, præsidium ex militibus *S. R. M.* Sueciæ imponendum centum quinquaginta sclopetariorum.

 Di-

Dictis Præsidiariis, alimenta & commeatus; necnon stipendia, non à Monasterio aut Patribus, sed à districtualibus Subditis suppeditabuntur. Mansiones autem extra Monasterium & cellulas intra murum & vallum, conficient, exceptis Officialibus, quibus honestæ habitationes in Ædibus concedantur.

Nobilibus & extraneis, sicut & omni præsenti militi præsidiario in Monasterio commorantibus, liber conceditur abitus, quemadmodùm etiam vi honoris anteire tenebuntur, post deditionem factam, statim ex Monasterio exire, & mediâ salvâ guardiâ in suis

suis prædiis & domibus manere.

Dominus Zamoyscius, Ensifer Siradiensis, facultatem habebit pro suâ personâ cum uxore & famulis manendi in Monasterio, aut liberè ad villas & prædia sua commeandi, modò ille ab imperio in milites præsidiarios, & omni hostili apparatu & conatu adversus *S. R. M.* Sueciæ abstineat.

Hoc ipso die post conclusam conventionem, Porta Suetico præsidio aperiatur & Domino Generali, cum aliquo comitatu libertas eundi in Monasterium, & lustrandi illud, concedatur, ipsum autem præsidium Monasterii simul excedat, nec à militibus Regis Sueciæ

examinetur, quæ traditio Monasterii cras horâ octava matutinâ effectum sortiri debet.

Atque super iis Conditionibus colloquium cum Mellero institui debuerat, ad quod *Zamoyscius* promptum se obtulerat, si datis obsidibus securitati personæ ipsius caveretur.

At cùm imparem à Mellero submissum Obsidem videret, fraudem veritus, à negotio supersedit. Iam verò Religiosi hesternâ comitate Melleri capti, non expectatis Obsidibus, ad hostium castra duos omnium suffragiis lectos, mittunt, *Matthiam Blesinium & Zachariam Malachovium.* Ii verò, peracto salutationis officio, ablegatos se à Superioribus suis significant, nullo instructos mandato disceptandi desuper iis, quas Mellerus proposuisset Conditionibus. Ad primum illarum caput, hoc tantùm breviter dicere jussos: Serenissimo Regi, *Joanni Casimiro* renuntiare, eique omnem exuere obedientiam, Religiosos salvâ fide, salvâ conscientiâ

Redeunt ad Mellerum Ablegati.

Ad primum caput conditionum respondent.

tiâ non posse, (ad quos haud pertineret jura Regum examini subjicere) antequam alterum Regem legitimè electum, more majorum publico edicto declaraverit, cujus id muneris est, Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Primas, Primusque Princeps. Deserti ab aliis Domini ignominia non est, quod in exemplum trahatur, fidem illis constantem erga Regem mansuram, & cum vitâ tantùm, ultimoque spiritu desituram. Ceterùm ignosceret Mellerus nuntiis, si fortè minus grata apud illum deponerent, quandoquidem ea sibi Moderator Cœnobii, unà cum Religiosa familia ferenda imposuisset. Sed ille aliquâ se ludificatione trahi præsentiens, Ablegatos è vestigio attineri imperat, duriorique mandari custodiæ, ludibriis, contumeliis exponit; supplicio terret, eâ videlicet Patrum severâ detentione, calamitateque à Moderatore Cœnobii expressurus plenam facultatem de Conditionibus disserendi.

Indignatur ille & Ablegatos custodiæ mandat.

Et hæc Ablegatorum detentio clypeus fuit, sub quo tutius suggestus tormentarios eri-

Interea excubias propius ad muros admovet.

erigerent, stationes disponerent, propeque muros excubias admoverent, à quibus jactatæ blasphemiæ in locum Sacrum, frustrà spectantibus, audientibusque Obsessis; namque mortem Captivis interminatus fuerat Mellerus, si quid cladis, aut detrimenti obsidentibus interea è propugnaculis, murisque provenisset. Ferebanturque ad aures Obsessorum voces: Aut Monasterium ultrò dedendum est, aut vestris Monachis ignominiosè occumbendum. Nec cessabat Mellerus, undequaque conquisitis terroribus, animos Obsessorum validius impetere, metuque quàm armis expugnaturum se Clarum Montem sperabat, seu veriùs colloquiis tempus extrahebat, donec obstinatos majore vi à peditatu & tormentis muralibus Cracoviâ advehendis, instructior aggrederetur. Itaque *Kuklinovium* ad repetendum colloquium submittit. ¶. *Et quæ*, inquit ille, *Cracoviæ Urbis ac Arcis cum vestro Monasterio comparatio? cessit*

Kuklinovium ad repetendum colloquium mittit.

sit illa potentiæ Suecorum Regis, nuperaque deditione professa est: non esse consilium, adversum tam præpotentem Dominum, cui cœli benignitas ultrò suos offerret favores. Quæ est ista temeritas, unam munitiunculam, seu potius Gallinariam sedem, pauco insessam milite, rudique, tum & Monachis imbellibus, pavidisque refertam, victricibus Suecorum armis opponere. Si spes aliqua superfuit subsidiorum, à *Czárniecio Volsioque*, jam hæ copiæ ad Obsequium Regis Sueci transiêre, uno illarum Tribuno capto, altero militiæ Duce tempestivè se subducente, elapso; quem jam aut unde libera

ratorem adventurum expectarent? Itaque contumaciam potius pœnitentiâ redimerent, aut Sueticam indignationem, excidiumque loci, obedientiâ, dum licet, atque obsequio anteverterent. Hæc *Kuklinovius* jussu Melleri Religiosis ingesserat, quem consultò ablegaverat, ut & deditionem Cracoviæ inculcaret, & de intercepto Volsio, ejusque peditatu nuntiaret, tam recenti *Regis* Casimiri militiæ Prætorianæ defectione auditâ consternandis. Et die sequenti captivum illum peditatum, suis immixtum copiis, quo numerum augeret, sub octo signis circum muros duci jubet. Vanâ quidem & probè intellectâ ostentatione, sed ut pereuntis Patriæ ultimi præsidii jacturâ, intuentium oculos everberaret, animosque Obsessorum præcisâ omnis subsidii spe deprimeret.

Captivum peditatum ad ostentationem circumduci jubet.

Transegerat *Stephanus Czarniecius*, *Castellanus Kijoviensis*, honestis conditionibus cum Rege

Rege

Rege Sueciæ, de urbe primaria dedenda, præcaveratque, acceptâ, firmatâque Regiâ manu sibi, Volfio, militibusque securitatis fide, certo dierum spatio præscriptâ, definitâque. Et ipse quidem in Ducatum Severiensem, Episcopatus Cracoviensis Dominium secesserat, inde ad Regem, *Joannem Casimirum* abiturus, *Volfius* vetus militiæ Tribunus, & qui sub Rege *Vladislao* Ordines, summa cum laude, bellicaque gloria duxerat, lentiùs progrediebatur datæ fidei securus.

Cracovia.

Deditione Cracoviæ & Volfio capto breviter.

At lateri incedentium continuò hostes adequitabant, in speciem emissas legiones Cracoviâ securitatis causâ deducentes, revera ut captatâ occasione, & hoc unicum peditum robur, pluribus exercitatum bellis, *Joanni Casimiro Regi* abriperent, aliàs fidum, constansque. Et abripuêre corruptis Centurionibus, ab his milites tracti in defectionem, alii fidi, innoxiique violenter adacti. Ipse *Volfius*, dum pactorum fidem Regio munitam chyrographo, præfervidè exprobrat, nec dum elapso numero dierum, quem de-

deditionis Conditiones præscripserant, fidei, animique præclarus, inque sui Regis constantissimus obsequio, captivus abducitur. Quanquam & ceteris Conditionibus Cracoviæ à Vitembergio statim illata vis est, ut vel eo solo nomine, (quod à Suecis frequenter factum,) inconstantis, fluxæque fidei Sueticæ militiæ Præfecti malè audirent.

A Vitembergio vis infertur conditionibus. Suecorum fides ubique suspecta.

Et tamen Carolus Sueciæ *Rex*, in suo edicto, ad Varsaviam, sive literis ad universam Nobilitatem datis, malam fidem Polonis objicit, iis verbis: ¶. *In Barbaris etiam gentibus rara licet reperiri exempla, quæ Vestrates nuper, in deditione Urbis Varsaviensis, contra pactorum conventorum tenorem, tam circa personas, quàm res admisêre.* ☞

28. Julii. 1656.

Regis Sueciæ querela.

Fatendum est detentum *Vitembergium* metdecimum, ita postulantibus Regni Ordinibus multoties ob non servatam sibi sociisque fidem, impotensque Cracoviæ Dominium

Ad quam respondetur.

nium exasperatis, non à Barbaris petito exemplo, sed à nupero *Volfii*, quod ipsi, & multis etiam aliis in locis dedissent Sueci: proindeque hoc factum apud Sueciæ Regem veniam potuisset mereri. In res nihil admissum barbarè, profectò licuit sua repetere, cur non & rimari? non morosa equidem, (prout & non erat) indagatione, quandoquidem prædæ è templis, urbibus, Nobiliumque ædibus inibi latuissent.

Atqui consultius erat, præviâ aliquâ pactisque definitâ inquisitione, res ablatas restitui, quàm impositas cymbis per Vistulam persequi, indeque extrahi, prout olim jussu Alexandri *Farnesii* factum legimus. Is namque cum intellexisset à Clero Tornacensi & Primariis Nobilium, Mercatorumque aurum omne & argentum Civitatis, pretiosa quæque ad Divinum cultum, atque ad privatorum usum spectantia asportari, eaque omnia inter res, suppellectilemque *Principis Espinojæ*, per Scaldim cymbis avehi, jubet extemplò Tornacum cymbas remittere, remissis atque à Magistratu jussu *Farnesii* di-

Strada libro. 4. Decad. 2.

 scus-

ſcuſſis, ad ſuos res quæque Dominos adeò cum fide rediêre, ut ne uncia quidem argenti cuiquam deperiret. Et profectò nulla hinc imputata barbaries Magno illi Belgarum Camillo, quod Matronæ apud Belgas Clariſſimæ ſuppellectilem excuſſiſſet, latentemque extraxiſſet prædam, quanquàm nullâ explicitâ deditionis Conditione definitam: Certè nec Polonis vitio vertendum eſt hoſtilium rerum examen, præſertim, cum Matronas Sueticas, quarum ſexui pluſculum indultum eſt, ſatis civiliter cultas, diſſimulatâ etiam inquiſitione ad ſuos remiſerint. Unicum ego propono Lectori novum & ſingulare edictum Caroli Sueciæ Regis, non à Barbaris gentibus petito exemplo ſcriptum, evulgatumque: namque nec in veteri, nec in recenti Hiſtoria quidpiam ſimile, nec apud barbaras, nec apud civiliores nationes, haberi vix puto. Scio plebem ſpontè contra Dominos ſeditionem moviſſe, à Regibus in Nobilium, Dominorumque capita immiſſam, neſcio: niſi fortè Triumviralis Proſcriptio exemplum præbuerit,

Durum Regis Sueciæ contra Nobilitatem edictum:

Datum Mariæburgi, 8. Maji. 1656.

buerit, non abſque probro pereuntis Imperii Romani ab Hiſtoricis recitata. De quo quidem edicto, pro mea modeſtia nullam appoſiturus ſententiam, *Orbis Chriſtiani judicio* trutinandum relinquo. Id verò ita ſe habuit.

¶. *Quicunque Ruſticus, vel Colonus inque Civitatibus vel Pagis degens, Nobilem aliquem, aut Dominum rebellioni contra nos contumaciter inſiſtentem, ſive vivum, ſive interfecti caput attulerit, eidem, ejuſque liberis, non ſolum libertatem perſonalem, & agrum, quem colit perpetuò immunem concedimus, ſed etiam* Nobilis, aut Domini ſui capti, vel interfecti, reditus, qui ex Bonis ejus Hæreditariis annuatim proficiſcuntur, per ſex annos, utendos,

fruendos indulgebimus: ac deinde ita cum illo agemus, ut probatæ operæ & promptitudinis ejus ex voto ſatisfiat. Si verò ex plebejis aliquis Nobilem rebellem capturo inſignem operam navaverit, vel adjutarit, quamvis ipſe nobis Nobilem non tradiderit, eum tamen poſterorumque illius perſonas in datæ operæ pretium, non ſolùm à triſti & dura mancipii ſorte vindicabimus, ſed etiam illum agrum, cui inſidet, ab immodicis & indefinitis oneribus ad determinatam & juſtam conditionem reducemus, adeò ut nec Domino amplius liceat jus aliquod vitæ & necis, in eum ejuſque poſteros exercere, ſed

Captatio benevolentiæ rusticæ.

ſed etiam providebitur, ut ſecundum æquam proportionem annuæ exactiones & operæ ad temperatas leges referantur, recognitioque mediocris & moderata præſtetur. De quibus ſingulis brevi ſingularem à nobis conſtitutionem juri Divino, rectæque rationi, quàm maximè conformem fieri curabimus, eandemque auxiliante Supremo Numine mediis à Deo & naturâ nobis conceſſis, ita manu tenebimus, ut Subditos noſtros fidelitatis noſtræ nullo modo pœnitere debeat.

Nec ferre legem in alieno Regno, nec eam manutenere Deus & natura permiſit.

Sed his breviter commemoratis, redeo ad Claromontanos, quos etſi deditio Arcis, Urbiſque Cracovienſis, tum & legionum defectio, & Tribunus *Volſius* captus, vehemen-

menter perculerit, tamen firmi & constantes solâ cœlesti ope freti manebant, nullisque frequentibus ad nauseam usque Ablegatorum sollicitationibus, ad dedendum locum Sacrum flecti poterant. Unicum erat, quod illos angebat, videlicet injuriosa Patrum detentio, quos ut pristinæ restituerent libertati, omnem movebant lapidem, sæpiúsque per literas cum Mellero agebant, non sine tamen querela juris gentium læsi, violatæque securitatis. Nec se inquiebant alienos esse à tractatu instituendo, modò æquiores offerrentur conditiones, suaque ante omnia detentis Patribus libertas constaret.

Religiosos detentos Patrum malè habet.

Pro quibus eliberandis Mellerum sollicitant, spe Tractatuum injectâ.

Fatigatus continuis Religiosorum querimoniis Mellerus, quas in modum libelli supplicis composuerant, adjectâ tamen dextrè non servatæ fidei exprobratione, seu quod verius censeo, auditâ tractatus mentione, (quod summè cupiebat,) hilarior, detentos Patres accersit, unumque ex iis Sacramento de reditu obstrictum, retento altero certò morituro, ni ille rediret, emittit. Sperabat tot terroribus, minis, ac ostentato

Unum ex iis mittit, ad deditionem sollicitandam.

tato armorum apparatu commotum, Religiosis deditionem persuasurum. Atque ubi accessit Monasterium, copiamque ejusdem Moderatoris habuit, suam pusilli animi imbecillitatem prodidit: nuntiat visa, auditaque; Sueticum robur, viresque immensè extollit, quibus propugnacula Claromontana incassum opponi exile tantæ potentiæ obstaculum: adhæc famem, ceteraque Obsidionis incommoda memorabat. Ad extremum viderint, inquit, Superiores, è quorum manibus ob neglecta pacis consilia, sanguinem fusum, fundendumque ultor Deus requiret. Se quidem bono totius Cœnobii vitam perlibenter devovere, velleque referre ea hosti, quæ unanimis consensus jusserit. Et remissus è vestigio ad castra, jam animosius mandata exponit: Moram tractatuum Mellerum fecisse, quorum occasione ablegatos in mancipiorum conditionem redegisset, quæ utpote juris alieni, non sui à negotiis publicis arceri solent. Si ulterius progredi liberet, restitueret illos pristinæ libertati, suisque redderet sociis. Quod si verò id minus placeret:

Qui illam suadet;

Sed non persuadet, remittiturque ad Mellerum re infectâ.

En,

En, inquit, adſumus, pro integritate Monaſterii, Locique Sacri libenter morituri, haud parci ſanguinis, quem æterni Numinis honori devovimus. Aliud exſpectabat reſponſum Mellerus, necdum tamen omnino deſperans æquius ſibi aliquando perferendum, mittit alterum è captivis Patrem pari de reditu obſtrictum juramento. Nec is cunctatus, reditque ſubitò nihil de mutatâ Religioſorum ſententiâ referens. Tum verò impatiens Mellerus mortem utrique denuntiat, quam die craſtino in furcam agendi ſubituri eſſent. Excipiunt intrepidè decretum Patres: ¶. *Cur non hodie*, inquiunt, *morimur? eadem, quæ & cras Deo, Regi, Patriæque victima futuri.* At dilato Supplicio paulò mitior, cùm eoſdem menſæ adhibere vellet repudiârunt invitantem: ¶. *Non eſſe è dignitate Vicarii Generalis, eidem aſſidere, inter con-*

Ex Captivis alterum dimittit, neque ille ad mentem Melleri reſponſum refert. Exacerbatus mortem utrique denuntiat. Animoſum illorum reſponſum.

convivas mancipia patibulo deſtinata.

Dum verò hæc agitantur brevis ab utrinque interceſſerat armorum ceſſatio, cum Sueci noctu, majore quàm hactenus inſolentia ad mœnia procurrunt, ſtationes promovent, excubias collocant: Mirari primum Obſeſſi inter inducias hæc fieri à Suecis, tum irati directis tormentis, ac majoribus ſclopis, magnam vim lethalium glandium effudêre, eaque plumbi tempeſtas permultis virorum, equorumque noxæ fuit, ceteroſque inſomnes fecit. Hoc repentino tonitru excitatus Mellerus, turbari incipit, brevi tamen quievit, ubi intellexit ob obſidentium cauſam proceſſiſſe. Diſſimulatâ interim irâ, inhibitiſque ſuorum excurſionibus, repetito cum Obſeſſis colloquio urget deditionem, iis, quas jam propoſuerat, Conditionibus. Cum verò ii fidem in detentis Patribus deſiderarent, eamque haud ſtabilem futuram in Conditionibus tranſigendis vererentur, objicerentque, tandem

Sub armorum ceſſatione Sueci hoſtile excercent.

Obſeſſi ſtrenuè hoſtem arcent.

Tandem detentos Patres libertati restituit.

captivos dimittit, suoque reddit Cœnobio, faciliorem, ut rebatur, ad deditionem viam aperiruros. Nec de dedendo loco, ultròcitróque agitari desitum est, Mellerum ad negotium accelerandum & tempus & existimatio stimulabat, Religiosi consultò trahebant moram, providebant namque, aut à rigore hyemis casurum hostem, aut cunctatione fractum illicò discessurum. Ad tractatus verò potissimùm utebatur operâ Polonorum, tanquam domesticis avibus, ad alios avocandos, attrahendosque forsan & Obsessos, aliquâ occultâ vi pertrahendos.

Mellerus per Polonos urget Tractatus.

Atque post dimissos, liberatosque captivos Patres, cùm urgentibus internuntiis deditionem variis argumentis, objecto etiam metu à machinis obsidionalibus Cracoviâ adventantibus, *Stephanus Zamoyscius* responsum pararet, jam jamque dicere incipientem, *Severinus Kalinius*, Præfectus Braclaviensis, Legionis Equestris Chiliarcha, interpellavit imperioso satis & protervo sermone. ¶. *An tu Zamoysci Nuntium*

Iterum per Kalinium deditionem sollicitat.

Kalinius protervo sermone Zamoyscium excipit.

tium te in Comitiis Polonis agere existimas, ut sueto ingenii, verborumque lusu & speciosis rationibus, mandato Regis Sueciæ contradicas? Et nobis æquè ac bonis Civibus Patriæ salus cordi est, cujus jacturam prudenter prævertimus ad Regiam clementiam, ejusque Protectionem maturè nos recipientes. Desine tuis consiliis Claro Monti perniciem accersere, virosque Religiosos extremis objicere periculis, quorum sanguinem nullâ unquam elues pœnitentiâ. Non tuæ opis est, damna refundere à tantis Suecorum copiis Cœnobio, Nobilitatique illata, & amplius inferen-

ferenda, tuæne vires infestis armis, jamque ad excidium Loci Sacri paratis resistent? Agite Patres melioribus insistite consiliis, alias impares Suetico furori, ruinam, cladem que vobis ferenti. Talia jactantem paucis repulit verbis *Zamoyscius*, ad crebriores verò Melleri missitationes procrastinationibus uti, tum & variis novisque semper injectis difficultatibus rem protrahi placuit. Et ut aliquid gratiæ Melleri concedere viderentur, qui conditiones ad nutum Religiosorum limandas offerrebat, dummodò sinerent præsidium Sueticum Monasterio imponi: se quidem haud gravatè de conditionibus transacturos pollicentur, modò eas primùm à Patribus ablegati Socii, Regi deferrent, manu, sigilloque ipsius firmandas, deque loci in posterum securitate, cum ipsa agerent Majestate. Tum Mellerus aliquid suæ auctoritati detractum reputans, spondet se id potius facturum

Religiosi procrastinationibus rem differunt.

Conditiones Regi Sueciæ deferre volunt.

rum, exhibiturumque Majestati Regiæ eas conditiones certò approbandas, & è vestigio Religiosis transmittendas, quibus iter ad Regem multum temporis absumeret, non absque difficultate, discriminèque conficiendum. Urget ad extremum deditionem, præsidiumque ut recipiant, seriò monet: negant Religiosi, sufficientes sibi esse milites inquiunt, ad arcendam cujusvis insolentiam, servaturosque Locum Sacrum, si ita superis visum fuerit Regi Sueciæ tradendum: Calvinianum, Lutheranumque præsidium interea nullatenus se admissuros, quos inter & Catholicos perpetuas præviderent rixas, & loci contemptum, ab hominibus, ut moribus, ita religione disparibus. Nec literæ Vitembergii deditionem imperantes efficaciores fuêre, proindeque iterum ad arma ventum.

Negat Mellerus.

Religiosi Sueticum præsidium recipere nolunt. Quibus & Vitembergius deditionem imperat literis Crac. datis 21. Novemb.

Biduum tormentis majoribus Ædes Sacræ, tecta, mœnia, propugnacula everberata nullo damno, silentibus uno die Obsessis, altero verò respondentibus pari fulminatione, multis hostium fatali. Sumpserant illi ani-

Impetitur Cœnobium, Obsessis acriter sese defendentibus.

Quos adventus Sladkovii animavit,

animos ab adventu *Petri Sladkovii*, qui è Prussiâ rediens à Suecis interceptus, missus erat à Mellero ad Claromontanos, ut deditionem inculcaret, contrarium is fecit, evulgato insuper arcano, videlicet Supremi Polonorum copiarum Ducis, illiusque Generalis Legati ad Regem *Casimirum*, cum obsequio redeuntis. Nec Quartianos perlibenter Regi Sueciæ adhærere, retulit, properaturosque ubi de adventu Regis Poloniæ constiterit, illius causam propugnaturos. Ceteram quoque Nobilitatem nutare, inque omnes occasiones intentam esse, fessam divexationibus: quandoquidem Sueci, militari licentiâ, avaritiâque domos Nobilium invaderent, diriperentque, neque ætati, pudorive parcerent, in sepulchra & mortuorum requietem desævirent, in Sacra præsertim, Sacerdotesque furerent, conniventibus Tribunis, & ipsis militiæ Præfectis palàm rapientibus. Proinde bono animo Religiosos esse jubet, aliam Regni faciem mox visuros, habiturosque ab adventante Rege subsidia. Et ejusdem Sacræ familiæ Sodalis

Referentis de Quartianorum ad Regem Joan. Casimirum reditu.

Obsessi ab Antonio Paskovio animantur, per literas à Brzuchanscio allatas:

lis *Antonius Paskovius*, per epistolam in Cœnobio Cracoviensi scriptam, Patres per omnia Sacra obtestatus est, ne hosti æquas licèt offerenti conditiones fiderent, neque illius se pollicitationibus, aut comitate capi paterentur. Neque enim illis credi posse, qui pacta conventa, firmata, publicâ transigentium fide sus deque haberent, impotenterque dominarentur. Atque eas literas *Hyacinthus* Brzuchanscius Civis Oppidi **Czestochowa** attulerat, inobservatusque ab excubiis, quas ementito Quartiani militis habitu fefellerat, intra mœniorum fossam conjecerat, voce tamen clariori significavit sex tormenta obsidionalia, cum ducentis peditibus Cracoviâ adventare. Quis crederet! & à *Scythâ*, homine aliàs barbaro, ethnicoque animatos fuisse Obsessos: is namque cum Quartianis ad Cœnobium veniens, loci reverentiâ tactus, summo cum fervore, eosdem constantiæ admonuit, neu hominibus exiguæ fidei, (iis verbis usus est,) Locum hunc dederent, brevi summo cum dedecore abituris.

Et à Scythâ homine aliàs barbaro.

O Post

Tormenta Cracovià adducta noctu à Suecis diriguntur. 9. Decemb.

Post frustrà admissos, expeditosque deditionis Sollicitatores, tormenta Cracovià advecta, per tenebras à Suecis admoventur, tanto cum admoventium silentio, ut Obsessi non priùs intellexissent machinas venisse, quàm illæ sese ingenti boatu, sub noctis medium prodidissent. Et deinde à prima luce sequentis diei duobus è locis oppugnatio cœpta, perseveravitque eadem contentione, penè die integro: quanquam sub meridiem aliquid quietis datum, donec rediret nuntius, qui à Mellero iverat percunctatum, an Obsessi meliora sibi promitterent, & Sueticum præsidium recipere vellent; sed ad crastinam deliberationem rejectus, hostium fervorem auxit, continuè Cœnobium oppugnantium. Trecentis & quadraginta vicibus illo die explosa tormenta fuêre, qui attentius numerarent, paulò majori cum Obsessorum damno: namque inter duo propugnacula lorica muri quatefacta, decussaque est, & ædificiorum parietes rimam alibi fecêre, tormentorum duæ rotæ fractæ, inque eodem propugnaculo,

Atrox oppugnatio Clari Montis non absque damno. 10. Decemb.

culo, tres ex præsidiariis cecidere, totidem equi perempti. Nec interim sibi Claromontani deerant: nam & tormentis rotas subministrabant, saxa, trabes, in subeuntes devolvendas, terram, ligna, fimum, ad obstruendam muri loricam comportabant, & hæc quidem ab imbelli sexu, aliisque non impigrè facta. Milites è propugnaculis majoribus sclopis, hostium vicinas petebant stationes, certa cum ibidem consistentium pernicie, ipsæque machinæ, qua hostis feriendi dabatur occasio, explosæ. Ac præter complures cæsos, tormentorum ministri quinque accensi pulveris bellici flammâ, exoculati. Acciditque res memoranda. Erat in Orientali Clari Montis propugnaculo librator tormentorum Germanus suspectæ fidei, quam in machinis librandis nunquam probaverat, cùm derepentè hostili appetitus globo, sed qui tantùm femur perstrinxerat livore cutis relicto, quasi à monitore stimulatus, ut rem suam fidelius, attentiusque ageret, mox ira mixta dolori accedente, librat tormentum satis feliciter, hostilemque

Obsessi strenuè hostem repellunt:

Non sine hostium pernicie & machinas dirigentium.

Librator Germanus aliàs suspectus, melioris fidei casu admonetur.

machinam obſidionalem rumpit, pulverem bellicum diſſipat, libratore eodem pilæ impetu diſcerpto.

Mellerus transfert oppugnationem ad Occidentale propugnaculum.

Atque poſt acerrimam ejus diei oppugnationem, cum ſe eâ ex parte parùm adhuc profeciſſe Mellerus videret, transfert impetum, paremque contentionem ad Occidentale propugnaculum, quippe non ſatis validum eſſe à quopiam didicerat exploratore: Jam verò *Petrus Czarnieccius*, conſilio hoſtis præviſo, ſubitaneâ munitione loci, aliàs debiliori, providerat, & poſt exploſa multoties tormenta, irritâ operâ inglorius hoſtis quievit: eademque nocte compluria ſuorum cadavera ſpectavit: Namque urgente acri hyemis rigore ad ſuccenſos largius ignesa dmoti, mox à relucente flammâ proditi, pilarum ictibus, deſignabantur, magno cum exitio, quod & poſtridie Mellerum manebat, niſi tempeſtivè experrectus lecto interea nepoti ex ſorore ceſſiſſet, quem in ipſius ſtationem advolans globus ibidem cubantem oppreſſit.

Noctu plurimi hoſtium ſternuntur.

Melleri ex ſorore nepos interficitur.

At Mellerus conceptam in Obſeſſos iram,

ram, mox effuſurus, operi continuo inſiſtit, promovetque obſidionales acceſſus verſus Occidentale propugnaculum, ruſticis ad opus compulſis, dumque illi noctu trabes, ſed potiſſimùm vimineos corbes quinque cubitis latos, fimo oppletos, ad ſuggeſtus tormentarios advolvunt, obſervati ab excubitoribus à niviſque candore aliquid lucis adferente deprehenſi, tormentis, ſclopiſque appetiti, operas linquunt, ſed multo perfuſas ſanguine. Apparuit tamen ſub primum diei crepuſculum tormentum obſidionale, contra propugnaculum admotum, directumque, ſed continuis globorum emiſſionibus, pulſis, fugatiſque rei tormentariæ miniſtris, & ipſum fractum, metu Obſeſſos liberavit.

Promoventur obſidionales acceſſus, magna cum hoſtium clade.

Tormentum bellicum fractum.

Ferunt hiſce diebus præſtigias aliquas ab hoſte ad oppugnandum Cœnobium advocatas: quippe ſurgentibus nebulis ſpiſſis, fœtentibuſque tanta caligo aërem obtexerat, ut omnem Obſeſſis aſpectum adimeret, hoſtibus verò ad appropinquationes operum ſub ipſa mœnia magnam daret opportunita-

Præſtigiæ ab hoſtibus in ſubſidium vocatæ.

 tem.

tem. Quod quidem prout ab ipſis accepi Claromontanis, huic loco inſerere non dubitavi, illorum fidei innixus, præſertim cùm à Sacerdote ad id deſignato, ſacrorum vi carminum ſubitò depulſas, non amplius comparuiſſe iidem retulerint. Tùm verò & precibus, juxta Eccleſiæ ritum, deſuper tormenta, ſclopos, bellicum pulverem, ceteroſque apparatus recitatis, exarmati ſuis præſtigiis hoſtes, illiſque infernali atramento contra omnem vim ferri, plumbi, ſcriptis characteribus deletis, promiſcuè ſternebantur. Et hæc ſtrages Militum aliò vertere oppugnantium impetum coëgit, itumque ab Occidentali ad Orientale propugnaculum. Sed ut ad Occidentem Solem ſpes diruendi propugnaculi, mœniorumque conſepulta fuit, ita & ad Orientem tot tamque crebris pilarum emiſſionibus excitata non revixit. Unica jactura fuit Joannis Adoleſcentis hoſtili perempti globo: Enimvero fatale hoc nomen Obſeſſis fuit, quippe tres uno ictu primum, poſt quatuor, diverſis vicibus ejuſdem nominis à globorum vio-

Diſſipatæ à Sacerdote precibus recitatis, cum hoſtium ſtrage.

Orientale propugnaculum impugnatur.

Joannis nomen Obſeſſis fatale.

violentiâ occubuêre. Et Mellero novus iterùm ſupervenerat terror, cùm illatus in ipſius ſtationem globus in interiore ædium parte, uni ex militaribus Præfectis familiarius ſecum colloquenti, vocem & ſpiritum interclusit.

Continuæ oppugnationis, pertinaciſque moleſtia, inaſſuetos bellico furori, ſuæque ſolitudini innutritos viros Religioſos ingenti afficiebat tædio, accreſcebatque metus, tum à proſperis Suecorum in Polonia ſucceſſibus, tum à prætervolantibus globis, ignibuſque ſparſis, exitium Cœnobio minitantibus, dejiciebantque magis imbelles animos trepidantium Nobilium clandeſtini ſuſurri, & nuper duorum, vel maximè, qui cum licentia Melleri, deſperatis Cœnobii rebus acceſſerant, ut unus illorum duas Sorores Sanctimoniales, alter verò Conjugem & filium inde abduceret, quibus cum id denegaſſet *Kordecius* (quod Mellerus ominatus fuerat,) ut omnem ſuſpicionem hoſti de Obſeſſis, quaſi jam deſperantibus, conſternatiſque præriperet, tum verò majus exori-

Religioſi ex metu, tædioque deditionem expoſcunt.

exoritur Religiosorum murmur conquerentium, deditionemque exposcentium. Quod posteaquàm sensit *Kordecius*, Cœnobii Moderator, extemplò Patres, sociosque convocat: & quandoquidem illis ita videretur Locum Sacrum hosti permittere, diversæque religionis hominum impietati tradere, iniquum tamen, neque sine piaculo foret, si nemo Religiosorum interea cultui Divino attenderet, inserviretque, & universi excederent perpetuo notandi probro deserti loci, tantâ hominum veneratione celeberrimi, suæque fidei concrediti.

Kordecius trepidantium animos confirmat, & ad tolerandam obsidionem animat.

Darent proinde confestim ii nomina, qui *pro gloria* DEI *Virginisque Sanctissimæ honore* remanere vellent: Sibi quidem & aliquibus decretum esse, fugere hæreticum consortium nullatenus ferendum. Alto defixi stabant silentio Religiosi: & cùm nihil etiam viritim requisiti responderent, tum *Kordecius*: Viderent jam, quam abominandam prorsus rem cogitarent, suaderentque, & suo Instituto minimè consentaneam. Locum cedere

cedere hostibus, & quidem Cœlitum cultui infensis, quid aliud est, nisi honorem illorum conculcandum præbere? Hicne est erga Deum amor? isne erga *Deiparam Virginem*, unicam Patronam, clementem ac beneficam, gratus animus? confiderent tantùm illius patrocinio, ejusque honori labores, vigilias, molestæque obsidionis incommoda, tantisper dedicarent; nec se vano metu abripi sinerent. Ab illa universo Regno afflicto solatium expectandum esse, illam ex hoc MONTE, veluti *Reginali Solio*, non defuturam *Poloniæ*, cujus se *Reginam* aliquando professa est, & quæ secedente *Joanne Casimiro*, *Vicarium*, (si ita dicere fas est,) *regimen suscepit*, placatâ DEI irâ, hostibusque prostratis, feliciter iterum committendum. Esse & externæ opis satis ad propulsandum periculum, stare pro mœnibus alacres milites, sufficere apparatum bellicum, nec famem extimescendam à provisâ satis superque re cibariâ; unicam tantùm Patres hosti oppugnanti opponerent constantiam; resiliet ferocientis impetus, & quamvis universam

sub-

ſubegerit Poloniam, hoc in MONTE potentiæ Sueticæ mox ruituræ inſcribetur.

¶. *Non plus ultra.*

Conquieſcunt aliquantùm Religioſi:

Conquievêre Moderatoris ſui *Kordecii* cordatâ animati voce Patres, at non diu: quippe recurrente ſæpius pavore, redibant querelæ, tædia, faſtidia; indeque deſiderium cum hoſte tranſigendi, quæ quidem ne multoties, & cum nauſea legentium memorare neceſſe habeam, paucis complector: Claromontem utrinque accerrimè oppugnatum fuiſſe, extrà à Suecis, intus ab imbelli trepidantium turbâ, deſperante, urgenteque deditionem, non abſque motu quandoque & violentiâ.

Sæpiuſque iterum tumultuantes coërcet Kordecius.

Verùm *Kordecius* cautus, ubique pervigil, & præſidiorum alacritatem accendebat, & Religioſorum, quâ authoritate, quâ crebris adhortationibus firmabat conſtantiam, & Nobiles motuum incentores gravibus reprimebat verbis, ita ubique & externis & internis implicito curis propitium adfuit Numen, & *Loci Sacri Virgo Mater Patrona.*

Interea Mellerus pertentatis ubique aggre-

Meridionale Cœnobii latus impetit Mellerus.

grediendi Cœnobii modis, quo facilius iter invadentibus ſterneret, mutato conſilio, non tamen priore penitus omiſſo, ad Meridionale latus transfert oppugnationem. Eminet illa ex parte magnifica Templi ſtructura, cui adhærentes Divis Sacratæ ædes, in orbem educta attolunt faſtigia: hæc itaque illius meta fuit, ad quam tormentorum ictus direxit: Namque tecta Templi, ædiumque Sacrarum, ab igneis impetita globis, flammam conceptura ſperabat, & ipſum Templum ob crebra altiorum feneſtrarum interſtitia, inter quæ muri exigua intercederet latitudo, converſo illuc tormentorum impetu, quatefactiſque continuè parietibus, procul dubio caſurum exſpectabat ſummo cum defenſorum periculo: quippe in tam anguſta loci area à ruinis tantæ molis opprimendorum. Sed à primâ luce ad meridiem continuæ emiſſiones pilarum, jactatique ignes, nihil profecêre, unus tantummodò globus per feneſtram advolans interiori Templi parieti alliſus, cum perfracta muri parte, ſummo cum fragore pulverem

 ex-

Religiosi è Templo fugantur.

excitasset, Religiosos, tunc Officio Divino intentos, in fugam conjecit, totius Templi ruinam, ut illis tunc videbatur, evitantes. Alter verò globus flammam ferens perterrebratâ portâ, trabem sublicii pontis & pendentes è muro sclopos disjecit, comminuitque.

Latomi ad excavandas in rupe fossas advocantur.

Atque cùm ex hac aggressione nihil commodi Mellerus retulisset, exile verò damnum Obsessi, aliter adoriri murum cogitat, & siquidem rupes palam ligonemque aspernaretur, Olkusio claro argenti fodinis Oppido Latomos advocat, qui nocte dieque operi insudantes rupem cædendo excavarent.

Et à Cœnobio remotius utcunque labor processerat, promovebantque operum appropinquationes sinuato itinere ad declinanda Obsessorum tela, verùm ubi unius stadii intervallo muris ac propugnaculo Orientali, quod contra tendebant adrepsêre, à pertinaciâ rupis moram faciente detinebantur, summâ ut cum difficultate molestiaque paucis in dies passibus progrederentur.

rentur. Quod dum illi faciunt, præsidiarii, duce *Stephano Zamoyscio* medio plane die, præsertim quòd in luce ab hostibus non timerentur, nuper per tenebras exagitatis, ideóque noctu cautioribus, per inobservabilem egressi portam è fossa erumpunt, tanta pernicitate, impetuque operas invadunt, ut omnibus cæsis, duo tantùm furori se subduxerint: post in proximam hostium stationem sese intulêre, dilapsisque fugâ Suecis, tormenta duo pari quo antea fecerant modo corrupêre, demum sublato clamore, hostes palantes insequuntur, cædunt, donec à numeroso superveniente equitatu repressi, sub propugnacula primùm, post intra ipsa mœnia se recepêre.

A Zamoyscio excurrente ceduntur, & hostes è proximis stationibus fugantur.

Neque tamen Mellerus in continuo armorum fragore omisit occasionem interpellandi Obsessos de deditione. Præbuit illam inventum à Quartianis *argentum Cœnobii* stagno immersum: Ii namque commodius piscaturi, aquas aliò derivarunt, detectoque mox fundo & argentum detegitur, pertinereque ad Cœnobium Clari

De Argento Cœnobii in Stagno invento.

Montis certis ex notis dignoſcitur.

Abſtinuit militaris manus à rapina: magnam eo ſolo nomine, quia in militia raram emerita laudem Equeſtris Turmæ *Krzeczevii*, cui is bolus obtigerat, & *Morskovius*, unà cum ſuis commilitonibus reſtituendi argenti ſpem fecerat, idem ſimili ſcripto docuerant, *Nicolaus Karminius*, & *Joannes Trupſcius*, quorum famuli piſcatores, hunc tam precioſum piſcem attraxerant. Sed jam præmonitus erat *Kordecius*, ab *Alexandro Jaroſzevio*, qui in ſpeciem educendæ Obſeſſæ Conjugis ad Cœnobium adveniens, cùm oretenus non poſſet, Suecis ſibi adſtantibus, ſermoneſque obſervantibus, cautè ad latus projecta ſchedula, argenti inventi notitiam aperuerat.

Offert illud Mellerus Religioſis, ſi in deditionem conſenſerint.

Et hæc quoque jam ad Mellerum pervenerat, perque Equitem Polonum, multa priùs præfatus de ſuo erga Viros Religioſos affectu, quoſve promptius haberet beneficiis ornare, quàm perditum ire vellet, niſi illorum hanc ſuam propenſionem reſpueret pertinacia; pollicetur argentum inventum, Cœnobio è veſtigio reſtituendum, ſi deditionem non aſpernarentur Obſeſſi, præſidiumque Sueticum reciperent, quod ille quantum fieri poſſet impoſiturus eſſet Catholicum, unà cum ſuo Præfecto *Duce Haſſiæ*, viro bono & Catholico: ac multis ſuadenti deditionem Nobili, pluraque ingerenti reſpondet *Kordecius*: Magni ſe æſtimare affectum, benevolentiamque Vicarii Generalis, ſed de præſidio Claro Monti imponendo, ne cogitaret amplius, quo namque ſuperinducto, inter Catholicos & hæreticos, perpetuam diſſenſionem præſentiret, nullamque peregrinantibus populis ſecuritatem.

Reſpondet Kordecius & præſidium Sueticum penitus reſpuit.

Cui malo avertendo, inter Tractatus inſtitutos, id ſe magnoperè à Mellero petiiſſe, ut huic, quod nunc eſt, præſidio, *Polonum præficeret*, à ſuis proponendum Religioſis, ita & Regi Sueciæ ſatisfactum & Loci Sacri indemnitati, pietatique *Virginem Deiparam* colentium, proviſum fuiſſet, *Argenti reſtitutionem* oblatam mereri quidem gratiarum actionem, niſi beneficium duriori æſtimaret

ret conditione, nolle se, suosque tam vili pretio Clari montis immunitatem, libertatemque vendere, quam omni auro, argentoque, ita docente *Paupertate Magistra*, præhaberent, vitaque ipsa cariorem ducerent.

Melleri de hoc argento cum Quartianis contentio.

Nec restituendi Argenti sincera mens fuit Mellero, hamum hac offa obductum objecit, ut Obsessos attraheret: namque ubi à Quartianis inventum intellexit, sibi è vestigio tradi postulavit, orta desuper contentione, cum Severino Kalinio, Chiliarcha *Polono*, obluctanteque, quod jure belli ad acquirentem pertineret: tandem sequestro interposito retineri permisit, relicta lite Regis Sueciæ decreto decidenda. Interea *Quartiani*, nihil morati sequestrum, modica parte seposita, ad evitandam à Rege Sueciæ difficultatem, de qua etiam transmittenda imposterum cavent, *Argentum Alberto Rychalscio* Brzeznicensi Præposito tradunt, quod obsidione solutâ Cœnobii Moderatori integrum restituit, egregium *erga Deiparam* militiæ Polonæ pietatis *argumentum.*

Tandem illud post Obsidionem redditum.

Sub-

Novus apparatus bellicus Cracoviâ submittitur.

Submisso hisce diebus *Cracoviâ* novo apparatu bellico auctior Mellerus, Cœnobii oppugnationem magnis viribus destinabat, & Civis ille Częstochoviensis *Brzuchanscius*, literis in fossam injectis monuerat Religiosos, quantus illis instaret labor à formidanda, jamque instructa aggressione: recensuitque murales machinas, scalas, uncos ferreos, globos ignem ferentes, tela, aliaque instrumenta in copiâ nuper advecta. Atque hoc pietatis Officium *Brzuchanscium* penè perdiderat: namque indicio sacci nigricantis relicti, in quem aliquot pisces Religiosis dandos conjecerat, à candore nivis proditi, ab excubitore detectus sagoque militari, sub quo latuerat, exutus, tandem quæstionibus subjectus, in horas carnificis laqueum expectabat. Aliter *Deipara* rependit Clientis piam pro Monte Sacro sollicitudinem: jam enim à tortoris manu languenti, talem se illi spectandam præbuit, qualis in Imagine Claromontana visitur, flexitque Melleri animum, ut quem jam suspendio addixerat, exiguo argenti pretio

De quo nuntiat Obsessis Brzuchanscius.

Capitur ille à Suecis, torturis addicitur capite plectendus.

Liberatur à Divâ Virgine.

Q

tio

tio contentus, ſalvum dimitteret.

Oppugnaturus Clarum montem Mellerus, iterum Obſeſſos per literas compellat. Datis 24. Decemb.

Antequam verò oppugnationem aggrederetur, placuit per literas Obſeſſorum animos explorare, ultimóque monere: vellentne Clarum Montem Regi Sueciæ dedere, an belli ultimam experiri aleam. Scriptæ verò hunc in modum erant:

¶. *Quamvis nomine, juſſu, & authoritate Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Regis Sueciæ, Domini noſtri clementiſſimi*, noſtra adhibita, partim leniora, partim ſeveriora conamina, apud vos alicujus ponderis ac momenti fore fuimus arbitrati, attamen & Regem & nos pertinaciſſimâ veſtrâ obſtinatione ſpe fruſtratos, ſpecieque ac prætextu ſimulatæ ac iteratæ veſtræ accordationis penitus eluſos ha-

 ctenus

ctenus nos experiri cogimur. Cum verò nihilominus Regia eaque firmiſſima veſtrûm non deſerendi fortalitium ſtet ſententia, pro quâ exequendâ noſtros in tantum cum Deo continuatos eſſe labores videtis, ut etiam jam tum veſtros ad muros machinæ noſtræ cuniculares quàm proximè acceſſerint, ſimulque requiſitis aliis ac ignivomis bellicis machinis ante biduum Cracoviâ advectis ad dolendam totius, & Cœnobii everſionem & veſtri internecionem, nos inſtructos advertitis, utique & Dei & Regis noſtri indolem imitaturi Chriſtianâ mente extremâ, quæ ſub manu ſunt antequàm

Cuniculis Obſeſſos terret.

 ag-

aggrediamur, vos per Deum ac Sanctam Religionem vestram, ultimâ vice tandem ac semel pro semper, hisce admonitos volumus, ut & loci Sacri & sumptuosissimi Templi ac ædificii, propriæque conscientiæ, ac vitæ ratione habitâ decenti ac morigerâ erga *S. R. M.* Sueciæ deditione, eaque sacris ac Religioni vestræ nullatenus detrimentosa, tum vestri, tum loci celebris incolumitatem, strenuè & ingenuè demum procuretis. Moram, quam solito more mutuis transactionibus imponere forsan quæritis, res præsens non patitur. Brevi igitur hisce perlectis, nos ut resolvatis, expe-

pediatisque ipsa suadet necessitas, Clementiam hancce Regiam ultimatò vobis oblatam, si pervicaci aliquâ vestrâ pertinaciâ, (quod haud speramus,) respueritis, nos sanè de totali vestri omnium interitu, Sacratissimique ac in toto Orbe Catholico decantatissimi Loci incineratione ac eversione funditus futurâ, ac tandem factâ, sanctè protestando coram Deo, Rege nostro, ac totâ Christianâ universitate excusatos cupimus, præsentesque satis benevolas, ceu perpetuum, intra Regiam Sueciæ Majestatis clementiam, vestram obstinationem monumentum, toti mundo conspi-

cuum daturi erigemus, imò quin vobis vestri de salute cura, sine laxa mora sit futura, nulli dubitamus.

Qui nulli fuêre ob rupis pertinaciam:

Quod de machinâ cuniculari innuit Mellerus, res hæc ad terrorem evulgata fuerat: namque aliquot militares Præfecti Suetici ad Claromontanos venientes, famam sparserant cuniculorum, terrentesque simul & miserantes asserebant: jam sub ipsis propugnaculis fossis excavatis inclusa bellici pulveris vascula latere: quæ subterraneâ viâ prorepens ignis mox accenderet, ultimâ cum Cœnobii ruinâ, si Obsessi contumaces esse pergerent. Verum nota illis erat rupis pertinacia, quæ cuniculorum impatiens operas in cassum desudantes abegerat, vanaque jactantibus reponebant: Si suppositus latet intra Cœnobium pulvis, cur non accenditur? cur tantopere urgerent deditionem, quæ in illorum esset potestate? agerent rem suam cuniculis, quandoquidem aperti Martis non succederent conatus. Et Præ-

Ideoque ab Obsessis vanitas hostium exploditur.

Præsidiarii audacter hosti insultabant: quippe *Joannem Casimirum Regem* è Silesiâ redeuntem Zywecii constitisse certò acceperant: à quo etsi subita subsidia sperare non poterant, tamen oppressam Nobilitatem mox ad reducem Dominum confluxuram credebant, bellique Duces rejecto Sueci obsequiò Regem suum veneraturos: Proindeque Suecos novo distentos negotio Clari Montis obsidionem soluturos. Atque majore cum animo licet semper impavidus, sibique constans *Kordecius* ad literas Melleri respondet: Agnovisse se multoties illius in agendo secum clementiam, satisque patientem & æquanimem, transigendi negotii finem hucusque expectasse, & quamvis non iniquum videri poterat, ut ad votum illius *S. R. M.* Sueciæ se cum Monasterio suo dederet, tamen quia justissima sua postulata rejecisset, hanc se moram fecisse non à temeritate prolongationis faciendæ, sed à formidine immunitatis labefactandæ provenientem. Nunc verò tam benigna illius admonitione provocatus libenter præcisâ omni

Eorum ab adventu Regis Joannis Casimiri in Poloniam major animus.

Ad literas Melleri respondet Kordecius, & aliquot dierum inducias petit.

omni dilatione deditionem æquis conditionibus acceleraret, nisi festorum gloriosissima *Natalis Christi* solennitas instaret, cujus haberet rationem, sibique humiliter petenti interea armorum cessationem concedere dignaretur. Daret quoque sibi ad Superiores recurrendi facultatem, quorum consilio, mandatoque accepto, finem Tractatibus imponeret.

Idem scribit Wrzesczevicio.

Scribit etiam Comiti Wrzesczevicio, illiusque operam implorat in iis obtinendis, quæ Mellero proposuisset postulatis, inque procurandâ tantisper armorum cessatione, donec consulti Superiores suam illi explicarent voluntatem. Literas, qui ferret comparebat nemo, cunctis recusantibus officium, quod earum latores asperè tractatos vidissent, proindeque nolebant se hostium fidei suspectæ credere.

Mendica Anus Constantia literas ad Mellerum & Wrzesczevicium fert.

Erat mulier ætate provectâ *Constantia* nomine, è mendicantium numero, intra fossas mœniorum toto obsidionis tempore, excavatâ in rupe latitans, & exiguo conducta pretio, Domos obstantes defensioni succendebat,

succendebat, hostium pilas decidentes legebat, alimenta quæcunque conquisierat vendebat. Hæc perferendas accepit literas, nocteque egressa, ad Suecorum venit stationem, primúmque à Præfecto excubiarum non sine risu excepta, mox ad Mellerum deducitur. Is quidem nullum tunc dedit responsum, cum Wrzesczevicii tantùm epistola revertitur: in qua post exprobratam Religiosis pertinaciam, rejectamque Regis clementiam, dicit se permultùm adlaborasse, ut justam Generalis iram leniret, ab ipsorum fraudibus, fallaciisque meritò provocatam, tandemque se armistitium impetrasse, diei unius, *qui Christo nascenti sacer esset*. Caverent tantummodò data fide Mellero, se postero die statim ad tractandam deditionem accessuros, ad extremum epistolam iis verbis conclusit: ¶. *Per Deum, Virginemque Sacram vos obtestor, ne putetis hæc me vobis in vanum dicere.* Experiemini proh dolor, quod

Cum Wrzesczevicii tantùm responso revertitur.

quod non ſperatis, nec putatis, ſi vobis hæc noſtra oblatio placet, ſine morâ reſponſum dent: nam hac nocte & cras veſter adeſt interitus, quem ego impedire non potero, niſi ea, quæ ſuperius vobis dixi, faciatis.

Hoſti ceſſationem armorum promittenti non fidit Kordecius.

Promittenti ceſſationem Armorum hoſti, non adeò fidebat *Kordecius*: namque dies feſtos, maximè inſidiis, obnoxios, vetus quoque militia notaverat, totus itaque in eam incubuit curam; obſervare Suecorum conſilia & præcavere, Præſidiarios obire, hortari, tormentorum libratores ſui officii admonere, iiſque homines ſtrenuos operi illorum advigilantes, præficere, & aggreſſionis certus, jam de telis, trabibus, ingentibus ſaxis, è muro in hoſtem ſubeuntem devolvendis ceteriſque ex uſu militiæ rebus neceſſariis, ſatis providerat. Et minari quidpiam videbatur repentinum inſolitus noctu in caſtris Suecorum ſtre-

ſtrepitus, ignium accenſorum, latéque collucentium frequentia, militum turmæ, ultra ſolitum majori auctæ numero, hinc & inde comparentes, quæ omnia ſollicitos tenebant Claromontanos, ideóque attentos ac pervigiles & ad excipiendos hoſtes perquam animatos. Et quia nox erat *naſcenti* dicata *Deo*, nihil tamen intermiſſum eſt à Divino Officio, ſacra peragentibus Religioſis, ſummâ cum pietate, debitoque feſti ſplendore, pariter de die, Divino cultui, attendentibus. Quem ſub meridiem interrupit Mellerus, namque à Septentrione, muralibus tormentis, magnâ vi Cœnobium impeti juſſit, perſeveravitque explodentium continuus furor uſque ad veſperam, aliquo cum Obſeſſorum terrore: quippe pilæ perterrebratis Monaſterii parietibus, ubique pervolantes, metum Religioſis incutiebant, ſed maximè globi, ferro, flammaque gravidi, ejuſque vi diſſilientes, cladem, incendiumque ferentes, permagnam trepidationem concitabant. Tunc profectò quicquid à machinis ruinæ murorum, à can-

Noctem Natalis Chriſti devotè celebrant Religioſi.

Die Natalis Chriſti Clarus Mons acerrimè oppugnatur.

 den-

dentibus globis flammæ, cædisque expectari poterat, summo conatu, pertinaci impetu, exeruit Mellerus, donec sub vesperam rupto, quo nullum majus fortiusque ad mœnia concutienda habebat, tormento, dissilienteque & ipsa oppugnatio interrupta finem accepit. Abhinc siluêre tormenta, quasi horrendus unius exitus, ceterorum ora obstruxisset, ne amplius contra Locum Sacrum blasphemos vomerent globos: Quanquam & Suecis instabat crepicordium, ab irritâ obsidione mox recessuris.

Machina obsidionalis miro casu rumpitur, quæ finem oppugnationis obtulit.

Et hujus quidem ultimæ oppugnationis acres conatus, Dexteram Excelsi repulisse, repressisseque, fatendum est: quandoquidem nec jactati ignes, nec multoties explosi globi, permultùm detrimenti, cladisque intulissent. Imò mira de tormento rupto prodidère, qui præsentes, propiusque adfuêre, quasi globus à muri pariete, in quem allisus fuerat, impetu retroactus, suam illam, è qua ejectus erat, machinam redux petierit, fregeritque occiso libratore. *Petrus* Okrása / Vir Nobilis, qui eo die commeatum

Mirum de hac machina, narrante Petro Okrasa.

tum in hostium castra advexerat, id palam asserere non dubitavit, certus ab inspecto globo, cum nec ejusmodi in Cœnobio, nec tales insuper machinæ reperirentur, quæ tanti ponderis, ejusque magnitudinis pilas ferrent. Insolitum accidisse quidpiam Melleri animus, è suâ remittens ferociâ, detumescensque monstrabat: namque & à milite, & à copiâ rerum ad obsidionem, oppugnationemque spectantium satis instructus, veluti desperato successu eodem vespere, Patres Claromontanos compellavit, objectaque primùm pertinacia, in detractata, multisque modis elusâ Regi Sueciæ subjectione, tandem duplex medium proposuit, iis verbis: ¶. *Aut fortalitium vosque omnes in Regis, ac* Domini nostri clementissimi protectionem, aut præsidium hodie dedatis, aut Regiæ suæ Majestati juramento submissionis, obedientiæ ac fidelitatis

Mellerus mitior Religiosis duo proponit media.

25. Decemb.

Aut fortalitium dedendum, aut lytrum persolvendum.

tis prius præstito in debitam satisfactionem pro diuturna illa obstinatione & damno, per hanc toti regioni illato, simulque in debitam imperii recognitionem, ipsissimæ Regiæ Majestati vos Religiosi, quadraginta millia Imperialium seu Thalerorum, vos verò Nobiles viri quotquot vestrûm sunt in fortalitio, viginti millia Imperialium sine ullâ morâ aut refragatione solvatis. Sic vobis missa obsidione & de quietatione, & de pace sufficienter prospiciemus, simulque vos & vestra omnia de securitate certificabimus. Sin minus, & vos dilemma hoc tolerabile non actualiter

liter solvatis, neque in unam, neque in alteram harum inclinetis, aut utrilibet annuatis, ac subscribatis, ideóque omnem pacificæ transactionis conditionem excutiatis, scitote, quod licet nec verbum, nec ferrum, nec pulvis, nec ignis vos mitigaret, tamen obsidium vestri ac fortalitii, nullo modo propterea penitus solvendum, sed in confinio, & in circuitu trium milliarium, omnes Civitates, pagos ac villas, simulque omnes illorum Nobilium, qui in fortalitio contra R.M. Sueciæ morantur, ipsique refragantur, (quos nominetenus novimus cunctos,) possessiones ac bona, direptionibus,

bus, flammâ & igne funditus devastanda ac evertenda, imò in cineres, ac favillas redigenda trademus. Vos ipsi neque in fortalitio perpetui, neque extra illud tuti existetis, sed pro tanta malitia & obstinatione, Busiridis ara, ac Perícli tauro digna imposterùm ubi, ubi offendemini, non ære, sed corpore, non nomine, sed sanguine luetis, adeoque æquali mensurâ pro merito tali retaliabimini.

Mellero poscenti pecuniam egestatem opponit Kordecius.

Altero die *Kordecius* respondet: Felicius Mellero postulatum cessisset, si à principio Obsidionis eam proposuisset Summam, quæ salvis bonis, rebusque integris, colligi, acquirique potuisset. Nunc iis partem ab igne, partim à milite absumptis, indeque consecutam egestatem, omnem sibi contribuendi ademisse modum, facultatemque Regi

Regi Suециæ nunquam se fuisse rebelles, (semper enim sibi constare erga Principes Religiosam observantiam,) quandoquidem Præsidium unà cum præfecto Polono justis ex causis relinqui petiissent, denegatum id, simulque & virtutis probandæ occasio sublata. Eò tandem rem devenisse, ut hæc repulsa & summam Religiosis inopiam attulerit, & Loco Sacro celeberrimoque gravem injuriam irrogaverit: de quo meliora imposterum cogitaret Mellerus, habiturus Religiosos sui apud Deum memores. Jam Wrzesczevicio scribit apertiùs, monetque non esse Catholici hominis loca DEO dicata aggredi, armisque infestis oppugnare, tantò magis hunc *Deiparæ Imagine* celebrem, quam supplici cultu, olim adiisset, & nunc scire, remque sibi perspectam scribere, illum hìc aliquoties à lethali servatum casu, ope non dubiâ *Virginis*, pio affectu olim imploratæ: contineret itaque hostilem manum, beneficii *Virginei* memor, non diuturnam aliàs, si contrà pergeret, cœlo exprobraturus patientiam. Atque iis literis ad-

Wrzesczevicio acrius respondet.

jun-

Loco pecuniæ mittit imaginem Divæ Virginis Claromontanæ & Historiam.

jungendam fortaſſe aliquam pecuniæ ſpem expectabat Mellerus, ſed ejus loco mittit exemplaria duo, *Hiſtoriæ Virginis Claromontanæ* Germanicum unum, Polonicum alterum, inſuper aliquot imagines è prototypo deſumptas. Horum omnium latorem fecit *Conſtantiam* Suecis notam, minuſque illorum contumeliis obnoxiam, ſi militares jocos, riſusque excipias.

Variæ diei Natalis Gratulationes intra propugnacula factæ hoſtibus terrorem, poſt admirationem conciliant.

Jam dies Divo Stephano Protomartyri ſacra illuxerat, cùm mori patrio indulgentes Obſeſſi, gratulationem diei *Natalis Domini, feſtorumque*, cum felici apprecatione adornant: Uſitatum namque tunc Polonis invicem ſibi xenia dare, & accipere, & domeſticæ familiæ heros aliquo officii genere ſalutare, remuneraturos obſequium, promptamque voluntatem Clientum. Primi itaque in Cœnobio comparuêre *Muſici*, qua voce, qua vario inſtrumentorum genere *Cœnobii* Moderatori, Patribus, & qui è Nobilitate inſigniores aderant, *Nati DEI feſtum* gratulantur *diem*, poſtque famulitii Monaſtici varios applauſus, è propugnaculis, mœnibus tor-

tormentorum fragor erupit, majorumque ſcloporum repetitæ exploſiones, pilis in hoſtium caſtra volantibus. Ii verò rei novitate perculſi, ignarique, quò tam repentinus Obſeſſorum impetus tenderet, miſceri, ſtationibus deſertis fugam arripere incipiunt. Sed jam exercitus Duces à Polonis patrii moris notitiam acceperant, nec ſine admiratione erumpentem ſubitò audivêre fragorem, tantùm videlicet Obſeſſis ſupereſſe animi, ut in ipſo belli fervore & Muſicæ vacarent, & hilaria non intermitterent: indeque & apparatus bellici copiam, & præſidiariorum æſtimantes alacritatem, cùm hactenus nihil ad ipſorum proceſſiſſet votum, Obſidionem ſolvere parant.

Tandem hoſtes obſidionem ſolvunt. 27. Decemb. Die feſto. S. Joannis Euang.

Noctu itaque deducunt ex ſuggeſtibus machinas, ipſi verò diluculò exercitum movent, ſuisque cum Præfectis, diverſas in partes abitura agmina partiuntur. Et Mellerus Vicarius *Generalis* Petricoviam conceſſit, Dux *Haſſiæ* Cracoviam, *Sadovius* Siradiam, *Comes* Wrzeſczevicius Vielunium repetiit.

Obsessi Deo Liberatori & Virgini Matri gratias agunt.

At Patres, Obsessique omnes, recedentem spectantes hostem, *Deum Liberatorem*, Sacro gratiarum carmine adorant, & *Magnæ DEI Matri* grates persolvunt, quod ejus ope, precibusque *apud Filium*, *Locus Sacer* conservatus, hostilem effugerit ferociam, neque permiserit se ex eo sacrilegè dejici, unde *totius Poloniæ unica spes* dependebat. Ac profectò consideranti mihi attentius, quæ in hac Obsidione evenerant, nihil humanis viribus, aut consilio dandum esse, censeo: Cœlestis ea cura fuit, indeque evidens auxilium, non *Polonis* tantùm, sed *universæ venerandum Christianitati.*

Ibant hostes Clarum MONTEM obsessuri, non tantùm arma in excidium expedientes, sed impuri oris linguas acuentes, magnâ cum *Dei Matris* contumeliâ. Audiebantur voces, (ut ceteras taceam, quas Hæreseon Schola profitetur, docetque.) ¶. *Videbimus hanc vestram Mariam, an vobis aliquid sit allatura subsidii.* ☜ Præbuit illa se videndam, perstrinxitque impudentes oculos, imò multorum clausit, nihil aliud imposterum visuros, nisi æterna supplicia, miserorumque cruciatus, reliquit aliis, ut commilitonum crebra deplorarent funera, spectarentque turpis recessus ignominiam, perpetuumque dedecus.

Verba hostium contumeliosa in Deiparam jactata.

Super mœnia ac propugnacula Beata Virgo apparuit.

Et profectò visam *Dei Matrem* super mœnia ac propugnacula, magno hostium exitio, non referrem, nisi similia olim evenisse, à magnisque prodita authoribus extarent exempla. Atque nuper *Blasius Vadovius* Cœnobii Vieruszoviensis, ejusdem Paulinæ familiæ Moderator, *Georgium Eichner*, & *Arentium Lukman*, Sueticos Præfectos referentes audivit, ab eo sedulò inquirentes: ¶. *Quænam*, inquiebant, *est in vestro Monasterio Częstochoviensi saga, quæ cæruleo amicta velo sæpius egressa Monasterii muros obambulabat, quandoque super illorum fastigia residens ad cujus aspectum multi Nostratium concidebant exanimes, ita*

Hostium testimoniis probatur.

ut ea prodeunte, vultum demittere ac operire oculos debuerimus. ✎ Hæc juratus *Vadovius* postmodùm retulit, & passim id à Sueticis militibus evulgatum audivêre Nobilium plurimi, quos inter *Nicolaus Bielavius*, è legione *Venceslai Sadovii* oculatos *Virginis* conspectæ testes domi suæ habuit asserentes: ¶. *Mulierem cæruleo pallio vestitam sæpius prodiisse, contra quam, cùm duo milites Silesii, fratres cognomento Dudzicii, de Villa* Gerlachowa / *oriundi collimassent, uni illorum sclopus faciei ita adhæsit, ut à Chirurgo exscindi debuerit, alter toto corpore obriguerit.* ✎ Quod si &

Et à Mellero visa. ab ipso Militiæ Sueticæ *Vicario Generali* visam dicerem? certè testimonium à *Sanctimonialibus Divi Dominici* Institutum professis, Petricoviâ Częstochoviam submissum fidem faciet, quæ suis hæc exaravêre literis. ¶. *Dominus*

minus Mellerus diligenter, & attentè fuit contemplatus in Templo nostro, Imaginem Claromontanæ similem, & cùm aliquam parvam ejusdem exempli donari sibi Interpres illius petiisset, donatam ipse Mellerus ab Interprete accepit, inspectaque diligentius: ¶. *Nullo modo*, inquit, *similis est Virgini, quæ mihi apparuit, tormentum contra me manu suâ direxit & in terris, simili formâ videri, non est possibile. Cæleste quid & Divinum, quod supra modum exhorrui in Augustissimo ejus vultu reluxit.* ✎ Atque *hæc fama visæ* super muros *Mulieris* obambulantis, tormenta dirigentis, tela subministrantis, ab ipsis etiam emanavit *Suecis*, ubique sparsa, *per totam Poloniam* hucusque perseverat.

Et

Virgo Mater, prodigiis & miraculis ſemper clariſſima.

Et ego quidem ea refero *Prodigia*, tanto libentius, quo certior ſum nihil hìc accidiſſe novum, cùm ſemper ejuſmodi mira prodentem *Virginem Matrem* ſuccedens ſæculorum ordo viderit, maximo cum Orthodoxorum ſolatio. Quot illa peperit Victorias? Hinc illud cognomen iconibus Templis inditum à Chriſtianis: ¶. *Sanctæ MARIÆ de Victoriâ*, imò poſt devictos, debellatoſque *ope Virginis* Hoſtes, ejus *Imaginem* Aureo in Curru triumphantis adinſtar, magnis cum lætitiæ argumentis *Conſtantinopoli* vectam, ponè ſequentibus *Imperatoribus*, Græci Annales prodidêre. Quot Obſidiones ſolvit, Obſeſſiſque extremè periclitantibus adfuit, *docent Hiſtoriæ*, & *unica* apud *Bomeliam* liberati exercitus Hiſpanorum *Cœleſtis Imago*, non ſine gratâ in *Virginem* pietatis ſignificatione ad Poſteros emanavit: agnoſcentibus Hæreticis periculum, è quibus *Dux* Hollachius, ereptam ſibi victoriam è manibus lamentabatur, nullà, ut ajebat, Hiſpanorum virtute, ſed *ſolius Dei* nimis eo die ſe Hiſpanum profeſſi. Et hæc ipſa *Virginis*

Nicetas de Manuele Comeno. Curopalates de Joanne Homiſce. Sunt Authores, qui exiſtimant hanc Imaginem Clari Montis ab Imperatoribus vectam, dum Conſtantinopoli miraculis clareret. Strada libro. 7. Decad. 2.

ginis

ginis Matris effigies, cujus Claromontem Obſidione cinctum ſcribimus, exiſtens Conſtantinopoli, Urbi præpotenti propitia ſalutariſque fuit. Cùm etenim à Saracenis obſeſſa teneretur, jam penè ſuccubitura, cives verò jejuniis, orationibus dediti pugnarent, unus è Templo adferri illam admonuit, eique ab omnibus orationem in eum modum fieri: ¶. *Sancta Dei Genitrix, quæ toties nos liberaſti, libera nos modò de inimicis Filii tui, & in mari merge illos.* ❧ Audivit ſupplices, ſtatimque conſurgens procella, omnes naves Saracenorum, aut fregit, aut merſit. Jam verò petulantis linguæ audaciam, manus impiè intentatas quoties ultus eſt *Matris Filius*, rigore, ſtuporeque artuum, mutilatione membrorum, cæcitate, & turpi, probroſaque morte: Et ſi quid in hac Obſidione, prout retulimus tale accidit legentibus, non inſolitum à veteribus recentioribuſque patebit exemplis. Obſidebat *Hallas*, non ignobile *Hannoniæ* Oppidum, ubi inclytum eſt multa per *Bel-*

Vincent. Belluacenſis apud Spinell. & Caniſium libro 5. Cap. 24.

Lipſius in Diva Virgine Hallenſi.

Belgium fama *Cœlorum Reginæ* Simulachrum, *Oliverius Tempelius*, cùm è Calviniano grege unus militaris scurra abscissurum se mulierculæ, (ita scelestus vocabat *Virginem*) nasum minitabatur, vix hæc effutierit, ecce prætervolans globus nasum illi abripuit, monuitque, ne sacra naso suspenderet adunco. Clemens vindicta, quia in *Matrem Misericordiæ* inciderat, graviorem merebatur *ita volente Filio*, tulitque alter è gregariis Sueticis tenebris, qui cùm die suæ *Immaculatæ Conceptioni* dicato, purissimum Solem horrendis blasphemiis obfuscare nititur, redeuntem è pago *Thomæ Przerembscii* ad castra, interque fætentes buccas adhuc turpissima convicia ruminantem tormenti globus discerpsit, & quanquam à libratore aliò destinatus esset, è terra, capto impetu hanc infestus, *Virginis honorem vindicaturus*, petiit metam.

Simile planè exemplum leges de Ryssel-mano in obsidione Hallensi apud Lipsium citatum.

Verum quanquàm hæc deessent miracula, quæ tamen jam publica circumtulit fama, hostiumque ipsa confessio probavit, unicum satis esset, inter tot decumanos fluctus agitatam, oppressamque grandi procella *Poloniam*, hunc unicum *Virginis Montem* immobilem stetisse, Suecorum aspernantem potentiam. Et quidem nullis fultum auxiliis, desperatisque, tum verò à paucis insessam præsidiariis, Centum, videlicet Sexaginta peditibus, Quinque Nobilibus Polonis, exiguoque illorum comitatu, à Monachis Septuaginta, quorum plerique ætate provectiori, imparesque militiæ fuêre, aliis tunc primùm bellare discentibus, nec par omnibus bellandi animus: quippe solitudo Religiosa, exercitia, vitæ Monasticæ Institutum, Martialem spiritum non admittebat. Hinc pavor, consternatio, ad unius tormenti fragorem trepidatio, mox desperatio aucta ab aliquibus Polonis, ridentibus Patrum constantiam, objicientibusque Cracoviæ, aliarumque urbium deditionem, tum totius Nobilitatis Regi Sueco subjectionem, nec sine cavillis quandoque interrogantium, An Otthomanica auxilia Patres expectarent? Et quanquam illi sæpius titubarent, metuque invalescente deditionem urgerent; attamen à Sacrificiis, precibusque au-

Clarus Mons miraculosè ab hostibus servatus.

audaciam resumebant: sperabant namque *propitium futurum Deum*, cujus cultum ne mortis quidem metu prohibiti desererent. Hostis verò insperatus discessus *eximiæ benignitatis Divinæ indicium* fuit: Namque non minor erat Novem millibus Exercitus, Machinarum ad quatienda mœnia copia, ceteraque ad instituendam oppugnationem necessaria suppetebant, Dux belli Clarus, expertusque proinde tam repentinus ipsius abitus, non ab humano, uti videbatur, sed à cœlesti impulsus monito provenire debuit. Et cum permultos militum ea Obsidio, quam reliqui detestari, execrarique solebant, absumpsisset; mulctatum ignominiâ *Sacri Loci* aggressorem Ducem *Virgo Mater* dimisit, tanto majori animi cruciatu semper plectendum, quantò acerbiorem plagam existimationi suæ inflictam, ab uno Cœnobio haud probè munito, Monachisque Vir militaris accepisset.

Mellerus iteratò Clarummontem aggredi vult.

Atque exasperata illa multoties fuit ab exprobratione Militiæ Sueticæ Præfectorum, fortasse & ab aliqua Regis indignatione;

ne; proindeque deperditi honoris, famæque jacturam reparare volebat. Jamque tria millia militum secum trahens Comite Wrzesczevicio & Sadovio suis cum turmis evocatis, Calissio moverat, perveneratque ad Wilkowieckum pagum tribus milliaribus Częstochovia distantem, quarto Kalendas Februarii, unde Sadovius *Kordecium* familiari compellat epistolâ, deque adventu Melleri addidit (fortasse ad terrorem,) & Duglassii; sed falsò, nuntiat, idque Regis Sueciæ mandato, qui cum Duce Prussiæ negotio ex animi sententia confecto, omnem suo imperio subdi Poloniam vellet; maleque illum haberet, nupera Civitatis Vieluniensis ab aliquibus Polonorum turmis invasio; quæ ut Claromontanorum instinctu facta fuisset, ita ibidem invasoribus suum receptum præbuissent; proinde seriò se hortari, ne latronibus hisce perfugium præberent.

De cujus adventu Sadovius Kordecium certiorem facit

Datis in Wilkowiecko 29. Jan. 1656.

Quod si verò Patres protectionem Regis Sueciæ ambirent, venirent magnâ cum fiduciâ Krepicium, non exiguum adventus sui fructum à Vicario Generali relaturi. Quod si

contumaces esse vellent, pedites cum tormentis mox admovendos Cœnobio, scirent.

Quingenti Equites Sueci versus Clarum Montem procurrunt.

Literas Sadovii sequitur agmen quingentorum equitum explorantium, quid in Claro Monte & circumquaque vicinis locis ageretur, & an aliquæ Polonorum laterent copiæ? fortè fortunâ incidunt in triginta Equites Polonos, à Claromontanis versus *Oppidum* **Kłobucko** / speculandi causâ emissos, qui tanto impares agmini; referunt sese, perque sylvas eluctati in patentem campum Cœnobio vicinum hostem insequentem deductum tormentis objiciunt; qui globis aliquot è Septentrionali propugnaculo emissis, parvâ clade affectus, fugam arripuit; eaque ut expeditior esset, sarcinis etiam abjectis, terrorem de adventante Polonorum exercitu ad suos Duces ferens; qui motis signis Velunium sese trepidi recepêre.

Fugiunt, & Duces suos in fugam trahunt.

Occasio adventus Melleri Zegocius & Kulessa.

Neque ego existimaverim iteratò Clarum Montem accessisse Mellerum obsidendi aut oppugnandi causâ; etsi id Sadovius jactaret; sed evocaverat illius copias recens præsidii Suetici Velunii clades illata cum ducentorum militum interitu, ductoribus *Christophoro Zegocio* Præfecto Babimosten. & *Stanislao* **Kulesza** / accendente vindictam Wrzesczevicio: qui ibidem penè captivus tenebatur, ni prædabundi militis licentia & aliqua forsitan præpostera æmulatio, integram victoriam corrupisset. Inde verò ambo Equestrium turmarum Præfecti Claromontem concesserant, & *Zegocius* maximè petebatur ob necem *Lantgravii Hassiæ Costeni* perpetratam, quâ de causâ à Suecis tanquam publicus Sicarius proscriptus erat, præmio ejus occisori decreto. Atque Mellerus illas Polonorum copias, & si quæ adhuc comparerent, (jam enim Polonia lacertos movere incipiebat,) intercepturus veniebat, sed ne Clarum Montem iterùm videret, utque repetitâ ignominiâ ad famam Poloni exercitûs, qui nullus erat, Krepicio sese festinus ejiceret, id Divina effecit clementia. Nec amplius in Polonia Regi Sueco militasse postmodùm fama tulerat; non quidem Regis deserta militia, aut renuntiato obsequio; sed fatalem sibi

ſibi locum averſatus, in Pomeraniam ſeceſſiſſe dicebatur, feliciùs alibi, quam in Regno Poloniæ ſtipendia facturus.

Wrzeſczevicius iterum Claro Monti inſidiatur.

Non quieſcebat tamen *Wrzeſczevicius*, & poſtmodùm binâ excurſione Monti Claro inſidiabatur, ac primâ quidem Kuleſſii Equeſtrem turmam ſubitò oppreſſurus, pridie Kalendas Martii mediâ nocte in Oppidum Częſtochovienſe irruperat, ſed Kuleſſiani ab excubiis moniti, ſub muros, propugnaculaque Cœnobii tempeſtivè ſe ſubduxerant, tormentorum patrocinio tuti. Wrzeſczevicio ultra progredi non auſo. Alterâ jam audacior videri volebat, contraque Cœnobium proceſſerat; ſed à trecentis Polonorum Equitibus repreſſus, triginta ſuorum deſideratis, maturè receptui cecinit; amplius Clarum Montem non viſurus. Atqui in eo conflictu *Petri Czarniecii*, animoſa virtus enituit, qui in hoſtilem invectus aciem duorum Præfectorum militarium ante ſigna procurrentium cæde, aliorum reſtrinxit furorem.

De Claro Monte fictitiæ hoſtium literæ.

Irrita *Clari Montis Obſidio* permultùm detraxiſſe Suecorum famæ videbatur: quandoqui-

Datæ. 21 Maji, 1657.

quidem poſtmodùm *fictitiis literis* alibi impreſſis eam reparaturi, Clarum Montem à Rege Sueciæ expugnatum fuiſſe exteris nationibus impoſuerint.

Poſſem hìc ad longum referre fabuloſum hoc *Scriptum*, ſub titulo Suetici Præfecti Częſtochovienſis evulgatum, ni impoſtura jam *Orbi Chriſtiano nota* eſſet. Longa ibi victoriarum ſeries continetur, deque cæſis Polonorum Viginti millibus, Lubomierſcio fugato, Czarniecio ſaucio, innumeræ nugæ, mendaciaque ſparguntur. Cum tamen nullus unquam conflictus fuerit, & Rex Sueciæ conjunctis cum *Rakocio* copiis, tranſmiſſo *Viſtulâ*, *Zamoſcium* aggreſſurus, fortaſſe Vitembergii ſui inde educendi causâ, tendebat, quo ne quidem tentato, niſi per unius proditoris literas, ad loci Dominum miſſas, *Breſciam* Lithuaniæ urbem versùs deflexerat, eaque proditione interceptâ, *Rakocio*que traditâ, cum per Aprilem, Junium, per aliquot Palatinatus exercitum circumduxiſſet, Coſacis & Hungaris, immaniter flammâ, ferroque ſævientibus, tandem ad *Varſaviam* re-

V   licto

licto suis cum copiis *Rakocio*, ipse Thorunium, mox inde in Pomæraniam abiturus concessit.

Ad Magierowiam, Kulikowiam. *Rakocius* verò domum repetiturus in Russiam properavit, ubi à *Czárniecio* ternâ affectus clade, compulsusque ad pacis consilia, mox ab irruentibus Tartaris exercitu, quà deleto quà in servitutem abducto, temerariæ invasionis, parumque prosperè cum Suecis initæ armorum societatis, pœnas luit.

Et à *Lubomierscii* animosâ in *Transylvaniam* excursione bonorum, fortunarumque excidio multatus est. Viginti millium Polonorum cladem, tres belli Suetici anni, non facilè computabunt, nescio, an quinque millia ferrum Sueticum absumpserit.

Ineant jam Sueci rationes & unius tantum medii anni, numerent cadavera, & quidem præstantissimorum militum bellisque Germanicis exercitatorum, tum & militiæ Præfectorum integros se amisisse exercitus probè deducto calculo videbunt. Nulla tamen hinc Polonorum jactantia, qui unicum liberatorem *Deum, ultoremque* supplices agnos-

agnoscunt & venerantur, cum tamen Regiomonti, Elbingæ, Stetini, & alibi terrarum fictitiis Polonorum cladibus impressæ schedæ circumforaneorum per compita vociferantium raucedinem provocaverint. Nec sunt questi Poloni suâ nixi innocentiâ, de famosis libellis, mendaciis, calumniis: similem querelam deposuisse Regem Sueciæ apud Gedanenses legi, in ipsius epistola, sed à fidelissima Civitate in elegantissimo responso ita excusatam. ¶. *Prodierunt sanè* quæ vocantur *Novellæ*, de variis eventibus, sæpe non absque favore partium; aliquando, contrà quàm se res haberent, sed neque nos illas procudimus, uti ipsa Regia Majestas Vestra per se satis intelligit; neque prout nunc sunt tempora ordinarii Magistratus, commodè ea mutare, quæ ita fiunt

Rex Sueciæ conqueritur per epistolam ad Gedanenses de falsa impressione novorum. Data Stiblo-viæ 14. Maji. 1656. *Respondent Gedanenses.*

fiunt, aut prohibere poſſunt geſtientibus vtrinque partium faventium animis, quod ipſi optant, aut cupiunt, ſparſis rumoribus præſumere, affectumque ſuum declarare. Id quod *palàm notum eſt, Elbingæ, Regiomonti, Stetini, toto die fieri.* Sed jam bella ita conſtant, ut cùm milites armis, ceterorum in diverſas partes animi abeuntes favoribus certent, & ut vaframentis ſtratagematibuſque hoſtes ſeſe mutuò conficiunt, ita illi falsâ quandoque novorum proſeminatione & famam augent, & partium favorem, aut deprimunt, aut accendunt, ludicram, acrem tamen quandoque pugnam exercentes.

Magna Dei Matris beneficia ſolutâ obſidione Clari Montis expenduntur.

Sed me altius progreſſum occaſione fabulæ *Loci Sacri* expugnati iterum revocat admiranda Cœleſtis benignitas; quæ *Dei Matris ope*, ex hoc Monte *univerſæ* affulſit *Poloniæ*. Poſteaquàm enim hoc *Poloniæ Capitolium*,

tolium, non abſque miraculo, prout retulimus, *Regni totius* ruinæ ſuperfuiſſet: inde *Deipara Regina Poloniæ*, è *Regali ſuo Solio*, exorato, placatoque *Filio* ſubitò *ſuum* exeruit *Imperium*, redditura mox *Patriam*, *&* *Victoriam*, & antiquum belli *decus* amiſſum.

Ac inprimis damnatâ pactione, quæ inter Regem Sueciæ & Quartianæ militiæ Duces, ab inferiore juris Magiſtratu facta fuiſſet; Patriam ferro recuperare jubet, inditâ cœlitùs *Ductoribus* mente, qui tertio à ſolutâ *Clari Montis* Obſidione die *Tyſſoviciis* arctiori ſeſe fœdere, unà *cum milite Nobilitateque* conſociant, tabulaſque fœderis *conficiunt*, *Joanni Caſimiro*, *legitimo Regi ac Domino*, ſubtractum iniquè ſupplices reſtituunt obſequium: Regem Sueciæ hoſtem declarant, ſolum Patriæ deforme bello, & omnia quæ defendi, repetique ac ulciſci fas eſt; ſibi mutuò ſpondent. Et hoc illis proveniſſe deſuper *Spiritus*, *Matriſque Dei inſtinctu*, argumento eſt. Inter mutui vinculi cauſas, repudiatæque protectionis, hæc prima Regi Sueco

Confœderatio Tyſſovicen: 29 Decemb. 1655. Tyſſowce Oppidum.

 ob-

Repudiati Regis Sueci causa oppugnatio Clari Montis.

objecta: ¶. *Basilicam Częstochoviensem non in Patriâ duntaxat, sed per orbem Christianum votis*, & piis peregrinationibus celeberrimam, aliquot millium exercitu cinctam, sacrilego ausu oppugnat, & mœnia tormentis concutit; diripiendi causâ thesauros; *Dei cultui* sacros: atque ut diruto hoc *in Deum & Sanctissimam Matrem* pietatis nostræ fundamento, ausu majori ad eliminandam prorsus *de Regno fidem Catholicam*, progrediatur, & in ejus locum introducat homines peregrinos, novis & diversis inter se de religione opinionibus *tumultuantes*. ☞ Audito fœdere & reliquæ Quartianorum legiones, quas Rex

Sue-

Sueciæ in Prussiam duxerat, pari tractæ religione, cœlestique monito, Obsequium per epistolam ad Regem Sueciæ compositam, transmissamque, renuntiant, redeuntque ad suum *Principem*, reditus causam iis assignantes verbis: ¶. *Nunc redeunte Serenissimo Rege, Domino nostro Clementissimo, non tantùm datæ Electo, per nos & Coronato Principi, fidei memores, verùm etiam gravioribus violatæ Religionis & Libertatis compulsi injuriis, eâdem fide ductrice nitimur.* ☞

Ex literis ad Regem Sueciæ datis è Biata Podlachiæ Oppido, 20 Januar. 1656.

Hujus *Montis* defensi *miraculo* excitatus *Joannes Casimirus Rex; cœlesti fretus*, fidensque auxilio, feliciter è Silesiâ *redux Crosnam*, pòst *Samboriam*, deinde *Leopolim* advenerat, ubi hostibus iturus obviam *in Templo* Urbis præcipuo, ante Aram *Principem*, *voto solenni emisso*, se, suaque Dominia *Virginis Deiparæ cultui*, *Patrocinioque mancipavit.* Erexit prostra-

Rex Casimirus Leopolim venit, se, Regnaque sua Virgini Matri mancipat.

tam

tam humili prece Majestatem, pedibusque *Reginæ Cœlorum* advolutam, *propitius Filius*: observatumque est ab illo tempore *fortunam* Suecorum retrocedere incepisse. Namque ubi Carolo Gustavo, Sueciæ Regi, adventus *Joannis Casimiri Regis* innotuit, summâ celeritate tracto auctoque exercitu è Prussiâ in Russiam cursum direxit; ut & *Regem* coalescentibus viribus, necdum validum, opprimeret, & Quartianorum Militiam, cui aspera minitabatur, veluti fugitivam, interciperet. *Primumque* experimentum *Polonæ virtutis* ad *Golebium* habuit; inde *Zamoscium* Civitatem munitione firmam progressus, tentatâ deditione, deinde expeditis tormentis in cassum oppugnatam, reliquit; tum verò *Leopolim* adire non ausus, *Præmisliam* versùs iter flexit, ad quam, acceptâ clade, *Iaroslaviam* signa promovit, tergo inhærentem, ubique habens *Stephanum Czarniecium* feliciter agmina ipsius profligantem. Tandem mutatis sæpius castris, cum propè *Sendomiriam* ad *Vistulam* magno obnoxius periculo, (si interea fata *Patriæ* plenam felicitatem com-

Regis Sueciæ fortuna retrocedit, ubique cum ipsius clade.

commodassent,) consedisset, cum exercitu crebris cladibus valde imminuto, simulque tot adversis conflictatus; *Varsaviam* Aprili medio, inde in *Prussiam* profectus est.

Maximè verò Clade *Varecensi* consternatus; namque *Stephanus Czarniecius*, Castellanus Kijoviensis, audito Raitrûm copias, à recenti in *Germaniâ* delectu eductas, *Duce* Marchione *Badensi*, in subsidium Regi Sueciæ adventare; quibus & aliæ Suecorum turmæ è præsidiis, stativisque detractæ, se conjunxissent: statuit, antevertere properantia auxilia, ipseque festinato itinere, transmissoque nando fluvio **Pilcá** / ad Oppidum **Warká** / hybernis aquis aucto, intumescenteque, hostem aggreditur, dissipat, cædit, fugientem insequitur, & fugam ad octo milliaria extensam *Varsaviam* usque cæsorum cadavera, equorumque monstravêre: tandem ad satietatem cæsis, deletisque aliquot millium copiis, (quatuor fuisse constitit,) signis relatis, maximum equitatus robur, magnamque ab accessoriis viribus spem,

Ad Warkam exercitus Sueticus profligatur à Stephano Czarniecio, Castellano Kijoviensi.

ſpem, nec tam properè reparandam Regi Sueco detraxit.

Minoris Poloniæ Nobilitas ad ſigna evocata confluit.

Et jam *Minoris Poloniæ Nobilitas* in armis erat; cujus animatæ, evocatæque *ad Obſequium Regis*, *Georgio Lubomierſcio* fidei erga *Regem*, *Patriamque* præclaro Regni Marſchalco, non poſtrema debetur gloria; omneſque velut ad commune incendium convolabant, ceteros ſuo exemplo tracturi. Ita

Dies reſurgentis Chriſti univerſæ Poloniæ lætiſſimus.

cum *Reſurgente Chriſto*, revixit *Poloniæ Libertas*; qui ubi ſubactis inferis, *Victor* trophæa explicuit; quaſi ad attactum *ſui glorioſi Vexilli*, *Regem*, univerſamque *Nobilitatem* admiſiſſet: ita mox explicata *Polonorum* ſigna, feliciter emicuêre. Nec ſine aliquo futuræ, redituræque felicitatis præſagio: ſiquidem is, qui ordinem Divini recitandi Officii, pro Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, Quinquageſimo, Sexto, *Clero Cracovienſis Diœceſis* præſcripſerat, cùm *ad feſta Paſchatis* annotanda veniſſet, ultrà conſuetum morem adjecit. *Dominica RESURRECTIONIS & VICTORIÆ.* Atque *HOC* additamentum verbi *VICTORIÆ*, etſi pleriſque

riſque admirationem peperiſſet; nunquam aliàs apponi ſolitum: tamen à meliori genio profectum fuiſſe *eventus docuit*. Scribentis Calamo *fatidicum* immittente *ſpiritum*.

Sed hæc, & quæ poſtmodùm in Polonia geſta ſunt, uberiori, accuratiorique *Scriptorum narrationi* relinquo: mihi verò hæc paucis attigiſſe ſufficiat, *occaſione Clari Montis*, à Suecorum exercitu *Obſidione cincti*, indeque promanantis ſingularis *Magnæ Dei Matris* Beneficii *univerſæ Poloniæ* collati: Quod quamdiu *venerabunda* agnoſcet, quamdiu debito, ſingularique proſequetur cultu; tamdiu *duraturi Imperii Divinum pignus habebit*, nullaſque Conjuratorum Hoſtium metuet phalanges, *à Clypeo Clari Montis* MARIA protegenda.


יהוה


ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO
CASTELLANI LEOPOLIENSIS
MILITARIA.
IUSTITIA DUCE ET PIETATE
ARMORUM MAXIMA
ARMORUM NECESSARIA
PRUDENTIA
ARMORUM ALIQUA
Præsidia
Pacis
non irrita
menta.
AMSTELODAMI
in Bibliopolio Forsteriano
Sumptibus Viduæ Secretarij Wistenhof Hæredis eÿ Bib.
Cum Privilegio S. R.M. Poloniæ & Sveciæ.
A. Stech delin.
Bensheimer sculp.

ANNO 1668

ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO CASTELLANI LEOPOLIENSIS

MILITARIUM,

SEU

AXIOMATUM BELLI

AD

HARMONIAM TOGÆ ACCOMMODATORUM

LIBRI DUO.

Acceſſère minutiora quædam, ejuſdem Authoris ſcripta.

Laus uni, in Sanctissima Trinitate DEO,

Et uni

Virgini DEI Matri Honor.

ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO CASTELLANI LEOPOLIENSIS.

MILITARIUM,

SEU

AXIOMATUM BELLI AD HARMONIAM TOGÆ ACCOMMODATORUM

LIBRI DUO.

Elenchus Punctorum LIBRI PRIMI.

Elenchus Punctorum LIBRI SECUNDI.

Consilium rectum, bellanti, hic Liber promptè dabit.
Animum, Audaciamquè, *tùm* Vires, *nisi habeas ipse, non dabit.*
Naturæ & fortunæ, non librorum, dona sunt.
Utiquè, monitu meliorum, ac præceptis, horum etiam regula, & initia, dabuntur.

ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO
CASTELLANI LEOPOLIENSIS

MILITARIUM,

Ad Harmoniam Togæ accommodatorum,

LIBER I.

Proloquium.

NOtationes meæ, quas nuper publica lux aspexit, non insufficientèr suggessisse visæ, monito militari, quæ incipiendo, gerendo, & finiendo bello, opportuna; Sed cùm, pro varia bellandi ratione, momenta rerum expenderem singula, en iterum, velut novas justæ militiæ regulas, longior rerum praxis, veriùs per modica suggessit, quàm ut ego scriberem studiosè. Idquè non eam ob causam annotavi, ut hæc mea, ad forensem Lectorem deferrentur, sed ut mihi soli, meisque (si DEO placet) usui Reipublicæ succreturis filiis, legendo servirent. Vos ego *carissimi filii*, monitos velim, ut hæc mea, sanâ mente, atquè ideò, recto sensu, accipiatis, nihil enim tàm cautè, tamquè rectè scribi potest, quod non retorquere in devium, ma-

malignitas possit, nequè satis, optimus quisquè scriptorum provideat, aut caveat satis, eam animorum pestem, si præsertim incurrat in Lectores, qui non ut apes in floribus, sed araneæ sunt, sic illi, venena tantùm exsugunt verborum. Quomodocunquè hæc mea, quisquè interpretatus fuerit, penes eundem sit. Ego testor Deum & conscientiam, me non accendere, novas belli faces, nec quemquam irritare, in arma impia; verùm, (uti omnia soleo) ad gloriam DEI, hæc direxi, ut justis armis, sit suus ordo, tùm nè bellum, extrà harmoniam *togæ* fiat, à qua plerìquè bellatorum absunt, dùm militiam colunt, *Togam* contemptui habent, Castris boni, *Statui* periculosi, pacatorum, ac præsertim *Civilium* ignari, eoquè, pro ferocia insolentes. Spero verò, defensioni S. Romanæ Ecclesiæ, hæc mea aliquando profutura, ad quam vos *Filii mei*, Togâ & Bello, pro posse tuendam, studiosè voco, aut non facturis, saniorem mentem precor.

PUN-

PUNCTUM PRIMUM

DE

POTENTIA POPULI.

POTENTIA RERUMPUBLICARUM VERSATUR

Circa Authoritatem populi, Populositatem, Privatorum fortunam, Annonam, Arma, Armorum exercitium, & Ærarium publicum.

PRIMA PARS

POTENTIÆ RERUMPUBLICARUM,

Authoritas.

AUthoritas populi parit æstimationem genti; difficultèr iis adversamur, quos æstimamus. Romani, postquam imposuêre suis rebus opinionem, timebantur potiùs, quàm timebant, arbitri fœderum reliquarum gentium, suarum rerum securi.

Authoritatem genti parant.

IUvat instaurari publica gymnasia, bonis magistris referta, honestis artibus ut imbuant juventutem populi, Reipublicæ dignitati & commodo, parandis ingeniis, decorâ morum honestate imbuendis.

Publici Historiographi habendi, rectâ prudentiâ, acta gentis, bonaquè Civium nomina, posteritati transmissuri ad gloriam, ignavorum ad reprehensionem, indè bonis calcar ad meliora, malis ad pejora frenum, amore gloriæ, vel metu ignominiæ. Posteriora super

hæc

hæc tempora populi, erudiuntur, ex anteactis præteritorum, quid in præsens mutari, quid corrigi debeat; quid antea successit in pejus, quid in melius. Nec sua tantùm scire, sed externa nosse profuerit. Prout (nè loquar altiora) parandæ rebus in humanis experientiæ arcano, Occidentalibus populis usitatum, ut è diversis partibus orbis, rerum gestarum, diurna nova, passim impressa, per urbes, legenda, venum-exponant, quod in nostra *Polonia*, summo in publicum fructu, hodie (miror cur *Cracoviæ*, & *Varsaviæ*, nec alibi passim) usurpari cœptum; Licèt quidem rarò vera scitu, populo ferant, *fabulam utique habere partem veri.* Quo verò in numero commodorum reponatur, cùm nomina Provinciarum, locorum, urbium, personarum, series deindè temporum & rerum, velut à præsenti & practica Historia, sensim mentibus imprimuntur. Exindè animus, ex obscuro ignorantiæ in lucem prodiens, seipsum noscit, dediscit ignaviam, incipit liberiùs spectare suum cœlum, & subjectum orbem, immò, aliena mirari desinit, dùm sensim alta spirare contendit. Non cuilibet præterea vacat peregrinari, aut in Historiis antiquorum versatum esse, prosit saltem præsentem Historiam nosse, à condimento novæ curiositatis, non ea tantùm, quæ circum se videri, aut manu è proximo palpari possunt, sed in ulteriora porrigendo mentem, velut in orbis speculam ascendere, resquè gentium spectare, & de iis judicare, sibi quoquè, quod sequendum, quod vitandum, statuere. Nec causam reperio, quare in Occidentalibus populis, urbanum vulgus, sapiat supra vulgi nostri ruditatem, quàm, dùm quæ in orbe fiunt, beneficio tabellariorum, huc illuc commeantium, & novorum, passim per fora narrentur; hìc, eâ commoditate sciendi sublatâ, extra pomeria sua, mens vulgi sese extendere vix possit, & sciat.

Vestitus gentis (dùm modò comptus) item mores Patrii, si cum honesto conveniant, extra Patriam, constantèr, pro authoritate gentis retinendi, mutati, arguunt inconstantiam, aut exprobrant inhonestatem. Ideò, exotica sine admiratione spectari, sua retineri, immò æstimari oportuerit, ut exteris imponatur, nobis nostra esse meliora. Nam verè, gentium ritus, non prout sibi per honestatem insunt, sed quantùm populo imponitur, ut repudiet vel

vel sequatur, æstimantur. Hispani, nusquam in peregrinorum mores migrant, quod non superbiæ, sed attribueris prudentiæ, qui sua constantèr retinent, dùm sunt honesta, nequè simias agunt, exoticorum incuriosi. Summè datum gravitati nostri Ossolinskii, ad Urbanum VIII. Pontificem legati: priscam enim Romanorum gravitatem, in urbem reduxisse visus, cùm vestes Polonorum (togæ in morem) talares, cùm morum masculam gravitatem, nihilquè molle, aut effeminatum, in Polonis Roma intueretur. Approbavit cultus honestatem Pontifex, cùm intra colloquendum, prehensæ per laciniam, Ossolinskii veste, *Tali habitu olim gravitas vestiebatur Romana;* subjunxit.

Lingua gentis ubiquè retinenda. Romani, teste Valerio Maximo, Græcis Oratoribus (quorum idiomate cùm familiariùs uterentur) Latinâ linguâ, responsa dabant. Multò magis, legatos suos, Latinè apud exteros loqui volebant, *quò magis Latii sermonis honos, venerabilior apud omnes gentes haberetur.*

Valet ad authoritatem, leges & decreta, suâ linguâ dictare. Historiarum libros, & varias artes, eâdem linguâ in vulgus tradi, ac in majus pretium linguæ, nonnisi fieri à peritissimis. Tamen, parte ex altera, intuitu Latinarum artium, non improbaverim Polonorum morem, juris communis processum, tùm Decreta, sermone Latio proferri, in necessitatem Polonæ pubi, scholæ altioris, & studiorum.

Nobilitas gentis, non facilè alienigenis concedenda, aut saltem, multâ virtute ematur. Augustus Cæsar, *Liviæ*, pro quodam Græculo, civitatis jus petenti; *Se potiùs tributa homini condonare, nolle tamen, civitatis Romanæ vulgari honorem;* respondit.

Externorum honores, aut connubia, nè cives ambiant, immò rariùs peregrinentur, sua sibi sint omnia cariora.

Litigantibus exteris Principibus, arbitrum pacis, populum interponere, ad mutuam pacem adhortari, bona suadere, servit pro authoritate.

Mechanicæ artes, & instrumenta, tùm opifices, non ab externo petantur solo, sed in sua terra publico erudiantur sumptu, Nostra terra hæc aliis dùm submittit, eò màgis, in æstimationem vicinas gentes trahat, quò màgis servit in necessitatem. Quæ vero in

rò in propria terra nasci, aut fieri non possunt, exoticis rebus, quoád possibile, non utendum, sed nativo terræ genio, & donis populum accommodari, in rem fuerit.

Procuret Respublica modos, provocando ingenio, tùm virtuti civium, quâ crescit facilè, & orbi fit non ignota.

Injuriæ populi, externo Principi non sunt facilè condonandæ; nec communis populi tantùm, sed personarum. Romani, pro sui populi authoritate, animosi, victis Græcorum civitatibus, excidium dùm condonassent, aliquam omninò deleverunt, Romanorum hospitum quondam ob injuriam.

Externo Duce & milite non utendum, nè virorum prudentium, aut bonorum militum inopem se Respublica prodat.

Non facilè permittendum, militem ad exteros colligi, potiùs spontè submittenda auxilia, cum suo Duce, nè turmatim nostri exteris immisti, infausto successu belli in commune, sibi adscriptum ferant. Tùm quia faciliùs subsidia retrahuntur (si res suaserit) sub certo Duce missa.

Bellum nonnisi justis de causis suscipiendum, ac *sine flagitiis, licentiaquè militari gerendum.*

Fides etiam hosti servanda: *Si fidem frangere fas est, dare est nefas: aut servanda, aut non danda.*

Legati gentium cum authoritate habendi.

Ad omnem honestatem sit accommodatus publici collegii locus.

Legati ordinarii, (vulgò *Residentes*) apud Principes extraneos, rariùs habendi. Non modicam partem Majestatis, Turcarum Princeps sibi vendicat, gentium legatos, apud se ordinariò cùm habet, sui verò delegati nusquiam, aut raró visuntur.

Multorum Principum fœdera tenere, in clientelam populos, aut Principes recipere, Vicinis, sociis, & miseris opem ferre, justitiam omnem (præsertim fœderum) amare, nulli ut vicino injuria inferatur, providere, parit genti authoritatem.

Legati ad exteros ituri, prudentes, honestæquè gravitatis mittantur, ut pro gloria gentis, tùm pro loci honestate, laborare sciant. [*Qualem in Ordine locum, Polonorum legatus sibi asserere debeat, in Notationibus suggessi.*]

Quod primùm dixi, nunc ultimum statuo, & maximum. Quolibet

bet triennio, Reipublicæ ab authoritate, ut fiat revisio publicæ scholæ, super methodo instruendi, & diligentia; Doctores, studiosos, libros advertendo. Multa, prudentiâ doctorum, & dexteritate docendi (si non remittatur) multa, probatorum Authorum lectione, præstari; Rhetor, Historicus, Philosophus, dein Mathematicus, Jurisperitus, seu legatur Theologus; vel prout togæ, sago, curiæ, Divinis, parantur ingenia. Adsit deinde studii honos, provocandæ ingeniorum æmulationi, proponantur laboris præmia, quibus sublatis, pereant studia, ut minùs decora, sed immò tristia, longa, onerosa. Tales per omnia habitura Respublica Cives, quales instruuntur juvenes. *Rempublicam in schola qui maturè non discunt* (velut non insciéntèr quidam) *in Republica scholam, serò habere incipiunt, versutiam scientiæ loco assumunt, cavillationem doctrinæ.*

A L T E R A P A R S
POTENTIÆ RERUMPUBLICARUM,

Populositas.

JUsta Dominorum imperia, retinent populum, immò augent Provinciam, prout secùs gravia, eam diminuunt. Meritò observatum tulit Franciscus Guicciardinus, in Historia; Pisanos, Florentinorum Dominium pertæsos, sumptus, pericula, & extrema belli (non viris modò, sed mulieribus, pro muris & libertate, masculè pugnantibus) constantiùs pati maluisse, alterius dominio se committere cupidiores, quàm ut sub jugum Florentinorum redire, necesse haberent. Dubium, an non eadem causa, rebellium contra nos armorum, & obstinatioris belli *Kosacorum*, dum graviùs se habitos querulantur, nec spontè fidenterquè, sub dominium redeunt, ex memoria præteritæ (ut illi ajunt) servitutis.

Copia annonæ (proindè agricultura) artes Mechanicæ exquisitæ, bona educatio prolis, crebra Matrimonia, Coloniarum deductio,

ductio, adſcriptio extranei populi, adjectio vicinorum, populoſam reddunt Provinciam. Item victæ Civitates aut Populi, in unum ſi coëant corpus, (*non victorum, ſed concivium nomine*) communicatione legum & indigenatus; Indè ex populoſitate, dives ærarium. Sic Romani, Sabinos, Volſcos, Campanos, Hetruſcos. Sic Poloni, ſocios populos, Ruſſos, Lithuanos, alioſque, Patriis legibus, quaſi civitate donarunt, ut tot diverſi populi, quaſi una gens ſimus, nec ſciamus amplius, eſſe ſeparatim. Secùs olim *Athenienſes*, & *Spartani*, victos populos, non ut concives, ſed velut ſervos habebant, *Non igitur in magnam gentem, aut vaſtum imperium crevêre.*

Tuta aſyla, externorum exulibus aperiantur, ut Romulus, condendo Romam fecit. Aut immunitas certi temporis, à tributo offeratur ad te migrantibus ab externo.

Deductio Coloniarum, auget Provinciam. Inſimul habitantes, premuntur infectione, paupertate, incommoditate, undè non creſcit multiplicatio, ob rariora Matrimonia, quæ ab illis impedimentis obveniunt. Exindè veteribus Romanis, non modò propagando in majus Latinorum populo, verùm retinendis populis, à deductione coloniarum, ars erat potiſſima, dùm opportuniora loca, & novas ſedes, inſiderent. Sed maximè, victoriæ fervore (quò molliùs utcunquè res acciperetur, dùm atrociora ac cædes metuuntur) pulſis ſtudiosè oppidorum colonis, in paratas domos, ſcripti egentiores Romanorum, cùm mitterentur, dictis à ſenatu Præfectis, deducendæ Coloniæ; undè cultus Romanus, lingua, fides erga principem Rempublicam, in remotas gentes extendebatur, ſimulquè urbs Roma exonerabatur plebe inutili, tum otioſâ. Nobis etiam Polonis, retinendæ ulterioris Ruſſiæ, modus coloniarum, quid obſit? præſertim è fidelioribus Polonorum, Patricii, plebeiique ordinis, catholicæ fidei cultoribus, verſus Boriſthenem, novi coloni, paſſim in arces & oppida, ſi tranſmittantur.

Verùm Hiſpania (propter diutina bella, viris exhauſta) pro ſua populoſitate, maximùm laborat, variis modis Matrimonia provocando. Edictum enim. *Octavodecimo ætatis anno, qui uxorem duxerit*, quatuor primis annis, à tributo liber eſto; immò à die Matrimonii, liberam adminiſtrationem rerum habeat, cùm aliàs, poſt dictum annum uxoratis, diſpoſitio bonorum (aduſquè XXII. ætatis annum) non plena ſit. *Qui ſex mares*, ex una conjuge ſuſtulerit, ſextus, toto vitæ tempore, à tributi onere liber habetor. *Pauperibus fæminis* è publico dos aſſignatur. Interdictum pœnâ fiſci, nè quis cum familia, è Regno migret. *Omnes alienigenæ* (modò Catholici & operarii) qui migraverint ab externo, totâ vitâ, ab onere liberi ſunto.

Potiùs externi veniant, ad coëmenda noſtra, quàm ut noſtri vendant in externo ſua, indè familiaritate commercii & populi, multi extraneorum retineri poſſunt apud noſtros.

Duella penitùs abroganda, potiorem nam exhauriunt nobilitatem; Dolendum videre, juvenem audaculum, inſolentioremvè, nuſquam qui vidit caſtra, ex ſchola gladiatoria prodeuntem, inter popinarias contentiones, & luctas enutritum, gynæcei pullum, comatum, oleatumquè militem, quæſtionem fortitudinis ponere, provocando virum, filium caſtrorum, tot præliis victorem, immò vincere, non animi magnitudine, aut valore, verùm forte, & adſcititiâ corporis inter choreas exerciti, luſuſque agilitate; non ingenitâ, ſed irritatâ, & mero quæſitâ audaciâ, nullo deniquè publico bono, & poſthumæ memoriæ, verùm levioris dicti ſiniſtrè accepti, aut amorum mulierculæ, victimam cadere, fundi inutilitèr ſanguinem, Deo & Patriæ debitum, ambitioſo nomine, vocari magnanimitatem, inſolentis parricidii barbariem.

Pelliciendis extraneis, multùm valet, ſecuritas viarum, & commoditas hoſpitiorum.

Jube ut quiſquè miles, è peregrina Provincia, juvenem unicum, obſequii ſpecie, ducat, qui ſenſim in mores tuorum formati, ſuorum obliti, velut tui futuri, militari officio, apti reddendi, pro parſimonia populi.

Traduc integras familias peregrinas, in tuam terram, quò populoſior reddatur.

Commoditas ſit commerciorum, quod retinet incolas, allicit externos.

Societas Provinciarum (vel maximè urbium) prodeſt populoſitati.

ſitati. Quomodo verò provocetur? in altero punctо ſuggeritur, quod eſt de Ærario in univerſum.

Oppignorationes Civitatum vel Provinciarum (dùm oppignorata rarò reemuntur) abeunt in jus hæreditatis. Sic Poloni acquiſivêre partem Livoniæ, pro ſexcentis argenteorum nummorum millibus: (Anno Chriſti 1559, bellantibus Cruciferis, contra Moſchorum Ducem). Immò re ipſa, eodem anno, dulcore capti libertatis Polonæ, poteſtati Reipublicæ, ſe, ſuaquè ſpontè ſubjecerunt.

Taleros *vocamus vulgò.*

Ceſſit Polonis, in adjectionem populi, Electio Regis Vladiſlai Jagellonis, Magni Ducis Lithuaniæ, quâ electione, Lithuania Poloniæ annexa eſt.

Quidam obſervatum habent, Imperium Turcarum, cùm ſit ſuis limitibus in Europam, Aſiam, Africamque protenſum, vix majore populi numero gaudere, atque unicum, è potentioribus Regnis Chriſtianorum Europæis; Fit, quòd multos montes, maria, inculta camporum, aut arenarum deſerta, Turcarum Regiones occupant, ſeu veriùs, quia in longinqua bella abſtrahuntur, coloni in militiam decimantur, nec ullâ parſimoniâ ſanguinis, bellatur, undè negligi neceſſe agriculturam, præſertim cùm ob militum licentiam & Præfectorum Provincialium avaritiam, vulgus emungitur ruranum, oppidanumvè, ut alienæ avaritiæ lucro, raris fermè ſit, res familiaris curæ, undè paupertas, & ſimul acciditur populi multiplicatio. Si verò tantos exercitus, promptè in aciem educant Principes Turcarum, non ſit ab exceſſivo numero populi, verùm nolentes volenteſquè, ex pagis & oppidis, ſine ſtipendio, dùm compelluntur in caſtra, partim militum, partim foſſorum loco, tùm in miniſteria jumentorum. Quodſi ea populi Tyrannis, alicui Principum Chriſtianorum, jure legis, aut conſcientiæ liceret (dùm tantùm mercenarii, & militare volentes educuntur, nec quidquam alienum capere fas, belli pro apparatu, niſi perſolutum) adæquandam facilè potentiam, & numerum Turcarum, ſi non equitatu (tot greges equorum occidentalibus cùm deſint), ſaltem inſtructiore peditatu.

Non vitiabit ex re quæſtionem addere. Cùm ab homine unico, noſtrûm primo Parente, tantum genus humanum creverit, cur non

non ex unoquoquè hominum, ea proportio generativa ducatur? cui capiendæ, nutriendæ, anguſtus ſit orbis. Vel, cùm olim Roma, ex paucitate convenarum, ad uſque VI. centena millia civium armatorum creverit, cur augeſcente imperio, & ſpontè infundentibus ſe in urbem populis, non aſcenderit numerus ultrà? aut ſecùs, tot Coloniæ, in diverſa cùm deducerentur, cur? non decreverit infrà. Fit, cùm propagando generi, virtus *generativa* & *nutritiva*, requiratur, licèt generativa ſufficiat, nutritivam non eandem ſemper eſſe, dùm multitudine cohabitantium, coänguſtatur populus, in domo, victu, in libertate: Peſtis deindè, morbi ex contagione ſerpunt; tùm lites, tumultus, ſeditiones, civilia aut externa (pro ambitu) bella, crebræ contributiones, domeſticæ fraudes, clandeſtinæ cædes, jurgia, corrupti ex diuturna poteſtate Magiſtratus, pleroſque involvunt. Dein luxus, & prodigalitas ex æmulatione, (undè paupertas) inferiorum adhæc civium preſſura, à potentioribus, facilè oriuntur, ut ſit neceſſe, inſenſibiles objici creſcendi metas. Jam verò, cùm dimitterentur coloniæ in diverſa, non *diminuebatur* numerus, ſed potiùs *purgabatur* populus, ut qui aliàs, in multitudine, defectibus conſtricti, ſteriluiſſent, ſine cura poſteritatis, ſuorum quiſquè natalitiorum ultimus, ſibi aliiſque impedimentum futurus, iidem effuſi in latiora, novis latifundiis, & commoditatibus, ac ſuper omnia, ſolutiori (extra multitudinis contagionem) libertate, cùm gauderent, erigebant animos in ſpes ulteriores. Acuebatur (ſibi non alienæ avaritiæ fructuoſa) induſtria, porrigebatur mens, in ſequentem poſteritatem, undè Matrimoniorum, & ſuſcipiendæ prolis, major cura, quæ ex affluentia, parentibus ſolatio, non ex paupertate oneri. Etiam hortulanorum operâ, in majus foveri arbores, reciſis à trunco enatis ſentibus, & ſuperfluis ramorum, qui adimunt arbori humidum, & ſuum creſcere, aut ex anguſto, in patentiorem fundum, dùm transferuntur, quò capiant copioſiorem nutritivam, ex ſeparato. Sic, niſi piſcinis ex minoribus, piſces dividerentur in patentiores, majores minoribus, impedimentum futuri, per omnia coärctandi, multiplicationis ulterioris jacturâ. Item corvi, milvi, glires, lupi, eâ curâ hominum ſi foverentur, atquè gallinæ, anſeres, oves, aut pecora,

ra, (immò ſi urticæ & ſentes, velut olera aut ſegetes, ſtudioſè ſererentur) numerus eorum intenderetur in periculum. Jocoſa hinc, nec rudis, quæſtio ſolvi poteſt; Cùm Matres luporum, ſeptem novemvè, partu ab unico, producant catullos, oves autem ſingulæ, pullos ſingulos, ad hæc tot agni & arietes, in eſcam hominum cùm cedant, majorem tamen ovium haberi numerum, quàm luporum. Nutritivam & conſervativam ovium, augeri curâ hominis, æconomicam ad regulam, malè habentes fovendo, ab injuriis cæli protegendo, infectas purgando, ſelectiſſima paſcua alimentis providendo, glires & lupi, majore defectu, minoreque numero habentur. Solâ curâ augeri numerum populi, opportunitates providendo, defectum & incommoda ſemovendo, quod demùm maximùm, ſuperfluam multitudinem, commodiora in loca velut plantas aut frutices, ſeparatis truncis inſerendo. *Vulgò Slobodii.* Sic Polonia, per deductionem *coloniarum*, ultrà Boriſthenis oras, latè produxit limites, & poſſedit inferiora Ruſſiæ, quam *Ukrainam* vocamus vulgò.

TERTIA PARS

POTENTIÆ RERUMPUBLICARUM.

Opes privatæ.

Impellatur lege, vel pœna, vulgus otioſum, ad exercenda opificia: ſi excludantur, inertes Mechanicæ, à ſucceſſione, boniſquè Parentum, civitatis inſuper jus amiſſuri; Item puellæ, dote priventur, lanificii, acupicturarum, cæterarumquè ſui ſexus operarum, ignaræ; Sic à neceſſitate ſuccedendi, juventus urbium, procurabit non otioſam artem, popinariam, fornices, & otia vitatura. Præſertim ſi lege caveris, ſortem majorem bonorum, capturum, Parentum poſt obitum, ſuper fratres reliquos, qui opificiam didicerit, quæ magis regno, & communi bono prodeſt, vel cujus major penuria habetur, eamquè exercuerit ſtudioſè. Sed aie, in artes liberales? ſed in mercaturam, animum intendit

tendit

tendit juvenis ille, utiquè his etiam (cultior aliqua mechanicarum, liberiùs tractata) non obſit, immò certiore alimento, in ſeram ætatem, & in varios fortunæ caſus, ſerviat, dùm quandoquè, operoſa manu, vivere prodeſt. Pœna inſuper dicatur Parentibus, per educationis incuriam, vel impensâ parci, opificia erudiri, dùm intermittunt ſuam prolem, ſubſtituto Magiſtratu, examinatorum nomine, per domos civium, ſemeſtri quolibet, adoleſcentum indolem, & habilitatem inſpecturo, ad quam màgis vel minùs, hic aut ille, inclinat opificiam, vel in ea profecit, hoc illovè genere operarum, mallei, acus, texturæ, penicilli, ſculpturæ, tincturarum, tùm per omnia manuum, prout ingenium humanum, varias in artes valet. Belgium ſit documento. cùm propter contractiores, vel depreſſiores fundos, advectitia annona carò neceſſe conſtet (præſertim in ea urbium frequentia, & vix credibili populoſitate) affluentes tamen opes, & vivendi commoditates, ad exſuperantiam uſquè habeant, ut vix mendicum videre nobis licuerit; Immò veteratores, fures, viarum inceſſores, rariùs in Belgio, quàm alibi dari, nemò cùm videatur, qui non artem aliquam (dùm ſunt præterea *luxu omni procul)* exerceat; Ab recto ingenio & opera, commodaturus fortunam, quàm aliàs per otium, (ſuo flagitio, & aliorum damno, tùm injuriâ dives) habendam petat, alienos labores; levitèr penſaturus, dùm ſibi nihil operanti, per ſcelera, gratuitò venire totum vult, aut jam habet. Non tantùm ratione privatæ fortunæ, vel augendi ærarii commodo, ſed (altiùs dicto ſi excurrere licet) communis pacis causâ, artes operandi in vulgus introducendæ, tùm præſertim, neceſſitas non otiandi, Nobilium juventuti, per occupationes honeſtas, imponenda, quâ futuræ vitæ conſtet ratio: Ut videlicet abſit otium, deſit occaſio, & neceſſitas flagitiorum, ex paupere inertia. Cùm enim tria hominum genera, ferat quævis Reſpublica, vel civitas; *Magnorum*, *Mediocrium*, & *Parvorum*, *ſeu egentium*; Prout magni, ſi in ſuperbiam labantur, pro fiducia opum, altioriſquè nominis in populo, facilè inſoleſcant, & turbent ſtatum, ſic non minùs, imo magis ſint periculoſi parvi, vel obærati, dùm neceſſitate preſſi, facilè transferuntur, in cujuſvis auſus occaſionem, modò habeant *Ducem*, & *Magnis deeſt ſæpè reſolutio, adeſt reſpectus.*

partes,

Infimis *nisi deeſt Dux, & Author.*

partes, eòquè periculoſiùs inſurgant, *quibus deſperatio, ſpei cauſa eſt*, præſertim dùm viget ætas: Non habent obſides publicæ fidei fortunas, omnia ſecùm portant, in quemvis auſum expediti, & velut accincti, ſed eam fortunam putantes, quam parit occaſio, & gladius: Occaſione verò diſcendi, lege, pœna, præmio, ad artem operarum, vel honeſtæ actionis provocati, promptum vivendi modum, & otii vitandi materiam, habituri, ut quietè in publicum vivant; Nequè enim eos ſuperbia, & promptum ſubſidium ex opibus, velut *magnos*, inflabunt ad inſolentiam, nec extrema inopia, impellet in auſum, velut ex neceſſitate deſperatos, verùm *mediocris fortuna* commodè in actione, & in obſequio retinebit.

Nec ſatis opificia excitari, ſed etiam retineri, ut ſingulo trimeſtri, platearum à decurionibus, urbs circumeatur, an per incuriam, opificio deceſſerit, vel acceſſerit aliquid per diligentiam; Ideò diligentiores mercatorum, ac opifices, honore loci, vel prærogativæ, donentur, ad æmulationem negligentium. Juvat itidem, quæquè claſſis opificia, domum collegii habeat publicam, quo ſeptimanatim, opus aliquod domi factum, opificum inferant ſinguli, publicè vendendum, hinc ex æmulatione, operis diligentia. Exindè inſtrumenta opificia oppignorare, pœna carceris vetitum eſto.

Omnes uſurarii, è civitate pellantur, ut abſit ſpes acquirendi nummos, præterquàm à labore.

Lege vetitum eſto, domum ſuper, aut fundos, debita contrahere, ſub amiſſione conceſſi, præterquàm valore tertiæ partis, idquè, ſi aliquo caſu, jactura fiat opificii; Aliàs non fiat oppignoratio immobilium, ultrà conſenſum populi.

Societates opificum, aut collegia, (vel *claſſes*) civitates intrò inducantur, diligentiùs arti cuiquè procurandæ; falſitas inſuper opificii, ſeverè ut puniatur.

Placuit nonnullibi videre, per Decuriones platearum menſtruos, viſitari privatorum domos, ut omnis curæ (immò nitoris) admonerentur, pro urbis honeſtate, & aëris puritate; negligentiores verò, interpoſitâ mulctâ, dùm punirentur. Quæ enim, minutâ ac planè inſenſibili operâ, deſtructa reparantur, levitèr intermiſſa, ſenſim grandem inducunt ruinam, cui multo ſumptu, vix ſufficias, reparando. Deindè, quæ ſingulis diebus, *procul urbem extra*, efferri poſſunt, ingentes excreſcunt in acervos, neglecta platearum purgamenta, undè canales, foſſæ, obſtruuntur, cum urbium dehoneſtamento, munitionis periculo, & aëris infectione. Imperabatur itidem, cura ignis civibus, evitando urbis incendio.

Quæquè ſibi platea, puteum fodiat, communi cohabitantium uſui, eduliorum, potulentorumquè cauſâ, ſed maximè, ut obortis fortè incendiis, ſubſidia reprimendis, prompta ſint, aquâ proſtante in proximo, præſertim ſi penes quemquè puteum, promtuariis aquis, apertum receptaculum (immò per ſingulas domos) provideatur, nè tùm primum hydriatim petatur à longè, cùm (ſimul omnibus) igni ſubveniendo, opus eſt. Imponatur deindè neceſſitas, vaſa, ſeu hydrias coriaceas, tùm inſtrumenta, extinguendo igni, ſibi quiſquè maturè procuret, ut verò in foro, publici putei adſint, magiſtratus curæ futurum; ſæcula operosè producunt urbes, incendium unicâ horâ depaſcit.

Reipublicæ curæ ſit, quæquè civitas, ut provideat plebi, magiſtros opificiorum, nè deficientibus magiſtris, ars deficiat, ut ſunt, præter communes operas, texturæ pannorum, holoſericorum, tapetum, aulæorum, acupicturæ, & quibus privati diteſcere poſſunt, nequè Reſpublica opus habet, ab externo ſolo petendi. Vidi benè ordinatis in civitatibus, digladiandi, equitandi, ludendi etiam Magiſtros, publico ſumptu haberi, tùm alios, æquè ad curioſitatem, ac neceſſitatem. Immò vidi, publicas quæſitiſſimorum authorum bibliothecas, paratas lecturis (modò volentibus) aperto ſemper oſtio proſtantes, ut prompta commoditate addiſcendi, nobilium & plebeia juventus, pro ſtatu ſuo, haberet occaſionem non inertis vitæ.

Pertinet ad copiam artificum, ut Magiſtratus urbis, juventutis delectu habito, pro indole cujuſquè, neceſſitatem imponat ditioribus, hac vel arte illa, filios imbuendi, pauperibus verò, è publico ſumptus provideatur. Magiſtris opificiorum inſuper imponendum, ſinguli juvenes, ſingulos, abſquè impenſa erudiant, quam ſciunt artem, pro communi uſu civitatis.

Pauperes maſculi, qui opificiam didicerint, juſſu Magiſtratus, divites deſponſent puellas, aut aliquo modo juventur.

Excitandæ induſtriæ valet, ut certo tempore, monopolium inventi operis, exerceat quiſquè. Aut præmia proponantur, novorum operum inventoribus.

Capitatio in urbibus perneceſſaria; ſi quolibet anno, conveniant in Prætorium *Tribus*, vicinus pro vicino, civis pro cive, tribulis pro tribuli, ſponſor futurus virtutis, aut teſtis vitii, præſertim ſi cauponæ & fornicum, quàm officinæ, ſit ſtudioſior opifex, frequentior in potu & otio, quàm in labore; undè, circumſpectis urbibus, non illaudatus cenſoriæ mos, certis diebus, animadverſionem habendo in cauponas, ipſaſquè officinas, obſervandæ operariæ pubi, ad correptionem. Qui bis in ſeptimana heluonatus fuerit, ut otioſus ſuorum decoctor, & opificiæ fraudator injurius, nummariâ mulctâ, aut pœnâ carceris, vel ipſa tandem excluſione collegii (ſi effrenis) puniatur. Satiùs collegium numero malorum minui, quàm bonos, contagione vitii corrumpi. Vetabitur item, per cauponas urbis, fides crediti, ullo judicio vindicanda, non leve dilapidationis frenum, cèrtius autem lucrum vendentium, ex parato.

Binas domos in unam continuare, importuna ſit, & damnoſa pompa ædificii, minuit enim incolas; dùm unius amœnitatis commodo, cæteri coanguſtantur cives. Noxium immò civitati, nonnulli putant, & eſt profectò, duarum ſimul domorum, unicum haberi hæredem, ſed unicâ retentâ, menſes duos intrà, vendat alteram hæres oportet, cùm ſit difficile, curâ æquali utrasquè haberi, undè facilior deſolatio in alteram, cum diminutione incolarum. Præſtat verò, fixos cives haberi, quàm per conductionem, fundis alienis obtruſos, vagos, incurios, eòquè communitatis bono elevando, minùs proficuos. Màgis item proſit civitati, & induſtriæ civium retinendæ, mercibus augendis, impendi ſuperflua nummorum, quàm retinendis, aut emendis domibus, otioſè ditem aliquem, velle fieri, per locata.

Vetitum eſto, nè hortorum, aut aquæ ductuum gratiâ, tùm ampliandis fundis (quod impenſivæ opulentiorum ſervit amænitati) diruantur domus, premendis civium tenuioribus.

Non

Non diſpliceat mos urbium Belgii, ubi ædificaturus domum, delineationem neceſſe petit, & reviſores, à Magiſtratu, partim nè exceſſivâ impensâ, abutantur cives, partim ut omni procul incommoditate vicinorum, ſimul cum ornamento publicæ plateæ, regulata ſit domorum ſtructura. Undè paſſim videre licet, integras plateas, continuàm velut domum, aut palatium, ordine decoro feneſtratas, & faſtigiatas ad libellam.

Pauperi contra divitem, actio libera ſit, nequè periculoſa, immò ſine impenſa proceſſus, modò nè abutantur eâ juris clementiâ, in prorogationes litium importunas, & potentiorum vexas.

Nummarias collationes, Magiſtratus ac plebs, ex æquo ferat, cunctantiùs imponet plebi, immò parciùs in importuna profundet, ſibi quoquè ferenda, aut ſupplenda: Rara eſt ſecus parſimonia alieni.

Dùm vidua procedit ad ſecunda vota, reviſio fiat defuncti mariti bonorum, dictis tutoribus à Magiſtratu, qui rerum pupillarium inventarium deſcribant, in Curia depoſituri, ut poſtquam pupilli adoleverint, ſciant, quæ à tutoribus repetenda.

A tutore, res pupilli non vendatur, etiam conſentiente pupillo, alioquin emptio, ſit invalida.

Res *mutuò* aut *creditò* (ultrà ſcitum Magiſtratus data) cedat dono accipienti, in pœnam dantis. Non alia re magis, depauperari cives, quàm creditò dantes, difficultate recuperandi. Immò facillimè otium ingeritur, creditò accipientibus, qui ſibi privatim providere negligunt, fallaciis dites, aliorum fortunas, creditò evocando, in ſuum uſum.

Viſitentur ſingulis annis, immò menſibus, ſtateræ, libræ, ulnæ, juſto pretio rebus imponendo, nè caritate prematur populus.

Nemo coëmat victualia, in Monopolii lucrum, nèvè obviam eat coëmendis, quæ advehuntur, ſed res venalis in foro, omnibus exponatur.

Quiſquè civium, habeat ſex menſium annonam, in caſum caritatis & periculi. Damno improvidos, qui niſi *ex hodierno vivunt:* Quæ præſens cura paravit, abundè vorant, abſumunt, futurorum dudùm antè, per modicè colligenda, improvidi. Eòquè levi ca-

vi casu, inopes & impotentes. Alienam ad opem & curam, dùm prospiciunt, aliis sunt oneri, Patriæ infructuosi.

Pro metu temerè litigantium, quisquè accusatorum (in causa juris dubii) deponat vadimonium, amissâ causâ, amittendum; Adjectâ in causidicos pœnâ, quoniam non tutiùs, litigiosis obviam eatur jurgiis, quæ, non æquo, non jure, sed miras causidicorum per artes, in captionem & laqueos intorta, valescunt. Causam litigii non habent, sed faciunt.

Qui bis juraverit, tertiò fides ei non detur, nisi in evidentissima causa, nam sæpiùs jurare, pejerandi initium est, præsertim dùm nonnulli, vitio sæculi, aut laxioris conscientiæ, ut concessum patrocinium objectorum, & evadendi beneficium, perjurium (mendaciumvè) putant.

Ad justitiam, modestiamquè magistratuum pertinet, nè perpetui sint, verùm statis temporibus substituantur, ultrà enim, quod diuturnitate officii corrumpantur, dùm ingeritur animo superbia, insolens actio, usus accepti, & invalescit amor. Verùm màgis, quia consuetudine personarum, contrahitur notitia, dein familiaritas, ut in has, aut illas, màgis affectu propendeamus, æquum iniquum statuituri, prout eorum est causa, qui màgis animo adhæsère nostro, gratiâ cogniti, aut secùs, per offensam, odio habentur. Nonnullis propterea gentibus, moris olim erat, obligatis oculis, aut interjecto velo, judicem inter & litigantes, tribunalium insidere curias, aliis, sine personarum nominatione (verùm sub fictis fortè nominibus) causas modò nudas, & sine pigmentis Oratoriæ, judice coram exponi, ut æquiùs, liberiùsquè, notitiâ omni procul, pauperis, divitis, noti aut ignoti, amici vel inimici, potentis vel invalidi, squalidi aut rectè compti (vel comptæ) causa decideretur, non pro affectu, metu, odio, spe, vel amore, sed pro ratione. Sic David, non in excusationes prorupit frivolas, non in rationationes molliendæ causæ, non in preces declinavit, sed velut remotam, nec ad se pertinentem causam, quia ignotam (sub imagine parabolæ, de violento raptore ovis viri pauperis) rectâ lance appendit, extrà prorogationes juris beneficiorum importunas, promptè judicaturus. *Iratus indignatione adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan, vivit Dominus, quoniam filius*

filius mortis est vir, qui fecit hoc. Dixit autem Nathan ad David. Tu es ille vir, &c. Sic ferè ignotarum causarum, vel personarum, æqui sumus judices, nec adest causa, vel pretium, cur secùs faciamus. Non miror igitur, apud Florentinos, primitùs olim, duos è peregrinis, (crediderim in annos singulos, alios atquè alios, nè populi contraherent notitiam) rectè administrandæ justitiæ, judices lectos fuisse.

Sumptus inutiles urbium recidantur, in tecta superflua, arcus triumphales, ludos scenicos, nè collationibus prematur populus. Immò, si muniri Civitatem oportuerit, non per nummarias collationes, sed *operâ* privatorum, muniatur. *Pauperes* nummos conferre non possunt, conferre operas manuum possunt, nequè premuntur. Statis igitur in septimana diebus, ditiores curribus, egentiores operâ & manu, quod in rem, præstaturi. Sic minutâ, & in dies adjectâ, multarum manuum operâ, multa perficientur, sensim ingentes fodientur canales, purgabitur civitas, viæ publicæ reparabuntur, muri ædificabuntur. Quod citiùs incolæ præstaturi, quàm ut suspicentur, in luxum Magistratus, imperari tributa; Si verò nihil sit communi operâ reparandum, non inutile fuerit, usui tenuiorum civium, ædificio materiam comportari.

Vectigalium ditissimum. Opera privatorum. Nam & inexhaustum est.

Singulis annis, civium quisquè, partem suæ plateæ restauret, nitidè habiturus, imò partem valli, aut muri curet. Designandi ex cohabitatoribus, Præfecti platearum, ordine menstrui, ad eam curam ut attendant.

Nemo quid in platea immutabit, inconsulto Magistratu.

Civitates & pagi, victui, tùm fortunæ habitantium accommodatiores qui ad navigabiles fluvios siti, & fertilitate circumjacentis soli gaudent; Licèt aliqui, ratione contendant, fertilitatem soli (dùm coloni, simplici agrorum operæ sunt intenti) obesse nonnunquam hominum industriæ, in altiores vivendi, tùm negotiandi modos, & *manufacturarum* perfectiorem culturam. Necessitatem verò ex sterilitate, acuere in melius, evigilarequè habitatorum mentes, tùm ingenia, per artem tentandi, quæ promtè non adsunt, vel beneficium soli denegavit. Prout praxis urbium Belgii, & aliarum, rem satis evincit.

Leges sumptuariæ fortunam retinent privatorum, recisi sumtus

vestium,

veſtium, conviviorum, pretioſi abbaci, Monilium, fimbriarum, acupicturarum; Patrio (ut plurimùm) potu, cives utantur: Non ſerico, ſed domi facto panno, & pellibus, quas nativa producit tellus, induantur. Sed tamen modum profuſionis expedire, in arduo, humanioris ſæculi eo provecto more, dùm conſuetudo luxuriandi, in naturam verſa, ut naturæ velut bellum inferatur (exacerbando veriùs, quàm aliquid proficiendo) qui triſtem parſimoniam invehere, qui profuſioni modum, & cancellos ponere velit, ut deſperandum ſit de obtinendo, quin totum, mos pervincat, niſi aliquid liberaliori genio concedatur. Mihi cuncta in eo perpendenti, mediam viam, inter triſtem parſimoniam, & effuſam prodigalitatem, tenere placuit. Ac primùm; Abbacum argenteam, nec approbem planè, nec omninò improbaverim; ſit Abbacus, ſed non auro fucata, aut opere luxurians, nè plus in opere ſit pretii, quàm in metallo, purè ſint argentea vaſa, quæ caſu privato, aut publico vendita, parvâ operis & auri (per tincturam ſuperinducti) jacturâ, in monetam formentur. 2. Indumentum virorum, non dehoneſtat pannus, ſeu cultiori ornamento, ſeu ad gravitatem, veſte utendum; præſertim verò ſenatores, fuſco aut nigro colore, pro authoritate veſtiantur: Sericum, propiùs fœminarum decor eſt. Romani olim, eò divitiarum provecti, ut potiſſimæ parti orbis imperarent, ac proindè illa ætas, quid extremum in luxu, facilè vidiſſet, inter illa tamen luxuriæ blandimenta, receptum erat, *Nè veſtis ſerica* viros fœdaret. (*Cornelius Tacitus lib. 2. Annalium*) Immò ætate moderna, illis gentibus, quæ non poſtremas in cultu humaniori, partes ſibi vendicant, honeſtiùs panno, quàm ſerico viros veſtiri. 3. Uti veſtis ſerica, viris non convenit, màgis verò fibulas aureas, gemmis & adamantibus diſtinctas, quis ſanæ mentis non improbet? quid enim fœminarum decori, & ornamentis relictum? Si adamas, & gemma, æquè in veſte virorum, ac fœminarum mundo, coloribus ludant. Jure meritò legatus ille Polonus, coram Pontifice Romano gloriatus. *Nihil in moribus Polonis, nihil in habitu corporis molle, vel effœminatum, nihil acupictum, omnia maſculæ gravitatis, frugalitatiſquè exempla. Addam, Quò màgis recedit veſtitus à fœmineo, propiùs accedit ad habitum virilem.* 4. Mundum etiam mulie-

Georgius Oſſolinskius, *Nomine Vladiſlai* VI. *Romam legatus.*

muliebrem, intrà terminos decentiæ veriùs, quàm faſtuoſæ pompæ, teneri opus, ut competentèr fœmina ornetur, non ſuperfluè ſplendeſcat, vanitatum irritamentis. Monilium decori, unum aliquod gemmæ genus ſufficiat, ſæpiùs verò, purè aurea ſint, colli, auriumquè penſilia, quàm ut per lapidum, gemmarumquè colores, & pretia luxurient, ſummo patrimoniorum damno. 5. Veſtis, ſit matronarum ſerica, non luxuriantèr aureo filio diſtincta, & micans, immò, à tertio matrimonii anno, Matronæ, nigrum colorem, decentèr induant, propiùs gravitatem, quàm ut varietate colorum, leviuſculè pingantur, annuli modò retento decore. 6. Urbani viri, fœminæquè, nullo ſerico aut argento, aurovè, tàm ſolido, quàm filato, utantur. 7. Verùm quis mihi luxuriantium menſarum modum ſtatuat? Summæ dexteritatis virum, & de Republica ſanctè meritum, judicabo. Ego quid ſentiam? ingenuè fatear, me pleraquè de diſcurſu, de re ipſa, nihil certi ſtatuere poſſe, velut in morem, & veriùs in naturam univerſi populi, pugnaturo. Dicam tamen, ſi circumſcriptam menſam Princeps habeat, ſi primores populi, ponant modum luxuriæ, non tàm imperio aut legè, in eo profectum erit, quàm recto apud omnes exemplo; Quod, ſi abſit, nulla lex ſufficiat, aut ponat modum. Sic olim Romæ, *præcipuus adſtricti moris, Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu, victuquè, obſequium indè in Principem, & æmulandi amor, validior, quàm pœna ex legibus, aut metus.*

Luxus, exhaurit fortunam privatorum. Quoniam verò, non ſine invidia Principis, parſimonia imperetur populo, illa tamen arte obtineatur, luxui pellendo: Si prohibeantur mercatores importare in regnum, quæ pecuniam eliciunt, & ambitioſorum accendunt prodigalitatem. Nè quæſita gemmarum, moniliumvè, aurifabri, non Armæni, pretioſa equorum ornamenta vendant, nam illa, ad virile, aut fœminarum decus, nequè hæc ad militare, quidquam, conferunt robur. Item Scoti & alii, non exponant vendibile aurum, argentumquè filatum, aut quæ luxui, non uſui ſerviunt, non Itali advehant pretioſum holoſericum. Facilè impedientur incolæ, ab uſu rerum, quæ non acquirentur, difficultèr motura luxum, quæ non accendent oculos. Sic, (veluti fluvios

fluvios in fonte, aut origine faciliùs, quàm in cursu oppresseris) in suis initiis & radice opprimenda, undè provenit luxuria.

Aut aliâ assequare viâ, maximam rebus impositurus caritatem, vel tributa, quæ prohibere vis in luxu; Aut per monopolia vendi sinas, monopolii lucrum, illaturus ærario, ut si aliquis prodigalis esse velit, saltem prodigalis sit ærario, non cauponæ, qui detrahit suo privato incurius, ditet saltem publicum. Sed tamen,

Alia sunt usui hominum necessaria.

quæ ad necessitatem vivendi requiruntur, immunia sint ab onere, aut saltem mediocritèr habeantur, ut sunt *frumentum*, *panis*, *carnes*, *lacticinia*, *ferrum*, *ligna*, *lintea*, *cannabes*, *pannus*, *coria*, *pelles vulgares*, *sal*, *olera*, *& potus pro natura regionis*. Rebus aliis si caritas imponatur & tributa, quæ luxui, non usui sunt, màgis

Alia nisi jucunda.

jucunda, quàm *necessaria*, ferè extrà scrupulum, licitum esto Principi. Ut sunt *vinum simplex & crematum*, *mulsum*, *aromata*, *sericum*, *panni exquisiti*, *monilia*, *aurum filatum*, *acupicturæ*, *lapicidia*, *luxuriosæ pelles*, *& dulciariorum illecebrosæ conditturæ.*

Non gravatur rerum caritate populus, si domi parentur, quæ importantur ab externo, ut sunt panni lanei & sericei, lintea, tùm alia usui accommodatiora. Ideò, crudæ materiæ prohibeantur exportari è regno, lana, cannabes, ferrum, sed operatæ tantùm ut pannus, lintea, &c.

Monopolia prohibeantur, quæ impediunt commercia, & diminuunt lucri commoda, tùm fortunas.

Alliciantur extranei, ad exercenda mercimonia, libertate commeandi, facilitate justitiæ in creditores, sine dilationibus. Separatum Tribunal sit mercatorium, tùm aliqua privilegia concedantur; Leves item sint exactiones, potiùs mercibus imponendo tributa, quæ exportantur, quàm quæ importantur aliundè, nè gravamine impositionum, avertamus. Deindè *non varietur pretium pecuniæ*, *& bonitas*, quo deterrentur mercatores, à commercio.

Difficilis & sumptuosa si obveniat negotiatio, quam non audeat privatus aggredi, proponatur præmium, qui prior tentarit, aut aperuerit negotiationem, præsertim maritimam. Cessit honori & utilitati *Hollandorum*, negotiatio ad Indias, *Orientalem*, *& Occidentalem.* Quoniam ultrà privati civis sumptus, erat ascensura, instauravêre Status Hollandiæ societatem, (Anno Christi MDCII.) in

in quam intulêre plerique privatorum, summas pecuniarias, ut collatio excresseret, ad *sex millionum summam* negotiationi æquivalentem, tùm superpositis Præfectis, sumptus, jacturæ, atquè incommoda, in plures dividuntur, proportione habitâ, prout aliquis majores, aut minores summas, intulit. Est verò Præfectorum curæ, ut provideant apparatum, ducendæ negotiationi in universum, & mercibus vendendis, tùm lucro dividendo præsunt, publico ærario, non modicam partem lucri, participante. Posset item apud nos, negotiatio maritima institui (vocatis plerisquè civitatibus aut civibus, in societatem) per mare Balticum ad Hollandos & Anglos, per pontum Euxinum ad Turcas, quorum mercibus opus habemus.

Nonnulli, nè deterrerent extraneos (gravitate teloneorum) à commercio, generalem pensionem, ab aliqua gente exigebant, in vim particularium exactionum.

Conducit parandis privatorum opibus, ut facilitas commercii provideatur, quæ in prompta vectura consistit, à commoditate viarum. Valebit igitur, ut in civitatibus, oppidisquè, *separati Magistratus* (seu Duumviri) *annuatim legantur*, procuraturi, publicarum viarum, & pontium reparanda, uno aut plùs miliari circùm. Diversoria hospitantibus commoda ut sint, procul à depœdationibus, securitas insuper sit itinerum, submotis latrociniis; cui rei, *tertiam publicorum proventuum partem*, Civitas quæquè conferet. Insuper, *operas publicas* (vulgò *Szarwarki*) statis diebus, septimanatim impensura, *quæ præ omnibus collationibus nummariis valent*, adhibitâ mensurâ, in certitudinem operis, ut viritim, perticam (seu virgam) terræ, fodiat quisquè, aut pro se fodiendam curet, reparationi viarum, munimentorumquè structuræ. Iidem *Duumviri*, habebunt curam munimentorum civitatis, nova sensim maturè in pace ut erigantur, seu collapsa ut reparentur. Item, ut nitor urbis & platearum servetur, eâdem curâ, ritè providebitur.

Summatim rem claudo. Cùm quinquè sint, nationibus ditandis universalia. *Res œconomica*, *in pecuaria & agricultura*; *Materiæ crudæ*; *Dein operatæ*; (*manufacturam* vulgus vocat) *Reciproca commercia*; *& Vecturæ commoditas.* Adlaborare debet Princeps, tùm

tùm Reſpublica (cui Deus beneficio cæli & ſoli, tùm induſtrioſa œconomica, copioſam indulſit materiam) nè tria, præſertim poſtrema, populorum ſtabiliendæ fortunæ, inſtaurare intermittat, nam hæc proxima, immò potior, parandarum opum via. Dicam nè, an taceam? Verùm ingenuè fatendum, Poloniam, licèt ſua œconomia, & dona terræ, varia genera crudarum materiarum producant, ſibi copioſiſſimè habenda, aut ex ſuperfluo, exteris affatim ſubmittenda. Omnem (videlicet) *ſpeciem Cereris*, *boves*, *equos*, *lanam*, *oves*, *cineres tinctorios*, *ceram*, *picem*, *ſevum*, *coria*, *ſalem*, *linum*, *cannabes*, *mel*, *lacticinia*, *arbores*, *ferrum*, *plumbum*, *marmora*, *nitrum*, *materiam æris flavi* (*Galmanum* vulgò) *immò & argentum*, *cæteraquè minutiora*, minùs tamen eſſe nummatum, quàm gentes ſunt, quibus tria poſtrema, curæ. Belgarum populi, ſunt documento, quibus, ſola *manufactura* (dùm formam elegantiſſimam, acu, malleo, ſculpturâ, inſtrumento, textrinâ, tincturâ, penicillo, aſciâ, & per omnia ingenio, advectis aliundè materiis ſuperinducunt, ut opus ſæpiùs ſuperet materiam) tùm *ingenium* & opportunitas *negotiandi*, à prompta vectura (*per operatos canales*, *& currus ordinarios*, *dein commoditate maris*) plùs, quàm aurifodinarum loco ſunt, ut ſumptibus belli, ſupra fidem erogandis ſufficiant, urbium potentiâ & ſplendore, cuiquè in Europa genti, facilè anteferendi. Sic ferè, à pleriſquè populis, quadruplò cariùs, emimus Poloni transformata, quàm noſtra cruda, illis vendimus. Quomodo verò collegia mercatorum, ſeu claſſes, tùm opificiorum induſtria, ac demùm commoditas vecturæ inducatur, ſparſim hìc, & alibi inſinuavimus.

Induci vaſtitatem urbium animadverſum, dùm per incuriam civium, deſtructa domorum non reparantur, aut fortè, multo ære oppreſſis, dùm ultrà pretium domus, & fundi, debitorium excedit onus, ut ſenſim fundorum dominis, ad inopiam redactis, ruina & vaſtitas inducatur. Conſultum ideò fuerit, edicto publico, certis anni temporibus, animadverſionem fieri, ſuper deſolata. Si non ſufficiens dominus reædificando, aut negligens, vel hærede mortuo, fundus dùm negligitur, verentibus ſingulis, nè ſi apprehenderint curam, onere debitorio involvantur, æſtimetur fundus per commiſſarios, cum ſuperſtante ruina, emptione pu-

publicè propoſitâ. Qui pretium adinventum repoſuerit in curia, immunem ab omni onere & proceſſu, recipiat fundum, cum ſubmiſſione reædificandi. Pretium verò depoſitum, inter creditores, proportione habitâ dividetur. Satiùs utiquè, partem debiti exſolvi, quàm ut in perpetuum, deſertâ proſtante domo & fundo, creditori æquè ac civitati, nullum ſit commodum ex vacuo, undè diminutio incolarum & tributi, in publicum ſequatur.

Laxior ſit immunitas urbium, ut procul omni impedimento, fideliùs ſuæ fortunæ commodo, non alienæ depeculationi, oppidanorum quiſquè laboret, ſecùs induſtria providendi ſupprimitur, & ingenuitas, ſi populus, Præfectorum per vexas, & emungendi mille artes, etiam crebra militum per ſtativa, duriuſculè habeatur. Vide, quàm floreant apud nos urbes, quæ minùs adſtricto, Præfecturarum jure (*Capitaneatus*, vel *Staroſtias* dicimus vulgò) premuntur, & ab onere ſtativorum immunes, Cracovia, Poſnania, Leopolis, Vilna, Varſavia &c. Eadem foret cæteris urbibus, oppidiſquè, conſervandi ſui cura, & induſtria, ſi abeſſet preſſura & diſtractio, ſi afforet libertas.

QUARTA PARS
POTENTIÆ RERUMPUBLICARUM,
Res frumentaria.

ANnona ut vigeat, Princeps advigilare debet. *Nè ſtatione militari*, *gravetur agricola*, nè agrarium pecus rapiatur, & quæ, licentia militaris, expilandis colonis ſuadet. Cætera, utiquè diſſimulari poſſunt, verùm annonæ, bono Principi, cura ſit maxima. Prudens Dux belli, etiam in hoſtico, cavet nimiam inducere vaſtitatem, nè ſibi deſit, longiùs bellaturo, ſeu redituro, annona; Multò màgis, in proprio ſolo, Principi cavendum, nè incolæ, gravioribus ſtativis, aut vagabundis per Provinciam, militum diſcurſibus, præpediantur, *præſertim*, *dùm menſes ſerendi*, *aut colligendis meſſibus*, *adſunt*, non in milites ſeveriùs, verùm in

in Præfectos animadvertendo, militis enim insolentia, intrà incuriam Præfectorum est màgis, quàm ut ausu proprio insolescat, si adsit occasio, desit præsens ordo, prohibitio, & severitas; quod totum in Præfectis est, præsertim si intervertant stipendia, undè insolescendi necessitas. Prodest verò màgis, non errare, nec accusari, quàm dùm erraveris, puniri: non quærit in milite colonus *pœnam*, *sed màgis innocentiam*, *nec accusandi necessitatem*. Uti verò miles, depauperandis colonis agens licentiosè, cohibendus, sic ipsi bonorum Domini, per incuriam fundi, aut gravitatem in subditos, agriculturam minuentes (aut vastantes quoquo modo domum suam, & bona prodigendo insolentèr) lege cohibendi, substituto censorio Magistratu per Provincias, qui curam in eam intentus sit, negligentiores excitando, malitiosos, injunctâ mulctâ cohibendo, vel deindè incorrigibilibus, *Curatoriam* è proximioribus agnatis, substituendo. Quid enim refert, utrùmnè aliquis per minorennitatem, aut inopiam sanæ mentis, non sit compos sui, an incuriâ rectioris prudentiæ, vel defectu virtutis, in abusum res vertat, non *magis suo privato* damnosus, quàm mutuæ societati, per relationem ad bonum *commune*, id est Rempublicam, quæ ratione supremi dominii & ordinis servandi, in bona singulorum, potestatem habet. Rectè Plato (lib. 1. de legibus) *Quicunquè vitam suam, non rectè moderatur, nec domum habet benè moratam, nec rem familiarem justè administrat, nec familiam coërcet nec pacem cum vicinis colit, curatores* (*à quibus ut fatuus regatur*) *accipito, vel ex populo, tanquam erro, exterminator*. Si passim liceat pro arbitrio, sua pessundare, minuetur in usum communem annona, numerus colonorum, & populositas mutilabitur, tributa, promptaquè subsidia belli, cessabunt; aliàs exhausto *Publico*, si privatum non inops sit, facilè subvenitur Reipublicæ per singulos; Verè dictum, *ex privatis*, *publica constare*, vel è contra, secùs omnia fieri. Rectum igitur sit populi institutum, ut quicunquè per justa, honestaquè mediorum, super patrimonii sibi tradita, auxerit bona & reditus, velut industrius rerum curator, capax sit honorum & munium Reipublicæ, super fratres reliquos. Qui secùs, parvo studio conservationis, nè quidquam ex aggregato, vel meliorato, certos intrà annos adjecerit, alienæ modò curæ, uti

uti pupillus, otiosè fruitor, tanquam deses & incurius, certâ mulctâ, in publicum puniatur, dein partem amittat bonorum, màgis industrioso è cognatis addicendorum, elevandæ industriæ, tùm virtuti.

Sæpè evenit, ut incolæ, pretii magnitudine illecti, frumentum exteris vendendum ferant, suam terram annonâ pressuri. Providendum ergò, nè devectum in alias terras frumentum, paucis lucrosum fiat, omnibus damno.

Providere maturè debet Princeps, quomodo subveniat populo, inopiâ frumenti laboranti, Præfectis substitutis, frumento apud exteros, ope navium conquirendo, nam fame pressus populus, pronus in rebellionem. Nequè indecorum eo casu Principi, commercium instituere, frumentum apud finitimos petendo, incolis vendendum.

Vel maximè penuriâ levatur annonæ, si *crematum* (quod in nostro Septemtrione maximam partem frumenti absumit, & potiùs luxui heluonum servit, quàm necessitati) cremari prohibeatur, altera pars annonæ succresceret, bono pani sufficiens. Dixerim etiam, cerevisiam, famis tempore, minore copiâ conficiendam: Præstat crudæ aquæ potu, contentum vivere, quàm inopiâ panis perire. Si justum calculum posuero, certò scio, propè mediam frumenti partem, cremato, & potu cerevisiæ, absumere Poloniam, per rura & cauponas.

Deserta loca, à bonis agricolis, Princeps inhabitari curet, paludosa fossis operariis exsiccet, sylvestria eruncet & extricet, commoda arando redditurus. Immò præmiis provocet, colonorum industriam, parte sumptuum, in publicum, (cuiquè volenti) expositâ; Immunitatem insuper certorum annorum oblaturus, prout aliquis operosè, rem exequutus fuerit. Quidquid producit terra ferè luxui sunt, solum frumentum, servit pro necessitate; Terram ditissimam dixerim, non quæ aurum, sed quæ annonam producit, sine hac vivere nullus, sine illo omnes possunt.

Per urbes & vicos, in mendicos sit animadversio, robustiores ætate, paresquè labori, dùm fictam ægritudinem, in argumentum eludendæ stipis obtendunt, in morigerationis claustra, & *operariorum ergastula*, ut intrudantur: pro genio cujusquè, textoriâ, picto-

pictoriâ, tùm per varia genera & materias, fabrili arte (immò pro sexu, suendo, nendo, texendo, acupingendo) & quod in rem sit, instruendi: Præripiunt enim, & inutilitèr absumunt, verè impotentium stipem, sibi segnes, heluones, popinarii, in alios latrones, fures (aut quæ sunt ejus sectæ flagitiosorum genera) ab otio prodituri, nisi in eos seriò animadvertatur, undè non solùm annonæ, sed incolarum industriæ, tùm modestiæ providebitur.

Annui pauperum curatores, certaquè domus provideatur, ab urbis magistratu, ut qui provectâ ætate, tùm vitio mutilæ sanitatis, verè impotentes, ob inopiam, sunt mendici, dein vagi pauperes, vel pretextu pietatis, advenæ peregrini, sistantur coram curatorum examine, de conditione, & ratione non insolentis mendicitatis, inquirendi, ut pauperum cathalogo inscribantur, tempus insuper morandi, præfigatur in urbe. Aliàs nemini per impostùram paupertatis, stipem petere, fas esto; sed immò in viciniores urbes, nomen & qualitas impostoris, scripto, ad pauperum curatores transmittatur, quatenus non recipiantur in oppida, sed velut falsarii vagabundi, carcere coërceantur. Quæ verò piorum per manus, juvandæ pauperum inopiæ, annona, vel paratum æs, spontè confertur, aut quidquid eleemosinæ sub nomine, per mendicos conquiritur, Xenodochialem in domum, ad curatores deferatur, undè verè impotentibus, pro posse provideatur. Aliàs, cùm passim per oppida, juvenes, seniores, per imposturam mendicitatis, insolentèr vagantur, sine ordine, sine examine, obviæ eleemosinæ sese obtrudentes, verè inopes & morbo confecti, nullâ curâ habentur, immò per domorum quisquilias, miserè negliguntur, cùm nemo de illis, pauperum collegii sub nomine, inquirit, undè, non solùm catholicæ pietati, probrum objiciatur, sed pestis, infectio aëris, publico malo, per contagionem sequuntur.

QUIN-

QUINTA PARS POTENTIÆ RERUMPUBLICARUM,

Arma.

MAximum est ærarium Reipublicæ Armamentarium; Vix non facilius viri, pecuniæ, annona, (præsertim nostro in Septentrione) parantur, arma nisi in tempore fieri possunt, nequè sumptui parcendum, quatenus impleantur armorum operariis armamentaria, ferrum, sulfur, nitrum, gladii, hastæ procurentur, & potiùs ante necessitatem quærantur, ut in necessitate sint parata, nequè occasio rei gerendæ effluat, *arma felix tenet, infelix parat.*

Provinciatim, urbatim, vicatimquè, arma subministrentur armamentario, nonnunquam loco tributi recipienda, tributa etenim, maximè, armorum causâ; Immò, non grave fuerit, si quisquè opificum, in annos singulos, offerat aliquid armamentario, fabri ferrarii secures, terebra, serras, ligones, palas, (seu rutra) cathenas: fabrûm alii, hastas, cuspides, calcaria: Gladiórum fabri, gladios; pixidum fabri, certa sclopeta: Fabri lignarii, currus, annonæ vehendæ, tùm armis, vehicula item manuaria, terræ necessaria congerendæ, undè multorum annorum pace, plurium verò urbium & oppidorum curâ, graves exercitus armare possunt, collata in commune.

Opifices armorum, separata privilegia, & prærogativas habeant, quo incitetur operandi industria.

Civitates, variorum opifices armorum, de lege nutriant.

Equi militiæ apti, nè extra Regnum educantur, item nè arma finitimis vendantur, cavendum; Greges equarios qui aptè propagaverit, in honorem œconomicæ, aliquid immunitatis ei permittatur. Immò, ea cura, quibusdam imponenda, Præfectis rei armentariæ substitutis, adjectâ insuper publicorum pascuorum commoditate.

 Non

Non vendere ſolùm extraneo, verùm domi propria oppignorare arma, tùm aliena oppignoratò capere, ſit infame & punibile.

Arma ſint benè appropriata, non gravia, non nimis longa, ideòquè aptiſſima feriendo, excogitari debent, non apta corrigi; Multa armorum commoditate fieri.

Armamentaria, diverſis in locis habenda, pro diverſitate limitum, & periculi, ut citò ſubminiſtrentur omnia caſtris è proximo, nèvè ab hoſte aliquo caſu circumveniatur armamentarii locus.

Procuret Princeps, neceſſitatem potioribus urbibus impoſiturus, certa in quantitate, annis ſingulis, ut operari provideant, nitrum, immò, pulverem nitratum, dein gladios, haſtas integras & medias, fiſtulas majores & minores, per varia genera pixidum, caſſides item, thoraces ferreos, ut adſit commoditas emendi, quantum libuerit, pro uſu belli. Indignor ſæpè, ut ſi aliquam cohortem, nè dicam legionem pedeſtrem, aut equeſtrem, derepente armare neceſſum, hinc pixides, illinc gladios, alibi haſtas, magnâ moleſtiâ petere opus habeas, tantâ penuriâ acquirendi, ut à bono incepto, nonnunquam deſiſtendum ſit, tantundem conquirendo, quàm emendo impenſurus. Providebunt igitur civitates, publicas officinas, & operarios, non enim privatus quiſquè, ſufficiat impenſæ.

Arma inter defenſiva, (vel ſuper) munimenta urbium, rectè quis poſuerit. Neceſſitas igitur imponatur, oppidis, muniendi ſua, diviſis partibus munimenti, in ſingulas oppidi regiones, & aliqua parte tributi omiſſa. Plùs operis hìc, quàm æris opus, invitat paſſim, ſpontèquè ſe ingerit (modò volentibus) loci opportunitas, adeſt terra, nihili emenda, adeſt laborioſa manus, ac tempus, ſi quod otio impenditur, detur operi; Multa ſucceſſu annorum, & diutina pace parari; Partem unicam munimenti, hoc anno, atquè aliam ſequenti, perficiendo: impoſitis à Republica commiſſariis, ac reviſoribus, architecturæ militaris gnaris, inſtaurando operi. Sic belli caſibus, Provincia redderetur ſecura, adeſſent refugis, prompta receptacula; Nunc ſecùs fit, periclitamur Poloni, barbarorum ferociæ expoſiti, cùm leviùs nobis perire, quàm providere, ac muniri.

Szarwarki *vulgò.*

SEXTA

SEXTA PARS

POTENTIÆ RERUMPUBLICARUM,

Armorum Exercitium.

Liberi bonarum familiarum, cum belli Ducibus in caſtra mittendi, quo condiſcant militiæ, & aſſueſcant labori; Duces tandem futuri.

Per vicos, civitates, & oppida, delectus ſingulis annis habendi, ut aptiores ferendis armis, exerceantur, non quod in caſtra ſemper ducendi ſint, verùm ſufficit, contra ſubita belli, velut tela in armamentario, ultimæ Reipublicæ neceſſitati, in promptu ſi habeantur, alibi precariò non quærendi, nec primùm in armis erudiendi, dùm pugnandum. *Si tamen vulgus in rebellionem pronum, cautiùs habebis.*

Juvabit urbium paci, ac publicæ neceſſitati, incolas armis exerceri, Decuriatim ad portas urbium, ut excubent, nè licentioſorum advenarum audaciæ, urbs exponatur, partim ut commodiùs, inter exercitatos cives, pedeſter miles, legi poſſit, dùm opus. Proponantur ideò, ſtatis anni temporibus, præmia, armis concurrendo, tùm ad metam collimando, exercitatioribus; Immò deligantur juvenes agiliſſimi, ſibi exercitio, cæteris exemplo boni, alliciendis ſpectatoribus ad Martem.

Militaritèr exercitati, præcedant ordine, titulo, loco (immò eorum uxores, & liberi) iis, qui domi enutriti, in publicum nuſquam fuêre fructuoſi.

Belli juxta ac pacis tempore, ſtipendiariæ cohortes habendæ, decreſcit juventutis virtus, ſi caſtrorum, ac militis, tollatur nomen.

Ipſe Princeps, armata ſpectacula, in oblectationis partem trahat, præſenſquè adſit, ut ſpectante Principe, quiſquè ſtrenuus videri velit, & agens animosè. Certè nationes, populi, æquè ſunt bellicoſi, ſtrenui, etiam ignavi aut deſides, prout ſunt eo-

E 3 rum

rum Principes; Non enim ridente cœlo, tàm benè, amænitati accommodamur, aut nubibus obducto, triftes demittimus mentes, quàm hunc noftrum folem, occulto impetu naturæ, imitamur Principem, & fequimur, quò vertatur, aut quam partem virtutis adamaverit.

Omnes occafiones exercendi in armis populi, cedere illi videntur, quam leges noftrates fuggerunt, videlicet *Luftri publici*, cùm Provinciarum incolæ, cum equis armifquè (æmulationem mutuam inter) per capita provinciarum, annis fingulis, viritim confcribebantur; fed quater quinquè retrò ampliufvè annis, certo damno fuo, eum morem neglexit Polonia, maximo publici boni damno. (*Vide Hiftoriam meam de geftis Polonorum, fub Henrico Valefio.*)

Excitandæ militiæ valet, fi certi honores fint in Republica, & bona, à nullo poffidenda, quàm certo tempore, qui militarit. Rem præclaram fuggerit *Polybius*, de delectu Romano. *Urbanum Magiftratum, non ante, cuiquam capere fas, quàm decem ftipendia militiæ, adimpleverit.* Egregium quoquè illud, Cornelii Taciti (de moribus *Germanorum*) *Fortiffimus quifquè, ferreum annulum,* (*ignominiofum id genti*) *velut vinculum geftat, donec fe cæde hoftis abfolvat.* Multa in eum modum ingloria, immò fœda imbellibus, fecùs gloriofa, utiliavè bellicofis, prudenti quaquè in Republica, provocandæ virtuti, ordinari poffunt.

Quoniam hæc Polonorum ufui maximè fcribuntur, non abs re dicendum venit, Pedeftrem militiam (cujus defectu, ad plenam victoriam multa nobis defuère, præfertim contra gentes, quæ ftatariâ pugnâ, legionatim ex arte, aut pro vallo & foffa, cunctando pugnant) neceffariò in Polonos invehendam, dùm peregrini emuntur nobis potiùs, quàm leguntur, haud per omnia fideles, præfertim fi ejufdem nationis hoftis adventat. Nec pro aliena patria, prompti funt in pericula, libentiùs ftipendia, & emunctiones colonorum implendis facculis, quàm cicatrices, in gloriam Polonam numeraturi. Si verò fint aliqui fuorum, proh fcandalum, exterorum tamen habitum æmulantur, immò nationem mentiuntur, fub externæ militiæ nomine, militantes. Summo igitur commodo pedeftris militiæ fiat, fi vetito externi habitus more, Prætoria legiò, ex folis Polonis, veftitu & linguâ, verè Polona, legatur. Aut, fi aliqui funt exterorum, noftrum potiùs illi, quàm nos illorum morem & habitum, fequantur, ut ex ea, velut militari fchola, pedeftrium legionum Præfecti, Centuriones, & reliqui minores ordinum ductores, tùm adminiftri prodeant. Nequè gentibus exteris, quæ aliàs fua inftituta, venditant orbi, pro rectis & optimis, fuère ftatim ab orbe primævo, omnia proba, & optima, fed cum tempore primùm, ab aliis populis (fi quæ recta imitando fuère) fenfim ad fe tranftulerunt. Sic ante CXXX circitèr annos, Galli, regnante Francifco primo, pedeftrem militiam, ejufquè normam, in Galliam introduxerunt, cùm ante, nifi peditatu Helvetico uterentur, (equo ipfi, prout nunc Poloni, merentes) dùm nollent uti ampliùs, precariâ exterorum militiâ, tarda inceptu, periculofa bellatu. Licèt verò nunc, Helveticas legiones, in caftris Gallorum videas, non tamen funt, velut corpus peditatus, fed velut pars, & fubfidia, nec adeft periculum, ob leves dilationes ftipendiorum (quæ fortè injuriâ temporum, vel ob incommoda itinerum, præfertim in longinqua, ad punctum tranfmitti vix poffunt) curfus bello captorum ut præcidatur, cùm domefticus & indigena miles, non tàm properè tumultuatur, dimiffionemvè petit, quod ab Helvetiis aliquoties factum periculosè, verùm pro fua Patria, & in gloriam vernaculæ gentis, lubentiùs incommoda belli fert, fidentiùs agit, perfeverat, publico intentus bono, & faciliùs in obfequio continetur. Noftra, quidni? Polonorum fortuna, hoc bello Polono Europæo, eodem ftetit? deficiente ftipendio, & præcifis ærarii venis, peregrinoquè Germanorum peditatu, ad Suecorum caftra, maximâ parte dilapfo, cùm nobilis eques indigena, fpe melioris in publicum fortunæ fretus, Patriam non defereret, infractus animo ftaret, hoftem aggrederetur, laffaret, ac demùm confecto bello (quod miretur pofteritas) partem notabilem ftipendiorum, Patriæ condonaret, plùs lucri à rectè facti confcientia, intrà generofitatem animi, quàm à divite ære, meffurus.

Addendum. Armorum, majorem effe potentiam, dùm evocatione communi civium, quàm dùm ftipendiario milite bellatur; Sic olim Romanos, fic noftros Polonos, primitùs potentèr bellaffe, nunc à potentia bellandi, in tantum defciviffe, in quantum, à pri-

à primævo bellandi more, recesserunt. Nec subindè mirêre, Romanos, cùm solâ includerentur Italiâ, plùs virorum sub armis habuisse, quàm dùm occupatâ Europâ, in ulteriora extendissent dominatum. Subactis enim Provinciis, & Regum gazis in urbem importatis, crevit primùm sine hoste propinquo, securitas, tùm opulentia, & ex eo, amans otii luxuria, dein effundendæ per inania pecuniæ, invaluit libido. Hinc alieno labore & periculo, conductitio milite bellare placuit; Ex eo, castrensis vir, gustato stipendio, injuriæ loco putabat, arma sequi non stipendiatus, aut per injuriam temporum, si defecit ærarium, deserebantur castra, ut minùs fructuosa, nec aderat promptè, gratuita Patriæ defensio, nisi miles, æris magna profusione, & per concessa (nocivo exemplo) donativa, pararetur. Miror Polybium, de primæva Romanorum potentia loquentem lib. II. Histor. *Ut autem ex ipsis rebus intelligatur, quantam Rempublicam Romanorum, ausus sit Annibal, aliquantò post aggredi, quantumque illud imperium erat, operæ pretium fuerit, apparatum ad hoc bellum, & copiarum vim, quas jam tunc habebant, commemorare. Exiêre cum consulibus, legiones Romanæ quatuor, sunt autem in unaquaque legione Romana, peditum quinquè millia & ducenti, equites trecenti. Sociorum auxilia, utrique consuli aderant, quæ junctim numerum efficiebant, peditum tricies mille, equitum bis mille. Aderant præterea (qui necessario tempore suppetias veniebant) Sabinorum & Etruscorum, equites quater mille, pedites ultra* L. *millia, hos in unum coactos, pro finibus Hetruriæ, hosti objecerunt, duce illis imposito Prætore. Convenerunt & ex Umbris, ac Sarsinatibus, qui Appenninos montes incolunt, ad viginti millia. Item è Venetis, ac Cenomanis, millia paritèr* XX, *qui in Galliæ finibus sunt collocati, ut facta impressione in Bojorum ditionem, eos qui exierant, retrocedere coactos, à cæteris divellerent. Ac pro finibus quidem, variis locis dispositi exercitus hi erant. Romæ verò præstò erant, propter incertos belli casus, velut subsidiaria manus quædam, è civibus, triginta peditum millia, equites mille & quingenti. E sociis peditum* ccIↄↄ, ccIↄↄ, ccIↄↄ, *equitum* cIↄ, cIↄ. *In tabulis ætatis militaris (quæ ad senatum sunt allatæ) fuêre descripti è Latinis, octuaginta peditum millia, equitum quinquè. E Samnitibus, peditum millia septuaginta, & cum his equites septies mille. Ad hæc Japyges, & Messa-*

Messapyges conjuncti, peditum quinquaginta millia detulêre, equitum decem & sex. Lucani peditum ccIↄↄ, ccIↄↄ, ccIↄↄ, *equitum* cIↄ, cIↄ, Iↄ. *Marsi, Marnicini, Ferentani & Vestini, pedites vicies mille, equites quater mille. Duas hoc ampliùs legiones, in Sicilia & Tarenti, subsidio locaverant, in quibus fuêre pedites quater milleni & duceni, equites item duceni. Jam verò è plebe Romana atquè Campana, dedere nomina militiæ, peditum ducenda & quinquaginta millia, equitum tria & viginti millia. Ita efficiebantur summa copiarum, quæ urbi præsidebant, ad peditum millia centum quinquaginta, equitum circitèr millia sex; Universus verò numerus aptæ ad militiam* (Nota verba) *multitudinis, erat peditum millia septingenta, equitum septuaginta. Et ausus tamen est Hannibal, cùm vix ipse viginti millia haberet, quos huic numero opponeret, Italiam invadere, verùm de his meliùs ex iis, quæ inferiùs dicentur poterit constare, &c. &c.* Atquè hoc diluvium virorum, sola Italia effudit; Miraris? Evocatione communi armorum, tunc bellatum, vel (quod certè ex contextu suspicor) ex quoquo rure oppidovè, tertius quisquè (vel secundus) armis ferendis aptus, pro militari ætate, bello apparabatur, in plures menses, ære, commeatu, opportunitate armorum providus, per cohortes (datis ex publico Præfectis) dividendus, modò vocaretur accinctus, minimè gravis ærario, nec provincialibus, per hyberna aut vagabunda stativa molestus, verùm post castrenses labores, domum repetens quietus, utilis Reipublicæ, & casibus belli promptiùs educendus, quàm si per fornices, & fora, expositâ pecuniolâ, peteretur legendus. Poloni item, regnante Sigismundo Augusto, circitèr CXL millia, equitum armatorum, contra *Cruciferos Livonienses* eduxerant, cùm in aliquas tantùm Provincias (dispensante lege, quæ divisis armis bellare vetat) evocatio armorum, nobilitati indicta fuisset, nullo oppidanorum, vel ruricolarum secuto, qui evocatione communi non tenentur. Quantam potentiam, & apparatum, hodiè nè utiquam promptè videas, desuetis ab armorum usu, & militarium equorum curâ, civibus, dùm soli stipendiarii, castra sequuntur. Nisi fortè census, seu lustrum annuale, tùm communis evocatio, in usum revocetur, arte (proh dolor) *Monarchicostatistarum*, suppressa. Periculosum igitur in Republica, togâ, seu

ſago, aſſueſieri populum, ut emantur obſequia, quæ Patriæ gratis debentur: ceſſat tunc generoſitas, atquè animi vigor; debitum abit in onus, recta conſuetudo, in injuriam: Nè dicam, abit promptitudo, in venundationem operis, ac demùm in ignaviam. Scythæ etiamnum, nullos conductitios habent, nec adeſt ærarium, ſed prompti omnes in bella, eòquè noſtris (acie tenus) plures, idem miles, qui pecuarius, qui opifex, qui curator familiæ, qui ruranus, qui civis, qui purpuratus, à ſolis enim militaribus, perſonæ, reſquè æſtimantur. Caſtrorum & domus, mollium aut aſperiorum, tempora non habent diviſa, ſed perindè putatur, pro Tauricani Principis, immò pro ſua Patria bellando expeditiſſimi, nobis moleſti, quibus (ſimilitèr quondam bellantes) fuimus terrori. Turcis item, (*Janzarorum* peditatum ſi eximas) promptuarii ſunt equites, ſine ſtipendio, communi evocatione, tùm pro menſura fundorum, proprio commeatu, *Timariorum* ſub nomine militantes, dùm evocantur. Verbo rem claudo, multi eſſe hanc evocationem, quâ ærarium, promptitudinem armorum, quâ caſus adverſos belli, & inexhauſta ſubſidia ſpectes, præſertim ſi per binas, ternaſvè Provincias, ſeu *Palatinatus*, annuatim alii atquè alii, in orbem militent, & recentes feſſis ſubſtituantur, *ſexto, ſeptenovè anno*, ad eoſdem, ordine redeunte, totam enim molem virorum fatigare, immò periculo ſimul exponere, quis ſanæ mentis ſuadeat? caſtris (velut alibi diximus) & agendo gravem, regendo impeditam.

Rerumpublicarum quibus, pax longa ineſt, proderit tamen præſidiarias cohortes, per municipia, tùm præſertim, maritimam claſſim haberi, non ſolùm ſervando exercitio militari, undè ingruentibus bellis, ſeminaria ſint Ducum & militum: Sed maximè, ut honeſta occupatio, procul à domo, inquietis capitibus obtrudatur, quibus niſi exoneretur Reſpublica, ſpecie Præfecturarum & belli, periculosè involvant ſtatum, cives otioſi. Velut Hetruriæ Duci, intra rationem ſtatus eſt, altiſſima licèt in pace, claſſim inſtructam, ad inſulam *Illuam* haberi, ut malefici, tùm inquietiores, *humoris* (ut ajunt) peccaminoſi, ad triremium operas, vel honeſtiorem cuſtodiam, deputari poſſint, parſimoniâ humani ſanguinis, ſed commodiùs, labore mulctandi, aut occupatione

patione coërcendi, præſertim juvenes obærati, & nullius operæ, quò ſtipendiorum occaſione, honeſtè (militari ſub ſtatu) vivant, nec deſperatione inopiæ, in varios auſus propellantur. Novis etiam Polonis, nuper non obfuit, ad ripam Boriſthenis, verſus Scythiam, & camporum deſerta, arcem *Kudakianam* exſtrui, cùm otioſa nobilium juventus, ſtipendii, & armorum honeſtâ illecebrâ protracta, exercitium bellorum imbueret, dùm inquam, crebrâ excurſione contra barbaros, alioſquè ſuſpectos, accolarum Boriſthenis excurſores, ad ſubita bellorum, labore ac periculo, induraretur.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Ærario.

Id eſt,

DE SEPTIMA PARTE POTENTIÆ RERUMPUBLICARUM.

AErarium conſtat collatione pecuniæ, quam, viâ variâ contribuendi, incolarum confert manus. Ne ſibi igitur fraudi ſit Princeps, bonam monetam domi fieri, tùm ab externo importari curet, etiam depravatam, regno pellat, nam qualemcunquè paſſus fuerit, talem in ærario deponet. Modi verò, boni retinendi nummi, aut adulterati vitandi, ſecundùm communem praxim,

Hi poſſunt eſſe.

AUrei vel argentei nummi majores, altiùs æſtimentur, quàm apud finitimos, Sic *Richellius Cardinalis* (magnus ille conſiliariorum Galliæ) auro puro & argento, collimitaneam exhauſit Hiſpaniam, cujuſquè Hiſpanici nummi, adaucto ingeniosè pretio, undè Hiſpani mercatores, ſpe lucri modici illecti, tota peculia auri & argenti, ſolo decennio, exportarunt in vicinam Galliam: Eo commento, ingenioſa Gallia, ſibi ſtetit nummis dives, Hiſpanis injurioſa. Atquè hoc illiciendæ extraneæ monetæ; verùm promptiùs ut ſubveniatur ærario, màgis dextrè fiat (nam aliàs ſimplex auctio monetæ, privatis, non ærario lucrum ferat) ſi argentei nummi majores (*taleros* vocamus vulgò) dùm *florenis* tribus communitèr æſtimantur, in quinquè nummos minores, *florenum* valituros, transformentur, ut publicum ærarium, vulga-

ribus taleris, pretio viliore conquiſitis, & recuſis, duas quintas, ſi non *materiæ*, ſaltem ratione *impoſitæ formæ*, lucri nomine acquirat, promptuariis expenſis ſufficiens; Immò, incorrupto talerorum pretio, præſtabit, informe argentum conquirere, admiſto ære recudendum, ſic illatum, non exportabitur, uti minùs extra valiturum. Cautione tamen adhibitâ, contra falſariam exterorum monetam, nè eo prætextu, in decipulum inferatur. Aliàs te ipſum, eo recudendi argenti conſilio, periculosè involves.

Si fieri non poſſit, ut aſcendat nummus, ſaltem invigilandum ut par ſit pretium, vicinorum monetæ, non ideò ſuberit metus exportandi auri, argentivè ad exteros.

Imponenda neceſſitas Dantiſcanis, pro noſtra annona, monetam ut numerent, purè auream, argenteamquè, vel ſi externa ſit, cenſuræ publicæ ſubjiciatur. Fit enim, ut priùs bona inferarur in decipulum, poſtea depravetur; velut eâ viâ, nummi Leone ſignati, aliiquè, huc irrepſère; cui obviabitur, ſi tàm Dantiſci, quàm in civitatibus mercaturæ ſuetis, ſuſtituatur cenſorius Magiſtratus, cujus ſcitu contractus, ipſaquè fiat emptio, nè quid fiat in fraudem pecuniæ.

Qui noſtras merces coëmunt, totum, dimidiumvè pretium, puro auro, craſſioriquè argento, ut ſolvant, providendum, reliquum currenti monetâ numeraturi. Pro exoticis verò mercibus, quibus opus habemus, & in externa eliciunt pecuniam meliorem, non numeretur aurum, ſed argentea moneta.

Ex puriſſimo argento, cudatur moneta, neque *pondere* aut *forma*, ſed *valore materiæ* æſtimetur. Quid enim eſt; ingenti pondere & formâ, cudi taleros, ſi plùs habeant æris, quàm argenti; Sit licet idem nummus, familiaritate currens, quid ſi externi, eundem rejiciant, quid? Similem ſi ad nos inferant. Uti *Hollandi*, nummos majores, Leone ſignatos, ſibi inacceptos, nobis damnoſos ferunt.

Minutior moneta, nulli bono, præterquam abſumendo argento, in multas formas dividitur. Satis ſit, noſtrum ad uſum, unam alteramquè nummorum ſpeciem accommodari, pauca in reliquum variatione. *Venetis*, minutior moneta, purè ærea cuditur, uſui promptuario vulgi accommodata, bonum argentum, datur craſſiori monetæ.

 Di-

Dictum; Minutiorem monetam, æream cudi oportere, ſed periculum adeſt, nè finitimi, purè æreos nummos, clanculò ſubmittendo, (velut Regnum Sueciæ, per Livonienſium commercia, nobis eſt damno) per commutationem hujus fæcis, argenteam monetam, immò argentum ſubtrahant. Nequè hoc ſine remedio, vetito æreæ monetæ uſu, quàm diurno victui rebus mercandis; Utvè altiori emptioni, vel contractui, tribus pretii partibus, aureo puro, argenteoquè numiſmate expoſitis, quarta pars, hâc æreâ fæce adnumeretur; Immò aureus nummus, minutiori monetâ commutandus,tres argenteæ monetæ partes, quartam æream ferat. Quantum peccavit Reſpublica, quæ nummis æreis in immenſum creſcentibus, non poſuit modum, vel poſterior ætas, damno ſuo videbit.

Bona immobilia, certâ ſpecie optimæ pecuniæ, vendantur, emantur; undè præſtantioris monetæ, contractibus aſſervandæ, neceſſitatem adeſſe. Sint igitur jurati cuſtodes librorum, ſcripto connotaturi contractum, juſtâ ſpecie boni nummi exſolutum.

Quod dicitur de argento, exiſtimandum de auro, ut ſit puriſſimum, nequè aurifabrorum fraude intervertatur, pœnâ Fiſci dictâ delinquentibus.

Typis imprimatur, ſpecies nummi liciti, illiciti, nè abeat ignoratio, in excuſationem erroris.

Aurifabri, argentum operatum, optimæ bonitatis, vendibile exponant, ſecùs deprehenſum, cedat fiſco, & delatori.

Eleganti forma, cudatur moneta, indè fraus reſciſſionis patebit. Quod practicatur hodie in Gallia.

Non liceat incolis, exoticas merces auro puro ſolvere, ſed argento, ſic aurum, quod importatum, non exportabitur. Immò, ſi fieri poſſit, Hungarica vina, commutatione mercium (quibus opus habent) petantur, retinendæ domi pecuniæ.

Tributa, certâ ſpecie boni nummi exigantur.

Moneta cudatur, æſtimatione bonitatis, vicinorum monetæ, inferiorem ſi cuſeris, tua quidem non exportabitur, ſed mala importabitur.

Poſt rem Monetariam; Altero loco, inter modos ditandi ærarii, *commoditas commerciorum*, poni poteſt, ubi enim crebra exercentur

centur commercia, multa ſunt inductorum, evectorum, & tranſportatorum telonia.

Provideat Princeps, ſecuritas ut ſit viarum, & commoditas hoſpitiorum, tollat impedimenta fluviorum (in vicina rura, curam & opus purgandi alvei, proportionatâ menſurâ diviſurus) navibus equorum operâ, contrario fluvio trahendis. Commoditas enim aquarum, immanè, quantæ moli, deportandarum mercium prodeſt. Fertur certò, canalem Brabantinum, qui Bruxellis, Antverpiam verſùs ducitur, quinque centenis millibus aureorum conſtitiſſe. Nec inutili impenſâ, præter enim fructum, quem illa telonia, importarunt ærario, (ut duplum expenſorum pretium ſuperarint) reſtat in reliquum, prompta commoditas mercimoniorum, diurnaquè ærarii ſubſidia.

Ubi montoſa Provincia, fieri non patitur canales, imponendum civitatibus, mutuam ut habeant curruum & vecturarum communicationem, invitandis eâ commoditate incolis ad commeandum, undè creſcit mutua populi amicitia, dein ſocietas, poſtremò commercia inſtaurantur.

Non in commoditate publicorum curruum, & vecturæ, ſed in tranſmiſſione literarum, multùm intereſt commercio. Juvat igitur, in quacunquè bene ordinata Provincia, vel civitate, impenſis publicis, haberi tabellarios (*Poſtiones*, aut curſores, vocamus vulgò) Prout apud nos invaluit nuper, latiuſquè mos invaleſceret, civitatum & oppidorum inter incolas, ordine tabellariorum inſtituto, pro numero incolarum, biennio, vix ad eundem, ordine commeandi redeunte. Plurimas commoditates in publicum, ab eo capit, qui ſapit.

Societas populi in commercio, Eſt mihi *tertia* ditandi ærarii materies.

Non ſolùm commoditate commerciorum, incolæ provocandi, ſed prudens neceſſitas imponenda; Ab emptione immobilium, ſeu venditione, ut arceantur cives, ſocietati qui recuſarint. Dicitur verò ſocietas, non unius tantùm civis cum alio, ſed integrarum civitatum, unius aut plurium regnorum, ad exemplum ſocietatis *Hanſeaticæ*: Atquè hujus ſpeciem inſinuabimus.

Retinetur aptè ſocietas, communione civitatum, per delegatos

tos in ſimul conveniendo, conſultandoquè, *ſocietatis Hanſeaticæ* exemplo. Quæcunquè civitas, ad comitia convenire, neceſſe illic habet, aut ſi venire omittat, pro unoquoquè die abſentiæ (ſeriùs quò venerit) viginti taleros perſolutura, vel ſi omninò negligat, ſubit *Areſtum*, vel excluditur à ſocietate.

Ærarium ſit publicum ſocietatis, quo civitas quæquè, annuatim conferat aliquid, in commune.

Qui fœderi inſcribi volunt, inferant aliquid ærario.

Duæ viciniores civitates, eliberationem tertiæ (ſi aliquo malo prematur) procurabunt.

Nemò fœderatorum, ultrà ſcitum aliarum civitatum, cum hoſte paciſcat.

Si peregrinus contra ſocietatem fecerit, in bello contra ſerviens, arma vel conſilium ſubminiſtrans, in ulla fœderatarum civitatum, locus ei ſit, verùm carcerem & *Areſtum* patiatur.

Ex una civitate pulſus, in aliam ex fœdere non recipiatur.

Certo tempore, alicui ex fœderatis ſerviens, totale jus civitatis acquirat, aut aliquam ſummam lucretur, in comparando jure.

Quæquè civitas ex fœdere, certum numerum vendibilium armorum, habebit, pro commoditate fœderatorum. Maximum aliàs incommodum, ſi deſint coëmendo, quæ uſui neceſſaria, ut velut dono acceptum habeas, quod in neceſſitate, commodè emptum acquiris.

Aliquis fœderatorum injuriatus, communitati injuriam deferat, ut ei patrocinium ſit, ex fœdere.

Nemò à fœderatis, bello aut prædâ parta emat, ſub pœna mortis.

Aliò merces ſuas exportans, amittit jus civitatis.

In civitatibus emporeticis, quæquè fœderata civitas, providebit ſibi domum, rerum procuratorem habitura.

Quæ omnia, tuentur, ſervant, aut ditant ſocietatem, non levi ærarii proventu.

Quod dicitur de civitatibus, intelligi poteſt, de fœderatis Provinciis, aut perſonis.

Sunt item modi augendi ærarii, cum juſto convenientes, quos promiſcuè indicare, in rem fuerit, uti à ſcriptoribus, ſeu à diverſa praxi, erui poſſunt.

In

In oppignorationem, præter purum argentum aurumvè, nihil deponatur, certam penſionem inferendo ærario, ab oppignorato.

Peregrinorum morientium pecunia, cedat fiſco.

Utiliùs, ut exteri veniant ad coëmenda noſtra, quàm ut noſtri exeant, ad vendendum ſua.

Infames, certo pretio reſtituendi, in neceſſitate pecuniæ.

Facetum erit, quod ſequitur; adferam tamen: Lacedæmonii, neceſſitate pecuniæ preſſi, ſcitum fecerunt; Totâ urbe, tùm circumjacenti agro, Dominos, familiam, jumentaquè, uno die jejunare debere, quantum quiſquè inſumpſiſſet non jejunaturus, tantundem inferret ærario.

Inteſtatorum plebeiorum quarta pars, cedat fiſco ex mobilibus.

Cùm ſucceſſio immobilium, deſcendit ad fœminas, quinta pars ſucceſſionis æſtimatæ, cedat fiſco; Non tàm enim opes fœminarum proſunt Reipublicæ, ac virorum.

Ab inſcriptione advitalitatis *in ſolidum*, vigeſima pars redituum primi anni, in ærario deponatur, inſcriptio aliàs ſit invalida.

Fœmina vendens, aut oppignorans, quinquageſimam æſtimati, ærario inferat.

Jus tutoriæ, capiat Princeps, vel Reſpublica, ut quantum ab expenſis pupillaribus, debitorioquè defuncti ſupereſt onere, reliquum proventuum, fiſco inferatur.

Accipientes publicos agros, advitalitii nomine (*bona Regalia* nobis dicuntur) cenſum anni primi, inferant ærario, locatione uſu fructuum, plus offerenti (ut ajunt) propoſitâ.

Pauci exactores ſint cenſuum, nè ſalariis diſtrahatur proventus.

Potiùs viri & arma, Provinciis imponantur, quàm tributa; pecuniæ, vitio exactorum amitti poſſunt, viri non item. Exemplo Turcicorum *Timariotarum*, ſeu agrariorum militum, qui pro menſura fundorum, militare tenentur. Prout nobis Polonis, ſunt *pedites* per Palatinatus, *agrarii*. Atquè utinam, plura talium ſigna ſcriberentur, ærario non moleſta, colonis (vagabundos per diſcurſus, aut queſtuoſa per hyberna) minimè formidanda; Propriâ veſte, annonâ, ſtipendio, armis, inſtructiſſima; caſtris inexhauſta, ſeditionis non ſuſpecta.

Milites agrarii, *nec Provinciæ, nec ærario moleſti.*

G

Defi-

Deficiente ærario, amor incolarum in Patriam provocandus. Quantùm quisquè amat Patriam, offerat Reipublicæ gratuitò, aut saltem mutuò. Facilè verò præstabitur, aliquibus clam substitutis, ac largitionem proposueris, aliquid publicè ut offerant (licèt postea resumpturi) in æmulationem cæterorum; sic Henricus secundus Rex Galliæ, exercitu ab Hispanis ad Sanctum Quintium cæso, cùm penuriâ pecuniæ, militi reficiendo laboraret, indictis trium statuum comitiis, petiit per Cancellarium, mille personas, civium ditiorum, ex omnibus Provinciis nominari, cuiquè impositâ necessitate, mille scutatos (taleros vocamus vulgò) sine fenore, in fidem Principis conferendi, interjecto tempore reddendos. Quâ ingenti summâ, per insensibilia promptè collata, subvenit ærarii necessitati, & bellum felicitèr confecit. Præstat quandoquè, collationibus, incolas Remquè publicam gravari, quàm amitti.

Publicâ parsimoniâ, augetur ærarium, sumptus inutiles publicorum ædificiorum, aut splendidarum legationum, si vitentur; ut liberalitatis, sic opum, fons est parsimonia.

Quæ sine impensa fieri possunt, præstentur; plebeiis concessa Nobilitate, propriis stipendiis, annos aliquot qui militaverint. Nobiles item, suo sumptu, castra qui secuti fuerint, titulo augeantur. Immò, civitatibus aliqua privilegia concedantur, quæ certum numerum militum submiserint, vel navem, si mari bellum geratur.

Redditur Provincia nummata, si quisquè privatorum, habeat publicè carbonam, quò decimam proventuum, anno quolibet, publici notarii per manus, deponat, decennio totum simul resumpturus, eadem in annos sequentes, repetitione. Quod serviet parsimoniæ, ac usui privatorum, tùm vadimonium publicum, uniuscujusquè fidei, habebitur.

Divites censum, pauperes operam conferant, vallum fodiendo, vias publicas curando, canales & urbem purgando.

Potiùs aliquando, opera & commeatus, vel arma exigenda, nomine tributi, quàm pecunia.

Capitatione, augetur ærarium, ut populus menses in singulos, viritim offerat nummum, pro numero populi, ærario inferendum.

Æra-

Ærarium duplex instituatur, ordinarium alterum, diurnis expensis paratum, alterum sanctius, ex minimis proventibus, summâ Reipublicæ necessitate, aperiendum. Sanctius dico (justa moderataquè ex collatione) non, quod absit dici possit, pauperum lachrymæ, emunctio, pressura, & spoliarium subditorum.

Partiti sumptus bellici, levant impensas ærarii, altera Provincia, si procuret annonam, arma altera (dein pulverem nitratum) altera certos pedites, equites altera, aut in ditiores civium, impensæ dividendæ.

Scriptæ membranæ, Principis manu, senatorumque connotatæ, (adjecto cùjusquè pretio) vice pecuniæ, stipendii loco distribuentur; mercatoribus necessitate licitandi impositâ. Ditescente publico ærario, redimendæ, aut loco tributi, retrò in ærarium inferantur.

Non indecorum Principi vel Reipublicæ, augendis belli proventibus; exercere certa nonnunquam mercimonia. Ut si negotiatio sit nimis expensiva, cui privati haud sufficiant, longinquitatis ob periculum, vel quando magni apparent proventus, solo Principi convenientes; Idquè publici boni commodo; ut si frumentum coëmat *fiscus*, annonæ penuriâ, populo vendendum, non indecorum esto. Non quidem probaverim negotiationem, sed immò probro imputem Principi, si præsertim ad vilia lucrorum demittatur, prærepturus commoda, institorum minimis, sequè præsens rebus immisceat, avaritiæ màgis, quàm communis boni usui; Verùm si honesta insit, per fidissimos Præfectorum, mercandi industria, immò *fisci* potius, quàm Principis, cur improbem illam? Multò utiquè turpiùs, màgisquè infame, populum tributis gravari, quàm per industriam, necessitati subveniri; Diviso præsertim in opulentiores mercatorum ære, pacto societatis, & lucri exindè proventuri, adjectâ partitione.

Non tantùm Respublica, sed civitas quæquè, habeat proventus privatos & ærarium, quo publicæ necessitati subveniatur. Ea verè dives est Respublica, quæ deficiente publico fisco, habet promptè domi, undè mutuum petat.

A collimitaneis populis, procuratur pecunia, si ad hostiles colonos mittas, viritim ut redimant, quietem agriculturæ, nè à tuis præpediantur, immò redimant libertatem & prædam.

 Subactis

Subactis in civitatibus vel Provinciis, tolles jus succedendi, super immobilia, extra directam progeniem masculorum, nam ad Principem devoluti agri, poterunt vendi *jure feudi*, undè pecunia, sumptibus belli sufficiens, coäcervabitur.

Ex successione collateralium, & tutoria pupillorum, ab intestatorum item bonis, pars pecuniæ petenda.

Ab emptione immobilium, venditione, locatione, conductione, centesima æstimatorum, inferatur ærario.

In Hispania, quoties immobilia venduntur, decima pars emptionis, infertur fisco.

Quovis à contractu pecuniario, à *re lucrata in judicio*, centesima adjudicati, detur ærario.

Sed justissimè ab iis, qui vitato emptionis puræ contractu, pignoris modò nomine, opulentis inhiant fundis & proventibus, otiosè dites & avari, vigesima aut trigesima exigenda, saltem in pœnam avaritiæ, & erga incautos hæredes corruptelæ.

In summa necessitate, nobilitatis tituli, mercatoribus vendendi.

Hispanorum ærarii, quæstuosum inventum, vt contractus & Privilegia, tùm decreta lucrorum, signo Regio, impressa in papyro, scribantur, publicorum ministrorum curâ, cariùs vendenda; non levi ærarii proventu, nec magno ementium damno, dùm emendo lucrantur.

Stipendia, militibus nunquam augebis, nam ea commodissima exhauriendi ærarii via, dùm perpetuum onus, portabis incautus. Sed potiùs certo donativo, præmiabis pro tempore, benè meritos, nè aliàs usurpata gratitudo, sensim abeat in debitum, ullo novæ recompensæ in post titulo, nec elevandæ merentium virtuti, vel dantis in æstimatiora renovandæ gratiæ. Immò, prudenti exsolutione militaris stipendii, parsimonia & auctio fit ærarii. Prout nonnulli, mensem militarem fecerunt, quinque sexquè hebdomadum, ut duo menses deperdantur, ærario minimè graves; Vel màgis industriosè alii, & minore militum in questum sensu. Primâ Dominicâ primi mensis, dein secundâ secundi, atquè tertiâ tertii, menstruum stipendium solvi jubent, sic circuitu hebdomadarum facto, quintus mensis, subtrahitur stipendio, ærario annumerandus.

Faci-

Faciliùs contribuunt subditi, cùm viderint, in publicam necessitatem, non Principis luxum, imperari tributa; vitet igitur Princeps, dilapidandi opinionem.

Monopolia rerum exoticarum, tutè potest inducere Princeps, præsertim si luxui, non vitæ necessitati, sint accommodatæ.

Quoniam novâ possessione bonorum (gratuitò quæ accedunt) naturale recreari animum, ut velut ex alieno, liberaliùs dividant homines, quàm ex ante possessis, quibus dudùm inhabitavit animus; Non grave, quoquo jure succedentibus, antequam occuparint possessionem, ut inferant ærario, Vigesimam, decimamvè bonorum æstimatorum, aliàs non adeatur successio, sive adscrita, directa, collateralis, sive sit advitalitia, antequam tabulis publicis, pensio inferatur. Si verò intra mensem pensionem inferre neglexerit aliquis, fraudem facturus ærario, proximior succedens capiat bona, idem præstaturus.

Sed Hispania, conquirendæ pecuniæ Magistra, invenit enim modos ingeniosè colligendæ, dùm opus habet, à luxu vel maximum, dein à *chartis lusoriis*, aleis, dùm emuntur. Apud nos item, ab iis, quæ heluonum, non ingenuorum sunt civium, justissimè tantundem tributi nomine exigi posset, quanti constat, quod emitur.

Rex Hispaniæ, concessione Pontificis, decimam redituum, ex bonis Ecclesiasticis per Hispaniam quandoquè recipit. Constat immò, quondam concessum Hispaniæ Regi, bello Turcico, dimidiam partem argenti sacri petere; Velut nobis Polonis, hodierno sub Pontifice, *Alexandro Septimo*, bello Suecico permissum. Cariores Deo animas, & sacra, quæ bello perduntur, quàm muta metallorum altaris ornamenta.

Civitates & oppida Hispanica, habent reditus publicos, è fundis propriis, & è mulctis delinquentium, undè partem tertiam, quotannis aufert Rex.

Quondam usurpatum apud Venetos legitur, in defectu pecuniæ, aliqua bona mobilia, taxæ ut subjicerent, duplici tamen æstimatione, quàm res constabat. Admistis vacuis, sub nihili nomine schedulis, pro numero schedularum, personæ convocabantur, ut præsenti senatu, extraherentur. Qui vacuas extrahe-

bant,

bant, perdebant vadium, qui lucri nomine inſcriptam ceperat, certâ priùs numeratâ ſummâ, (ſed longè minori, quàm res conſtabat) totam rem lucrabatur, reliquorum inſenſibili damno.

Illum quoquè acquirendæ pecuniæ modum, alicubi uſitatum, non improbaverim. Cùm quædam nobilium prærogativæ, ipſis nobilibus venduntur. Quod per juniorem ætatem, facere, aut capere non licet, certâ depoſitâ ſummâ, capere, tùm facere liceat. Vel ſi quæ in eam formam.

Ærarium potiùs dividendum, quàm uno loco habendum, nè ſi ille locus, aſtu ab hoſte capiatur, aut Provincia, vel civitas, rebellis fiat, periculum ſit theſauri. Idem ſentiendum de *Armamentario*.

Feneratores ſint obſtricti, Reipublicæ in neceſſitate, ſine fenore, mutuam dare pecuniam, juſto pignore accepto.

Non aliundè certior ærarii proventus, quàm ex agrorum cenſu, bona publica ut ſint, quorum uſus fructuum, inferatur ærario. Nullum regnum commodiùs, quàm Polonia, ſibi provideret, tanto in numero publicorum agrorum (*Staroſtiarum* vulgò) quibus abundat.

Nec ille Regum olim, pro ſuo fiſco imprudentèr. Ruricolarum cuiquè, neceſſitatem impoſuit, ultrà ſuetas in alimentum ſementes, modium frumenti, Principis nomine, annuatim ſeminandum, undè ex accreſcenti, Principis in horrea, duæ tertiæ inferrentur, augendi ærarii commodo: vel rectiùs ſit; unaquaquè in Provincia, publicum agrum haberi, quo ſemel in anno, ruricolarum proximior quiſquè, araturus venire teneatur, dùm ſerendi tempus adeſt, alterâ vice, cum falce affuturus, dùm colligendis frugibus, maturitas vocat. Eâ planè inſenſibili, ſed multarum ſimul manuum operâ, multùm frugis parari, & prodeſſe ærario poſſet, ſine diſpendio privatorum. Verùm maximè conducat, ea publici agri commoditas, providendis victualibus fortalitiorum, in caſum obſidii, ſi quodquè fortalitium, ſuum proprium agrum, in ſubmæniano habeat, immò quæquè legio aut cohors, undè collatis frugibus arcium penaria, ditè provideantur annonâ, pecunia ſecùs, per inſolentiam Præfectorum, in vana expenſorum profunditur, aut per avaritiam retinetur. Non quærere operosè cum impenſâ, verùm paratam annonam aſſervare, cuiquè promptum.

Eadem

Eadem ab occaſione, opportunè dicendum non omittam, non leve poſſe fieri, apud nos præſertim Polonos, ærarii augmentum, parſimoniâ expenſæ, in præſidia, reparationemquè munimentorum. Si quod ab ærario expenditur, aliundè provideatur. Videlicet, à qualibet Præfectura, duo, triavè rura, in proviſionem caſtri, ſi avellantur. *Smolenſcii*, *Camenecia*, *Kiiovia*, aliorumquè, tàm intra regnum, quàm à limite; Præfecto aut proviſore deſignato, cui arma, munimenta, & quæ obſidionis caſibus opportuna, ſint curæ. Non perpetuum verò Præfectum velim, ſed trienniò, ſcito provincialium legendum. Perpetuitate Magiſtratuum, corrumpi facilè, ſuperbire, immò inſoleſcere homines, nec tàm diligentes reddi, quàm ſi deſignatione renovatâ, ſua quiſquè (alius atquè alius) recentia ſtudia, diligentiam cum induſtria, tùm laborem, officio ferat, nè per inertiam tranſactum, ceſſiſſe ingloriè ſucceſſori videatur. Præſidia munimentorum, ſi non ex mercenariis legionibus ſubſtituentur, ſaltem urgentiori caſu, agrarios pedites, armis, pulvere, globis, commeatu inſtructos, nobilitas Provinciæ, *jugeratim* ſubmittere munimento teneatur. Inſuper, ſingulos in annos, menſuram frumenti, de jugere quolibet, intra fortalitium inferat, proximior quiſquè, ut coäcervatâ ſenſim annonâ, caſibus obſidionum ſufficiat. Dein ruratim, bini operarii, cum pala & rutro, truſiliquè vehiculo, ſemel in anno ſubmittantur, reparationi munimentorum; Sic magno ſervandæ Provinciæ arcano, & parvâ ærarii tùm privatorum impenſâ, locus ſeipſum aptè nutriet, conſervabitquè. Aliàs occupatio regionis, munimentorumvè, ſit damno, ſi onus & conſervatio, publico ærario incumbat, fructus loci, privati civis cedat commodo.

Si aliqua pecunia, ultra expenſas ſuperſit, poterit certo pacto annuæ penſionis, (velut Auguſto Cæſari erat ſuetum) inter opulentiores mercatorum, uſui commerciorum dividi, ut partim ſibi, partim Reipublicæ, lucrum procuretur.

Moris olim erat, quibuſdam circumſpectis gentium, rebus fiſci & quæſturarum, homines juniores ut præficerent; Juventus enim, minùs avara, màgis eſt verecunda, & talium innocens, immò patitur correctorem, dùmquè primæ ætatis virtutem ſimplicem (nondùm per aſtutias imponendi, ac evadendi artibus

exer-

exercitam) negotio ferunt, non tàm ſunt fallendi modis ſecreti, aut circumſpecti, quin deprehendantur in correctionem. Secùs ætatis inveteratæ hominibus, neceſſitate, occaſione, dèin temporum & perſonarum familiari notitiâ, ſub pallio quæſitæ authoritatis, malè agendi uſus venit, ut etiam fallere ſciant, ſine ſenſu, præſertim dùm tractu temporis, & officiorum, explicandis artibus, parandis miniſtris, tempùs lucrantur. Prout juniores etiam, lubrico ætatis, & occaſionum, viſcata per officia, facilè corrumpuntur, niſi alii poſt alios, promptè ſubſtituantur. Dixerim igitur, moderni vitio ſæculi, continuandis officiis, ſæpè vocari experientiam agendi, cùm ſit, non illa fidelioris, aut exactioris erga Rempublicam ſervitii, verùm etiam, coöpertioris in rem privatam aſtutiæ. Immò, loco prudentiæ, fallendi artificia, & inſolentiam, diuturnitate officiorum comparari.

Theſaurus, non tam potenti Principi, civi (vel civitati) credendus, undè non poſſis repetere dùm velis. Nequè loco tàm debili aſſervetur, undè fortior quiſq;è dùm velit, aut prior armatus, capiat.

Habeat (quod ſummum) Reſpublica libellum, quò publicæ opes contineantur, portus, vectigalia, collationes, tributa, quantum civium & ſociorum in armis, quot neceſſitates, largitiones, expenſæ, nè ſumptus cenſum ſuperet. Quæ neceſſaria, impenſis curentur, reliqua, ut minùs profutura, & damnoſa omittantur. Cui rei, perpetuum magiſtrum habeat Reſpublica providendo.

Ratio ærarii, commodiſſimè à *Quæſtoribus* petitur, (velut quibuſdam populis ſuetum) dùm publicæ pecuniæ & expenſorum, rationem reddere, priùs coguntur, poſtea privatæ fortunæ, calculum ponunt, unde accepêre, quæ novitèr (velut ſomnio divites) ipſi habent. Cauſam quorum dederint, ea poſſideant ſecuri, vel ſecùs, velut ſuſpecta, & ſubdolè parta, reddant ærario, quorum habitorum, ſufficiens non datur ratio.

Studium theſauriſandi improbari politicorum quibuſdam; Nè occaſione implendorum loculorum, avaritia ſenſim, animo Principis ingeratur, munificentia & liberalitas, inter infructuoſa, parcitas vectigalis dùm habetur, eòquè preſſura populi, abeat in cenſum.

cenſum. Juvenis adhæc ſucceſſor, ſi capiat Principatum, pro fiducia Paterni ærarii, propè ut inſoleſcat; ſenſim quæ inferuntur ærario, reſpectu jam paratorum, negligens, curam ſui & induſtriam providendi, intermittat; vicinorum amicitias ſuperbus ſpernat, ſuarum virium inſolens, alienarum expenſor incurius, aut iniquus. Undè occaſione ditis gazæ, vel pro temeritate, bellis & periculo involvatur, inſuſurrantibus præſertim, obviis luxuriæ miniſtris, ſatis opum ſibi, majorum curâ partum, quomodo præſentibus fruatur magnificè, non ut triſtem curam induat providendi; ſtudium futurorum, inter inhoneſta generoſi Principis, falsò reponentes. Eò verò faciliùs, transfertur ille prodigendi in inſolentiam, quorum non ſuo labore, vel curâ parator, etiam penſator ut ſit negligens, crediderim; Alienus labor, cuiquè levis eſt, proprius certè gravis, proindèquè æſtimatur. Sæpè ideò, meliùs proviſum ajunt, qui occaſionem induſtriæ, vel neceſſitatem, quàm paratam gazam, in occaſionem corruptelarum, & inſoleſcendi, reliquit ſucceſſori. Verùm è contrario, rectiùs opponi poteſt; Niſi adſit præſens ærarium, per tributorum vectigaliumquè licita, pacis beneficio ſenſim coäcervatum, quis modus repentinis? quæ cura providendi, periculoſis? tardum ſit tunc quærere arma, commeatum, nummos, (non enim ærarii nomine, ſolam pecuniam vocaverim) dùm opus. Non cuilibet verò Principum ineſt, vel habetur fides conceſſi (*Creditum* vocamus vulgò) aut ſi adſit, non adeſt in promptu, tàm opulentus creditor, quantum bellum & neceſſitas requirat. Futura igitur (utar communi dicto) *mature provide*. Tanti quiſquè eſt, quantum habet. Etiam ſacræ paginæ monitu, remittimur ad formicarum ſapientiam, matura æſtate providentium, quæ hyeme opportuna, nè intempeſtivæ curæ pœniteat.

Opes Regnorum & potentia, non proindè major eſt, quò majoribus Provinciis regnatur, verùm ſufficit, proportionata ut ſit Regni magnitudo, ſufficiens, non exſuperans, modò recto habeatur ordine. Mirari licet *Carolum Quintum Cæſarem*, cujus imperii magnitudo, tot terris diſtendebatur, quantam vix in triumphante, & victrice Roma, ſuſpexit orbis (præter enim imperium Romano Germanicum, Hiſpanis, Belgis, Neapolitanis, Siculis, aliiſ-

aliisquè circa Italiam terris & Insulis, & quod omnem magnitudinem fidemquè superet, Orbi Novo, id est *Americæ* imperabat, undè auro argentoquè, tot sæculorum fœtu, gravidi montes, opes suas largè effundebant) ob defectum tamen stipendiorum, exercitus ejus, seditionibus cùm scinderetur, immò quod mirêre, tot populis fulta potentia, sæpè defectu militum, cùm laboraret; Fortè factum, quod unius hominis mens, tantæ moli ad punctum regendæ, seu obviando hinc illinc orientibus malis, partes in omnes non sufficeret, quàm dùm propria quisquè, curat Regna è proximo, màgis per se, quàm per *vice Regum* emunctorias manus, quæ (præsertim à remoto) haud per omnia fidæ: Seu quod magnis imperiis eveniat, velut prægrandibus & obesis corporibus, quæ pondere gravantur, sibi ipsis molesta, & impeditiora, quàm ut in omnes casus & occasiones, se regendo & movendo, expedita sint, dùm disgregatas vires habent, & *quæ*, *magnitudo sua*, *vulneribus objecit*, ut ferè ascensus magnitudinis, descensus potentiæ sit, tantòquè debiliora eveniant imperia, quantò plùs supra proportionatam magnitudinem, gravem sibi ipsis acquirunt molem. *Mediocria* contemnere cavent, & excitant curam sui, tùm industriam, secùs uti virium, sic opum, aut provinciarum (etiam ingenii) *magnitudo*, primò fiduciam ingerit, incuriam dein, ac post causat damna, & lapsum. Quod re ipsa in aliis, tùm in Carolo videas, dùm penes monstrosam imperii magnitudinem, vix sufficeret, unius Regni Galliæ potentiæ. Vel si licet, ad *Ticinum* Regem Galliæ Franciscum, victum prælio duxerit captivum, màgis casu, & vigilantiâ *Davali Piscarii* (pro Carolo Ducis) factum, quàm potentiâ, nam tùm maximè destituebatur stipendiis, Cæsarianus miles, cùm Galli, viros, pecuniam, omnia bello necessaria, affatim haberent, eòquè inerat contemptus hostium, & negligentia sui. Quod verò, imperium olim Romanum, opes & potentiam, ex præparato haberet, pro magnitudine, sibi proportionata, factum, quia sub nomine Reipublicæ, promptiùs magnæ Provinciæ & Regna reguntur, quàm sub regimine unius, cùm non prout à sorte nascendi, bonus malusvè Princeps, aut perspicax, populis obtruditur (idquè magnæ moli regendæ, in omnes partes haud æqualitèr providendo sufficiens)

Ad Paviam vulgò.

ficiens) sed cùm paris authoritatis cives, intra virtutem, fidem, & amorem, in gratiam Reipublicæ, fidelitèr sibi commissa, velut sua curant, non ministri, sed màgis civis (ac si dicere licet, *condomini aut comparis*) nomine, dùm paritèr regunt, quàm reguntur, nec pro domino, & in rem unius, sed pro Republica, & communi libertate; Undè erigitur, contenditquè civium animus in altiora, liberiùs hoc aut illud appetens, & pro genio, spontè se rebus commodans; sub unius verò dominatu, secùs, supprimitur generositas, nec spatiatur liberior mens, immò non adest, pro libitu exerendæ virtutis occasio, cùm prout hic aut ille, ex placito Principis vocatur, obtruduntur Magistratibus & officiis, sæpè verò, pro sorte occulti favoris, quàm ex merito virtutis. In Republica deindè, melior pejorem, ex pari potestate, dùm observat facilè, & intra libertatis amorem, dùm corrigit, rectiùs haberi omnia necesse. Prout res Romana documento, quæ libertate crevit, invalescente Cæsarum dominio, collapsa est, quod Aristocratia sudore paravit, Monarchia perdidit. Nunc quoquè, titulo quocunquè, Civitates liberas Italiæ, Belgii, Germanorum, per omnia togæ, armorumquè munera, structuris etiam publicis, opibus, mercimoniis, regendiquè modo, venustiùs haberi, dùm seipsas regunt, quàm quæ, (reciso nomine libertatis) stricto jure dominationis premuntur, non suæ gloriæ aut commodo, tùm benèplacito, sed pro dominantis libidine, totum impensuræ; spontanea minimè gravant, jussa semper molesta sunt. Verùm, quò tandem? impetus scribendi me rapit.

PUNCTUM TERTIUM.

Quid suscepto bello agendum?

Causæ justitiam evulgabis scripto, antequam bellum suscipies, præsertim, (quoàd justè ostendere potes) prætextum defendendæ religionis. Indè assequeris, ut rationibus tuis, tanquam justis, omnes assentiantur, & compatiantur, immò studiosiùs juvent.

Quod propè, Papam fautorem partium quæres, in majus argumentum causæ, tùm Cardinalem, aut Episcopum, eliges necesse, partium promotorem.

Societatem armorum ineas, cùm externis, & amicis, prædam, opportunitatem, vetera adversus hostes odia, futura (ni subvertantur) mala, ostentando; Vel si non parabis socios, saltem amicos quæres, è vicinis Principibus, nè ad hostem deflectant, nè pecuniâ aut consilio juvent. Parabis verò, & retinebis amicitiam, per occasionem legationis, donis, omniquè meliori modo, eorum animos pervadendo, à quorum consiliis Reges dependent, præsertim si tuum legatum, præsentem habeas, testem amicitiæ, & censorem, seu vadem, tùm ut eadem occasione, societas armorum suadeatur. Sed qui petit ab aliquo suppetias, præsertim rebus in desperatis, caveat, nè se demittat nimium, nec nimis solicitè, alienam imploret opem, aliàs fortunam suam, prorsus desperatam faciet, nullus est, qui solâ motus misericordiâ, jacenti dexteram porrigat (nam hic affectus, omnium impotentissimè agit, nec tàm diu durat, prout *spes*, *metus*, *gratia*, *odium*, *vel necessitas*) aut qui tueri velit eum, qui de seipso, rebusquè, sperare desiit, nisi potiùs, involvi difficultate metuat, si negotio immisceatur. Pompeii causa, multùm in opinione Phtolomæi deperdidit, cùm tantam, legatorum ejus submissionem, coram usurparet oculis, rectius ille alter. *Non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ, agendum studuit.* Hinc proximè, succensuerit quisquè *Antonio Justiniano* Oratori Veneto (apud Fran-

ciscum Guicciardinum lib. VIII. Histor.) Qui post Cameracense fœdus, quo Principum contra Venetos conspiraverant arma, ac post *Giaradaddæ*, seu *Vailæ*, ut alii apellant) cladem, infrà quàm oportuerat, submissa oratione, nomine illius Reipublicæ, Maximilianum I. Imperatorem, à societate armorum Galliæ Regis, avellere contenderat, sua illi dedendo, quo màgis res Veneta, contemptum tulit, quàm ut aliquid proficeretur. Non oportuerat, tàm properè, eò consternationis venire, cùm non semper desperata sint, quæ desperata creduntur, prout tempora posteriora, & melior fortuna Venetorum docuit, dùm sua gloriosè recuperarunt postea, turpis verò consternationis memoria, in hanc usquè ætatem manet, non levitèr, Majestatem illius Reipublicæ vellicando. Quantò rectiùs olim Romani, desperatis casibus, eò màgis suprà fortunam erectiores, ex memoria prioris fortunæ (vel à spe meliorum) constantèr agebant, non infrà consuetam gravitatem, sese demittentes, cùm scirent, æquè properam credulitatem, & timores esse nocivos, quàm nimiam sui confidentiam. Fortunam, miros habere eventus, ac sæpiùs, post desperata, meliorem succedere, cùm rector fatorum Deus, per contraria plerumquè, in melius agit, in confusionem humanorum, hostem erigit, sed ut casu graviore ruat, pœnam reperturus, media sua in fortuna; concedit, ut concutiat nostra, nè tamen extremè frangat, prohibet. Dùm mutuam hostium discordiam, aut potiorum capitum, mortem permittit, vel tædium belli (ex cupidine ad sua redeundi, præsertim ob defectum pecuniæ & commeatus, tùm ob incommoda temporum, duræ hyemis, aut intempesti cœli, undè virorum jumentorumquè, ex infectione morbi, nec dubia strages) animis ingerit, exindè victoriam prosequendi, animum aufert, & consilia, levi momento confundit, vel quia extrema nostri pœna, in ordinatione fatorum nondum maturuit, sed intra bonitatem suam, paternè comminatur Deus, dùm interim nos cupit corrigi, vel dùm victorum superbiam arguit; ut consultiùs sit, non illicò despondere animum, verùm apertâ vi, resistere cui non possis, saltem qualitercunquè, tua ut defendas, in protractionem, ab exspectatione meliorum, ex tempore & occasione, capturus consilium. Velut tunc quo-

Diversè alii Pugnam Cassani *vocant.*

 què

què, Venetorum hostibus (qui spe devoraverant totum) accidit. Et olim Annibali, dùm post attritas Romanorum res, *ad capiendam urbem, nec animum sibi, nec fortunam adesse ajebat.* Vincere sciens, victoriâ uti nesciens. Multi secùs ceciderunt, ut altiùs assurgerent. Nec Romani, ad subigendam Carthaginem, habuissent spem & animum, in Africam, Majestatem imperii protensuri, si Annibal eos toties vexando, ultra mare transeundi, & victoriam prosequendi, occasionem non aperuisset, velut venatores, in ea loca decurrunt, non quæ adire in præsens intentum habebant, sed quò fugiens fera, & occasio duxit. Et Polonorum constantia, virilis tùm infracti animi, titulum mereatur, cùm totâ Europâ, hac ætate in nos concitatâ (trecentis ampliùs, hostium armatorum millibus, per diversas Poloniæ partes, simul bellantibus, Suecis, Germanis, Moschis, Hungaris, Valachis, Moldavis, Tartaris, rebellibusquè Cosacis, & planè toto amisso Regno) maluerunt desertâ domo, castra sequi, alii uno alteroquè Poloniæ in angulo, velut exules, adversam fortunam masculè pati, quàm turpi hostium pactioni (Suecorum, de tradenda Prussia, Moschorum, de cedendo Lithuaniæ Ducatu) assentiri, melioris fortunæ tandem non desperabundi, ut redeunte per Dei gratiam propitiori fato, màgis decori sit, & gloriæ, meminisse viriliter patiendo, infractos tulisse extrema, quàm (absit foret) succubuisse molliter, immò pusillanimiter adversis. Constanter verò in adversis agendo, confunditur hostis, & aliquid occultarum virium, subesse credit, quem confidentem sibi, nec fractum animo, aut prorsus desperantem, sed erectum videt; utiquè victi magnanimitatem, etiam victori esse cordi & honori; pusillanimes, etsi casu vincant, ludibrio tamen, & contemptui (nè dicam indignationi) sunt victis, dùm quisquè fortem, quàm ignanum vincere, aut ab illo met vinci mavult. Sed hæc ex occasione, & ferè ultra intentum dicti.

Suspicio aut diffidentia, inter hostiles finitimos facienda, nè jungantur.

Transfer bellum in hosticum. Sic Romani Annibalem averterunt, invadendo Africam; Immò præstat, hostilis terræ commeatu, & ruinâ belligerari, quàm tuæ. Adde, quod Tacitus suggerit. *Propinqua Cremonensium mœnia, quò plùs spei ad effugium, eò minorem ad resistendum animum, dabant;* Cujus rei aberit suspicio à tuis, si procul à domo remoti, hosti serviet in consternationem, in cujus terra & domo, bellum est.

Auxilia præpedias hostium, adventantibus ibis obviam tacitè; Parte alterâ tuorum, in loco castrorum, ad speciem relictâ, nè jungantur.

Imponendum hosti, unam partem illius peti, immò aliquos, non omnes, nè si omnibus metum incutis, universi consurgant.

Mediis ipsis nocendi tibi, contravenias.

Mercanda adversariorum, ejusquè sociorum fides, per corruptores & munera, immò eorum, à quorum consiliis, hostiles dependent Duces, ut dissuadeant, vel ad te transeant. Quod fit opportunissimè, in bellis civilibus, & seditionibus militaribus, tùm Provinciarum.

Unus, non plures, pari potestate Duces, bello designandi, nisi diversis in locis, bellum geratur.

Fetiales mittendi ad hostes, pro pompa belli, antequam bellum incipias, quò major tuæ causæ paretur authoritas, tùm ut exploratum habeas eâ commoditate, quid in hostico agatur.

Servi aut subditi, ad defectionem contra Dominos, per submissarios incitandi. Exaggeranda servitus, auxilia, libertas, & protectio offerenda, *arma subministranda, quod maximum.*

Eorum, qui subsidia hosti ferunt, ditionem invades, per te, vel per socios; vel rumorem invasionis sparges, ad sua tuenda utvertantur.

Limitanea Regni oppida, milite & commeatu firmabis, ne dùm alios invadis, alii à tergo tua petant, præsertim si abducendus exercitus, in longinqua. Cujus rei causâ, accommodatissimum fuerit, si quàm plurimos in Regno habeas, qui ad omnem evocationem, sacramento teneantur, solis quibus militant mensibus, stipendiandi. Aut quibus dignitatum & immunitatum præmia, loco stipendii, sunt.

Paulò superiùs dictum, de societatibus armorum parandis, pro potentia movendi belli. Non tamen, res benè stabilitas credes, nisi à te ipso, plus virium speres, quàm ab aliena potentia, quæ

quæ ſæpè fallit. Cautus in eo fuit Sigiſmundus I. Rex noſter, cùm enim à Pontifice Romano, ad ſocietatem belli movendi contra Turcas (pro capite armorum Chriſtianitatis ſtatuendus) vocaretur, reſpondit; Conſiliis pacis, contra potentiam Turcarum, Poloniam ſatis munitam haberi, à fœdere, quod cum eo Principe intereſſet. Longâ præterea deliberatione, ſe opus habere, cùm non æqua ſibi, ex victoria Turcarum, reſtarent præmia; Provinciæ vaſtæ, nec ſatis cultæ, confines Poloniæ regno; Cæteris Principibus, florentiſſimas adjacere terras, ac proindè majora commoda emerſura belli. Aut ſecùs, periclitantibus non eſſe par periculum. Poloniam in limite Barbarorum poſitam, in quam prima barbarorum furia (ſuperveniente caſu infelicium armorum) ſeſe effundat, cùm reliqui Principes, ſecuri manerent, in remoto, alieno periculo tuti; Non ſibi eſſe fortalitia, excipiendis incurſibus adverſis, limites Polonorum eſſe apertiſſimos, non arcibus, non urbibus, non ſaltibus defendi, ſed in ſolis manibus præſidium fore. Deindè, initâ ſocietate, ſi Principes alii (quibus remotis, non eſſet par, bellandi, niſi pro gloria nominis Chriſtiani, neceſſitas) ſe deſerant, aut promiſſa ſubſidia, ſi non ex pari conferant, quis arguat? cùm ſibi interim ſoli, amiſſi prælii periculum incumbet. Poterit aliquem Principum, domeſtica neceſſitas, tædium impenſarum & belli, aut primùm non ex optato cadens prælium, à ſocietate armorum avertere, dùm nullo ſuo periculo, irritatum bellum, pro libitu quiſquè deſerat remotus, ſibi, *niſi victori tuto redire licere*, ut quod communibus armis inceptum eſſet bellum, propriis, finire cogeretur. Poterit deindè, (ſuperadjecit reſponſo) ut fata hominibus dominantur, mortuo Pontifice, alius ingenii mollioris eligi, item Imperator, cui pax, quàm bellum ſapiat, qui non vivacitèr bellum urgeat, parcus ſumptuum & laboris, nec amator periculi, nec ſocietatis, cujus non ipſe author, ſuis interim Polonis, periculum finiendi belli, impar facultatibus, & viribus ſuperfore. His & aliis de cauſis, excuſatum ſe haberi velle. Cùm deindè iteratò inſtaret Pontifex per alternantes nuncios, Reſpondit Sigiſmundus: Societatem & imperium belli, non ſe recuſaturum, modò Principes in urgendum bellum confœderati, pecuniam ex præparato conferrent, quæ millibus *L X*. armatorum, equitum peditumquè, & rei tormentariæ curandæ, ſexennio ſufficeret (non enim ſe velle, ab aliena diſcretione pendere, & periculo irritati belli, temerè involvi) ſe quoquè pro parte ſua, XX. aut plùs Haſtatorum equitum millia, è Polonis ſuperadditurum. Quod cùm in deliberationem Pontificis, Principumquè Chriſtianorum veniſſet, ſimulquè grave æs, L. millionum appareret, neceſſe conferendum, incepto deſiſtere opus fuit. Interim Sigiſmundus, ſecurus priſtinæ cum Turcis pacis, felicitèr Poloniam adminiſtravit. Nec propiori ætate, benè ceſſit Polonis, armorum ſocietas, cum Auſtriaco Ferdinando II. Imperatore; Cùm enim ab Hungaria, contra *Bethlem Gaborium*, auxiliis Turcarum tumentem, periclitaretur Ferdinandus, dequè ipſa Vienna, ægrè retinenda conflictaretur, Sigiſmundus III. noſter, auxilia Polonorum equitum, ſubmiſit, quorum ope, Imperatori parta ingens victoria; Sed Princeps Turcarum *Oſmanus*, à Polonorum auxiliis, ereptam victoriam moleſtè ferens, avertendis noſtrorum viribus, ſupra XC. equitum millia, contra Poloniam (primùm Anno Chriſti M D C X X.) Duce *Skinder Paſſa* armavit, dein ſequenti anno, ipſe præſens C C C C millibus, equitum peditumquè ſtipatus, gravitèr incubuit. Interim Poloni, retaliari ſubſidia ab Imperatore ſperantes, (pro cujus amicitia, fidelitèr retenta, ſic vapularent) nulla obtinuerunt, à prætenſa excuſatione Bohemici belli. Sic Auſtriaci à remoto, pericula Polonorum & caſus, ſibi ſecuri ſpectaſſent, niſi auxilio Divino, & virtute Polona, bellum felicitèr confectum fuiſſet. Dein ſequenti ætate, Anno M D C X X V I in Pruſſia, ejuſdem Ferdinandi ſocietas, haud felicitèr nobis fuit ſocia. Cùm enim ex pacto ſocietatis armorum, *Arnhemium* cum aliquot millibus Germanorum, ſubſidio noſtris contra Suecos miſiſſet, màgis pro alendo intra Poloniam bello, (quod aliàs Germaniæ imminebat) factum, quàm pro vera amicitia. *Cùm ex conſilio belli petenda eſſet Marieburga, ad dejiciendum Suecicum præſidium, Arnhemius* (utar verbis Pauli Piaſeccii, rerum Polonarum Hiſtoriographi) *apud remotiorem ripam, inutilitèr hæſit, conſumebatquè in dies, magnam vim pulveris nitrati, & pilarum, reſonando in aëra, nullo damno Suecorum, & naves innumeras perdidit, quas contra omnem rationem, objiciebat ictibus tor-*

tormentorum Suecicorum, sub eorum mœnibus, Vistulam ponte jungere inanitèr contendens &c. Ad extremum fuit deprehensum, quoddam arcanum, à Rege, cum Arnhemio Præfecto militari Polonico solo conscio (usquè & Principe Vladislao filio Regis excluso) tractatum, ab ipso Electori Brandeburgico, & per eum hosti, revelatum fuisse, eòquè opportunitatem rei gerendæ effluxisse &c. &c. Nec paulò altiora, immò externa, in rem adferre omittam. Anno MDLXXI. inter Pium V. Pontificem, Philippum II. Hispanorum Regem, & Rempublicam Venetam, fœdus coäluerat, contra *Selimum* Turcarum Principem: Quantæ molis illud, quamvè parvo fructu (si pro magnitudine apparatus metiaris) finitum, quanto dissensu gestum? pudet dicere. (Vide Thuanum lib. XLIX. & libro L. Historiar.) Cùm enim Veneti, obsideri à Turcis *Nicosiam*, dein *Famaugustam* accepissent, dequè amittenda Insula Cypro, damno Christianitatis vererentur, de auxiliis arcendo ulteriori periculo prospectantes, Pontificem re & Nomine verè *Pium*, induxerunt, ut pro dignitate nominis Christiani, societatem armorum prehenderet ipse, Philippo II. Catholico Regi, eandem persuasurus. Prima orta mox contentio, de summo imperii loco; Pontifex pro dignitate sacræ purpuræ, Philippus pro potentia, & numero subsidiorum, certabant; sed paternè concedente Pontifice, naturalis frater Philippi, *Joannes Austrius*, Generalis belli Dux, ab Hispania designatus. Primam difficultatem, altera gravior excepit, quoniam Philippus, potissimas societati vires conferret, æquum itidem censebat, ut omisso oriente, contra *Tripolim*, *Tunetum* & *Juliam Cæsaream* ab Africa, (stabiliendis rebus Hispanis) Turcæ priùs impeterentur. Secùs Veneti, si non à sua regione, sed aliena parte oppugnarentur Turcæ, cui bono sibi, nisi inani nomine societatis, & profusione impensarum, susceptum bellum serviret? Cui quæstioni componendæ, nisi Pontifex, misso promptè in Hispaniam Pompeio Columna, operam apposuisset, fœdus tanto molimine sancitum, dissolvi debuerat. Sed Hispani, diffidere iterum Venetis, quasi haud sincerè ageretur, cùm in speciem (ajebant) quærerent fœdus, cujus terrore, Turcarum Principem, in æquas conditiones pacis, ut adigerent. Prout de facto, secreti Venetorum internuntii, de stabilienda pace, ad Turcarum pur-

purpuratos commeabant. Sed promptè interveniente Pontifice, (interim tempus trahebatur, consumebatur commeatus, inani sumptuum impensa, occasio rei gerendæ, effluebat) Veneti, sincerè se ad nomen fœderis applicuère. Dixisses firmam coäluisse societatem? non omninò, nam quasi ex composito, dissociantibus fatis, novam iterum quæstionem & obices, opposuère Hispani. Quoniam non à parte Africæ, pro commodo Regnorum Hispaniæ, sed pro securitate Italiæ & Venetorum Statu, in orientem vertenda essent arma, æquum itidem, ut Veneti, ac præsertim Pontifex, majores conferrent bello vires; sed Pontifex exhaustum sacrum ærarium obtendebat, Patrimonium Divi Petri, nè centesima parte, correspondere opibus Hispaniæ. E contrario Philippus objiciebat, omnium facillimam pecuniæ expediendæ viam, adesse Pontifici, nullas paratiores aurifodinas toto terrarum orbe, & vectigalia opulentiora haberi, Pontificis calamo, cujus simplex ductus, immensam pecuniæ vim, momento pararet; Verùm hac etiam quæstione submota, novorum dissensuum en iterum, non meta, sed gradus, nam de promisso numero triremium (*tales siquidem societates, plerumquè fallaces, in speciem dùm promittuntur multa, fœderi persuadendo, revera postea pauca præstantur*) ex parte Hispanorum variavit. Tùm Veneti, sedulò rem trahi suspicati, ludificari indignè ferentes, de pace cum Turcis facienda, integris adhuc, necdum accisis rebus, animum seriò adjecerunt. Sed nè multa memorentur, dexteritate Pontificis, compositis partium animis, tandem firmata & publicata societas, numerus fœderatarum navium, & bellatorum definitus, quæ copiæ, quotannis (nam sine definito tempore fœdus sanciebatur) ante exitum Martii, in orientis mari convenirent, deindè Romæ, deputati partium, tempestivè ut adessent, consulturi, sequentem in annum, gerendi belli de ratione, Pontifex verò, omnium controversiarum, socios inter suborientium, communis disceptator & judex ut esset, ejusquè judicio ut staretur, quod est unicum duraturæ sine querela societatis glutinum. Educta subindè fœderatorum classis, in altum mare, capit ex pacto fœderis armorum imperium, Joannes Austrius; Interea, quod littus petendum, inter Duces socios, consilio variatum; Hinc alii cunctari,

cunctari, moram nectere, pensate animo, si vincendum esset, præmio Venetorum factum iri, vinci contingeret, æquam cladem ad omnes pertingere, inæqualia victoriæ præmia, æqualem pœnam fore adversorum. Secùs *Venerius* Venetæ classis Dux, prout acceperat à Senatu plenissimum mandatum & facultatem (*nam aliàs, certo status Veneti arcano, nisi cum limitata potestate, in summum prælium committendum, Duces in bella emittuntur, interpositâ pœnâ si transgrediantur*) quovis loco & tempore, pro commoditate, ut licitum esset, prœlio decernere Universali, urgebat bellum, instabat, aggrediendum hostem suabebat, multa in rem, ex præterita bellorum praxi allegando. Cùm tandem Austrius consensisset in pugnam, jamquè movenda esset classis, hostilem oram versùs, levissima occasione factum, ut tanti moliminis societas, vix non dissolveretur. Accidit enim, cùm Austrius, pro summo potestatis jure, quasdam cohortes Hispanas, per triremes Venetas, subsidii nomine divisisset, Hispanus quidam Subcenturio, licentiosè & contumeliosè, ad accipienda Venerii (Ducis Veneti) mandata, se ut gereret. Dissimulavit primùm delictum, postea graviùs monuit Hispanum Venerius, sed ex licentia dicti, factiquè nihil ille cùm remitteret, immò lictorem ad se coërcendum missum, fortè obtruncaret; *Venerius* pro authoritate potestatis commotior, Subcenturionem cum aliquot Hispanis, è malo navis, momento suspendi fecit. Hinc (uti in confluxu diversarum gentium, & linguarum fieri amat) ortus dissensus inter nationes, Hispani in Italos, vicissim Itali in Hispanos, probra jacere, dissentire, armari, sed maximè offensus Austrius, super fœderatos pacto societatis Imperator, faces præsertim animo subjicientibus Hispanis, resquè non modò ad dissolvendum fœdus, sed conferendas infestas manus, proximè venisset, nisi M. Antonii Columnæ, Pontificiæ classis præsidis interventu, certis conditionibus, reconciliatio composita fuisset. Sed tandem finem dicto ut faciam. Pugnatum cum hoste, ad *Echinadas* Insulas, aliàs ad *Naupactum*, ex opposito sinus *Corinthiaci*, felici quidem eventu, verùm ad nomen tantæ societatis, leviore fructu, cùm ob mutuum dissensum, victoriâ uti nescissent, nam Duces partium, de reducenda retrò classe, inivère consilium, cùm ad reliqua, porta primùm patesceret,

ceret, vincere modò, tùm victoriâ, quàm prædâ, vel occasione sterilis pacis, uti malentibus, recentiquè terrore in hostes, commodè usuris. Verùm satis fuit, depulisse periculum, & intra defensionem, non offensam subsistere, legendo in præsens, victæ classis spolia, Triremes, tormenta, mancipia, (quantulus ille? tanti partus & moliminis fœtus) interquè fœderatos, juxta proportionem subsidiorum dividere. Hinc licet videre, fœdera tarda inceptu, periculosa ductu, tarda, nè dicam periculosissima exitu, ut quisque Princeps, bello accinctus sibi dictum putet: *Nihil instabiliùs esse, quàm potentiam, non sua vi nixam.* Multòquè validiorem esse, unius magnam potentiam, in se recollectam, nec ab alio dependentem, quàm multorum vires, quæ ut diversa consilia & motus habent, sic operationes diversas & repugnantes, immò confusas habeant necesse. Ea tamen fœdera, & societates armorum, non dissuaserim, immò valdè prosint, quæ nomine subsidiorum, *in pecunia*, & gregariis submittendis, sanciantur. (*Prout in Notationibus Togæ & belli, copiosè recensui*) Deindè, si confœderatos inter, adsit fides pacti & concordia, ac præsertim æqualis in omnes ex dissociatione metus, in necessitatem nexus & unionis (velut inter minores, adversus magnos facilè coälescit) vivacitèr certè agere possunt, seu simul, seu *per diversas partes* agendo, dùm singuli, quod inter se divisère munus, satagentiùs curant, nam ex malè gesto, æquale periculum metuunt. Undè justè quis asseveraverit, terribiliores esse nexus & fœdera parvorum, quàm magnorum, illa necessitate ac metu, in desperationem, hæc arbitraria voluntate coälescunt. Addam. *Parvi* promptiùs conspirant, dùm secùm pauco apparatu conferunt, aut ex vicino conversantur; *Majores*, màgis loco, ac voto, tùm animis disgregati, nec tàm pro familiari agunt fiducia, adsunt novæ politiæ scrupuli, respectus, ex longo apparatu tarditas, immò fortè, minor inest necessitas.

Designandus (per tui absentiam) militiæ Dux, clausis sigillo literis, quarum resignatio, Senatui committatur, nonnisi irruentibus bellis exsequenda, sola bella Ducem ut aperiant. Ante indicari nolim, nè meditandis factionibus, tempus suppetat. Nonnunquam, plures literæ, cum nominibus Ducum relinquendæ, su-

ſuperpoſito titulo, primæ, ſecundæ, tertiæ ſucceſſionis, prout alterum altero, potiorem muneri credis, & optas, nè ſubſecuta morte unius, bellum Duce deſtituatur, & occaſiones gerendæ rei effluant, antequam alius deſignetur Dux, à Principe in remotis hærente.

Tempeſtivè tunc hoſti bellum infertur, cùm ejus proceres, inter ſe diſſident.

Antequam ſuſpectæ Provinciæ, aut civitati, bellum inferas, inter cives, tùm ſodalitia (per æmulationem privilegiorum, aut quocunquè modo meliore) diffidia excitabis, potentiæ diſtrahendæ. Patrocinium præſertim alterutri parti offerendo, quò in majus diffidium, fulciatur. Ideòquè, noſcenda tibi erunt, privatorum ingenia.

Duo bella, non ſunt ſimul incipienda, unum incepturus, alterum reconciliabis.

Dùm intras hoſtilem terram, occupabis locorum aliquem muniendum, receptui habendo, prædam dein, commeatum, ægros ut ſeponas. In tua terra eadem obſervaturus.

Devictis, aut tuis etiam Civitatibus, Pagis vel Provinciis, impones, ut aliæ ſalem, certos modios frumenti, carnes, boves, item pulverem nitratum, certa arma, machinas murales, ſtato tempore caſtris ſubmittant.

Præmia publicè proponenda, aliquam artem compendio belli, aut machinam, vel inſtrumentum qui excogitarit.

Socios aut amicos belli, quoàduſquè velis, tecum ut habeas, induc deſperationem, cum tuo adverſario reconciliationis. Bona adverſarii publicabis, in potiores ſociorum familias divides, amittenda, ſi te deſerant; vel partieris amicos in ſubſidia, ut alii hoc, illi tempore illo, tecùm militent. Nam ingeritur alacritas, ex diviſione laboris, & æmulatio; Ex continuo labore, fit tædium. Vel ſtatue, quod metuant deſertores; Ponant pignus à deſertore amittendum, pecuniam, civitatem, liberos obſides, famam, vel edictum mittes in vulgus, bona deſertoris, militum ſtativis addicenda.

Provinciatim, urbatim, militent incolæ, pro majori æmulatione; Provinciarum nomina, cohortibus impoſiturus, in æmulationem virtutis. Ex

Ex quoquo rure tùm oppido, duo treſvè pedites educantur, ſic major fiet exercitus, promptiùs colligendus, quàm ſi publica per fora legatur. Prout memini me ſuaſiſſe, exercitu noſtro ad *Pilaveciam* profligato. Addam, præſertim ad noſtram praxim Polonam, ut jumenta & currus, vehendis poſt exercitum tormentis, & annonæ, civitates, tùm oppida æſtivatim caſtris ſubmittant, *majores urbes quaternos*; *minutiores binos*, *aut equos ſingulos*, *tùm vectores*. Quà promptà per minutiſſima collatione, oppidorumquè inſenſibili damno, ſumma commoditas caſtris afforet. Non enim tanta jumentorum copia, loco ab unico, effuſo licèt graviſſimo ære (ſeu per extremam oppreſſionem incolarum) promptè ſimul petatur, quantùm illa partitio, conferre è diverſis partibus, locum in unicum, per inſenſibilia ſtatim poteſt, dùm edicta Ducum, in Provincias emittuntur.

Nulla ratione màgis prolatantur imperia, quàm juvando ſocios, & amicos; Satiùs hoſtem in vicinia graſſantem, alienæ terræ periculo, opprimes, quàm ut tuam terram ingrediatur, nam qui finitimos invadit, tibi hoſtilitèr approximat.

Rex Perſarum, avertendæ Turcarum venientium potentiæ, barbaro, ſed tamen ſibi non inutili inſtituto, devaſtat interjacentem terram, & commeatum aſportari jubet, in longinquiora, ut hoſtis penuriâ annonæ, arceatur procul à finibus, ſine ferro, morâ commmodè vincendus, dùm bellum trahendi, facultatem ob inopiam non habet. Verùm rectiore quorundam Principum Italiæ inſtituto, & cultiorem ad morem, peracta meſſi & vindemiis, omnis privatorum annona, proximiores in urbes, ex agris comportari jubetur, pauculis eduliorum modò, in diurnos colonorum uſus relictis.

Princeps in longinqua bella abiturus, nè ſummæ rei, domi relinquat, aliquem præpotentem & factioſum, qui per abſentiam, trahat Principis Majeſtatem, potiùs plures præficiet, quàm unum, diſtrahendæ authoritati & potentiæ. Aut relinquat filiorum aliquem, cum fideliſſimis civium, utquè eum locum inhabitet, undè in omnia regimen; ſed hoc in ſtatu Monarchico.

Per mendicos, fœminas, peregrinos, multa practicari poſſunt in populo, in has enim perſonas, minor cadit ſuſpicio. Is

Is facilè in ſocietatem perducitur, cui nobiſcum commune eſſe periculum perſuadetur.

Expenſas belli inutiles recides, neceſſariis ut ſufficias.

Cave, nè viros militiâ claros offendas, immò ingenuos cives, à fortuna deſertos, ſtudioſiùs juvabis, nè ad extrema conſilia impellantur.

Vicinorum calamitatibus & bellis, non ſeſe temerè implicandum, nè tota clades in nos ruat.

Minus errant, qui in conſiliis belli (immò per omnia privata, publica, pace, bello) expendendis, rerum humanarum viciſſitudinem, quàm qui conſtantiam & optata, ſibi pollicentur; ſunt enim, qui màgis impetu, quàm conſilio, in res feruntur, non ex agendi prudentia, ſed ex arrogantia conſilium capientes, juſta videntur & poſſibilia, quæ cupiunt, & falſâ confidentiâ ſui, rerum naturam, tùm difficultates, ſuperare ſe poſſe exiſtimant, ideòquè falluntur; Non igitur in nobis, plùs animi impotentia, quàm ratio poſſit.

Hoſtem arma in te parantem, prævenias bello, & alios Principes, in hoſtilitatem incitabis.

Si reſiſtere non vales, ſocietatem aut protectionem potentioris quære.

Multa ſub prætextu legationis, practicari poſſunt, in aliquo populo.

Jus Inveteratum Viciniæ Amicitia ſcriptum fœdus, ſeu Armiſtitium Vel Pax. Dein Colligatio longè differunt.

Qui multis fœderibus implicantur, multùm negotii ſibi faceſſunt, nobis præſertim Polonis, màgis ex ratione ſtatus, artibus *indifferentiæ*, ſeu *Neutralitatis*, immò conſervandæ vicinorum *amicitiæ*, Rempublicam habere, quàm *directis* (vel conditionatis) *colligationibus*, *fœderibuſquè negotioſis*, ut involvamur, dùm facilè candor Polonus, obliquis artibus exterorum petitur, nec ideò committi ſecurum. Multa in eo dicenda venirent, ſed arcana ſtatus, intra reverentiam ſecreti maneant, quàm ſcire alios, tàm neſcire, aliqua noſtra oportet. Sat dixerim, conſtare Poloniæ ſuas vires, ut promptè ſe defendere ipſam poſſit, nec habeat opus, ut in exterorum incrementa, aut diminutiones, curioſè inquirat, pro alienis commodis, laborioſè ſumptuoſèquè dimicatura, (quod neceſſariò colligationem, pactumque ſequitur) *attentiſſimè rebus*

ſuis,

ſuis, modò ut provideatur. Aliter evenit parvis Rebuspublicis & Principibus, qui aliorum vicinitatibus implicati, juriſdictionum perplexarum, prætenſionumquè in Provincias (immò ſuſceptarum protectionum) juribus, ac æmulatione colliduntur, dùmquè propria vi, ſubſiſtere vix poſſunt, in neceſſaria fœderum conſilia impelluntur, vicinorum incrementa, ſuæ parvitati, juribuſquè, dùm periculoſa, vel prout ſuſpecti ingenii, & oſores quietis, vicinos habent, ut niſi unius potentis, ſubſtruantur colligatione, ab alterius potentia, circumveniantur, immò niſi aliorum præpediant augmentum, ſibi decrementum ſtatuant. Noſtri ſtatus & virium, propitiantibus fatis, alia, tùm altior ſors eſt, quà dùm non inſoleſcimus, exterorum negotiis curioſè non implicamur, nec cauſas bellorum, turbaſquè populorum, gratuitò quæritamus (immò, quoàd fieri poteſt, cavemus, *nam etiam artibus pacis màgis, quàm belli, & conſervando quàm acquirendo, res Polona ſubſiſtere poteſt*) ſed noſtra modò dùm tuemur, Deus bellantibus adeſt. Quid rationibus opus? dùm tot ſæculorum, certa nos convincit praxis.

Italorum præſertim Principes aliqui, & Reſpublicæ.

Societatis armorum, paciſvè tractatus, tempore brevi circumſcripti, durabiliores ſæpè, populos inter & Principes, quàm dùm perpetuitatis titulo, in longum temporum jaciuntur. Sæpè fit, ut ſtabiliendis tractatibus, non tanta cautione, in omnes caſus provideatur, quin præjudicio alterius partis, aliquid fiat, vel in poſt emerſurum: Undè ſi nulla corrigendi, elabendivè adeſt honeſta via, ſibi illam quiſquè, vel rumpenda fide, ſpontè facit, eòquè citiùs (velut ſub ſpecie neceſſitatis, excuſatiùs peccare preſſis liceat) quàm ut majore præjudicio & damno, in vanum nomen fidei, perſeveretur. Dùm verò ſpes adeſt ex tempore, vel corrigendi honeſtè, vel abrumpendi brevi, quæ nocuère, quis gratuitò perjurus & violator pacti eſſe præcupiat, remedium dùm habet in proximo, aut quem propinqua ſpes ſolatur, vel cur ipſe? per ingloria mederi velit, quæ tandem mox tempus ſanabit; Sæpè habere potuiſſe, habitorum vice reputatur; animis generoſis, aut ſecùs, difficultas habendi, accendit deſiderium, & pro injuria videtur, ipſa non adipiſcendi mora, vel impotentia. Exempla irritorum fœderum, non alibi plura màgis, vivaquè

K

què legas, quàm apud Franciscum Guicciardinum, in *Historia.*

Ab aliis pressos, tùm affectos injuriâ, tibi junges, patrocinium offeres, hi enim fideles sunt futuri.

Ut initia belli proveniunt, eadem fama in cætera.

Dixerim iterùm, si per te ipsum potens es, contendentibus vicinis, neutralitatem tenebis, non enim pro potentia metues, uter horum victor sit, immò dùm defatigantur bello, & sumptibus exhauriuntur, imperii tui augendi (modò justa ut adsit causa) commoditatem, contra utrosquè habebis. Aut si quies cordi, neminem læsisse, nemini justam quærelarum causam dedisse, tutum est, quietis fundamentum; Immò impotentium, ea melior conditio; nisi certus sis, uni victori parti, te prædam futurum, tùm potiùs alteri jungeris, Viciniori tamen ac potentiori, & qui servat fidem, vicinioris enim, plùs oberit hostilitas, quàm proderit amicitia longinquioris. Prout prudens Veneti Senatus consilium legas, apud Franciscum Guicciardinum (lib. VIII. & libro XV. Histor.) Quo expenditur, Regisnè Galliæ, an Cæsaris partes sequi, in rem foret. Sed rem quoquè Polonam, nè iterum omittam; Constat, pro hujus Reipublicæ potentia, & ratione status, neutralitatem semper in rem fuisse, alienorum incuriosi, nostra modò dùm tueremur, non imparati. Societates exterorum, haud esse socias, immò suspectas, periculosas, expensivas, statumquè involventes, undè diuturni belli semina.

Ad agilitatem pertinet armorum, ut sint vires tuæ unitæ, non dependentes ab alio, (immò consilia:) Resolutus præterea sis facere seriò, quod aggrederis.

Attendendum, Præfecti militum, nè defraudent stipendia, curabis ideò, militi viritim solvi.

Inutile mutare sæpè Ducem belli, nam inceptæ res, mutato capite, tardiùs eunt, ordo, resolutio, & omnia alia, sequuntur cum alio, sic velut impetus benè cœptæ rei, sistitur.

Non præscribatur modus bellandi, Duci, sed potiùs è re capiat consilium.

Inchoaturus bellum, non tantùm cogitare debes, quàm multos habeas milites, verùm unius saltem anni stipendio, an sufficias; cætera

cætera res aperiet; Immò undè accepta clade, nova subsidia haberi possint, maturè providendum.

Diutina quies, non conducit bellicoso populo, sed eum infirmat.

Amentiæ est, eos adoriri, quos nequè victor in officio retinere possis, & ad quos (aut à quibus) semel victus, regredi non possis.

Qui hostis multùm nocet, idem amicus, plurimùm prodesse potest, vel ideò nè noceat. Aliis Deorum veteres immolabant, ut boni prodessent; aliis, modò nè mali, & irati nocerent.

Quos credis tibi nocituros, distrahe potentiam eorum, & fœdera.

Ubi conscribit hostis militem, vel undè arma petit, & auxilia, ea loca metu sunt opplenda.

Agris imponantur milites, more Turcicorum *Timariorum.*

Militaria officia majora, non diu per unum administrentur, quæsita diu, nè obsit potentia.

Bellum gesturus in externa Provincia, morem nationis sequere, ut partim armis terreas, partim comitate, morumquè similitudine (in veste & convictu) trahas. *Ideò, ejus gentis & linguæ, nobiliores exulum, seu ipsos civium, tacita largitione, adscisces pro amicis, quibus velut instrumento utaris, in cæteros pertrahendos,* quod summi moniti loco habebis. Alexander Magnus, Persarum imperium subacturus, dubium, plusnè familiaritate morum, quàm armis profecit, Persicâ linguâ cum Persis locutus, Acinacem Persicum lateri accinxit, Uxorem Persam duxit, Cubicularii è Persarum ephebis lecti, & per omnia, cum indigenis indigena esse voluit. Nihil verò secùs, afficit màgis subigendos, quàm si victor, se suaquè instituta, superbè, immò contumeliosè tractet, ut obstinatiores in defensam reddantur. Habeo in promptu exempla domi, sed alibi passim, in Orbe talia, & apud Historicos videas.

Ars optima recuperandi ereptas ab hoste Provincias, velut Stephanus Bathoreus Rex noster, pro recuperanda Livonia, contra Moschos usus. Tetendit cum exercitu, non in Livoniam, verùm in ulteriora Provinciarum, juri Moschorum subjectarum, obvia vastando vel occupando, ut Moschus, Provinciæ suæ peri-

culo, arciumquè captarum jacturâ motus, declinando infelicis belli incommoda, debitam restituere cogeretur Polonis Livoniam. Sic Bathoreus, prudenti aversione belli, hostem afflixit, simulquè alienæ terræ vexa, integram sine injuria belli, eòquè opibus florentem, recuperavit Livoniam.

Quos vicinos potentiores te credis, in amicos adscisces, sed procul ab obsequio, sic vitabis inimicitiam.

Immò minutiorum Sociorum, quæres amicitias, undè ex conjunctione, in magnos terror.

Pace aut induciis, plerumquè expugnantur, qui bello non possunt.

Pactorum simulatio, trahit tempus, undè prospiciendi sibi, & muniendi sui occasio.

Bellò diutino, fatigare vicinos populos, non tutum, nè in tuum caput exerceantur.

Princeps ad bellum non eat, sed venturi speciem simulet, conquirat currus, equos, interim nectat moras. *Majora creduntur de absentibus.*

Non in tantum fide paci, ut dimittas arma; Creduli mollesquè, facilè involvuntur, cauti ratiùs, aut nunquam.

Magna incepta, longanimitate potiùs, quàm impetu stabiliuntur. Eminùs priùs, quàm cominùs incipienda.

Feudatariis & confinitimis, novorum structuras fortalitiorum, præpedies. Licèt in præsens amici sunt, poterunt esse aliquando inimici.

Fortalitia, non tàm longè ponantur, à submittendis subsidiis, quàm ut illis possit dari succursus, periclitantibus. Ut si in campis desertis ponantur, ferè frustranea sunt. Optima verò, quæ proximè maritimos portus, aut Navigabiles fluvios, exstruuntur, quatenùs navigiorum beneficio, secum non interruptim, ex facili conferant armis, & consiliis, commeatum acquirant, nec facilè ab hoste cingantur.

Debilioris potentiæ Princeps, per potentiorem armis invadendus, si peculium haud dives habet, reprimendo bello, malit carissimis gemmarum, cæterorumquè mobilium decoribus, immò parte Provinciæ (pignoris seu Venditionis nomine) privari, quidvis

vis tentaturus, modò scribendo militi, æs sufficiens, promptè conquirat, primæ saltim hostium furiæ, ex pari, animosè restituturus. Sed inutilem conatum aie, dùm in longum erogandis sumptibus, paritèr non sufficias; juvat tamen, dimidium facti, ex benè cœpto habere. Fore universa hostis suspicatur, prout tibi cesserint prima, præsertim si in insperatam potentiam impingat, ut eò faciliùs consternetur, de successu desperans, qui se primo impetu infra spem elusum videt, quò màgis dico, debilitatem tuam, veniens spreverat, facilia sibi pollicitus, spequè devorans totum. Exindè, quamcunquè posthac injeceris paciscendi occasionem, libens eam arripiet, lætus utiquè honesto prætextu, periculosè cœpta ut deserat. Levissimis momentis refrigescere ardorem hostium, & vim confundi: Ni hoc obtineas (in obstinatiorem hostem fortè incurrens) saltem tempus lucraberis, amicorum Principum viribus contrahendis, promptiùs in subsidium venturis, qui te non desperantem, sed resistentem ingenuè, & erectum vident, *in caducum* (secùs) *parietem, nemo valens inclinat.* Insuper, reliqua mali remedia, tempus adferet, modò primum impetum, quoquo modo eludas, ad protrahendum, occasionibus oblatis, uti non nesciùs. Qui verò è contrario, primo belli ingressu, parci erogando, statimquè (pusillanimes aut confusi) demittunt manus, dant spontè occasionem, & animum hosti, in majus insurgendi, suspectas sibi res, belliquè successum faciunt, nec vicinorum animos parant, verùm alienant per ignaviam, tandem per stillicidia, soli perituri; In admirationem fortioris, quisquè promptiùs rapitur, & in amicitiam, spontè juvaturus. Dicam verbo, aut sic vinceris, aut vinces, si vincaris, utiquè (de perdendis erogando, haud parcus) honestiùs putabis, animosè cadere, ut victori, virtus tua sit admirationi & honori. Si vincas, nemò te in posterum lacessere audebit, qui sic animosum videt, prior verò sumptuum effusio, longa, certioriquè pace in posterum, cum fœnore sarcietur. Vel (nè illud quoquè omittam) si non audeas hostem venientem, apertis artibus & armis excipere, circuitu saltem facto, regionem illius invades (quod *Diversionem* aptissimè Galli vocant) ut hostis qui te oppressum ivit, ad sua tuenda vertatur.

Placitum nonnullis, crebris fortalitiis, parvitatem virium, & Provinciæ pensari; Si Provincia montosa, palustris, aut saltuosa, tùm crebris portubus maritimis, fluviisquè, intercipiendo hostium transitui (reciprocæ fortalitiorum inter se communicationi) abundat, velut sunt partes Italiæ & Belgii, præsertim verò, si cum cura, nequè neglectim, fortalitia habeantur, sufficienti milite, commeatu providenda, utcunquè crebriùs exstrui patiar; Verùm, si Provincia campis aperta, ingressu facilis, pauco peditatu gaudet, tùm si haud dives proventu, nec est sufficiens diurnis præsidiariorum impensis, haberi quidem, sed rariora fortalitia, oportuerit, idquè intra impedita & saltus, nè facilè cingantur, sed promptiùs loci beneficio, defendi ut possint. Quæ verò superflua, quibus retinendis non sufficias, ea dirui curabis, nam ab hoste occupata, sedem armorum, contra te facient, & occasionem retinendi tua, subministrabunt. Verùm copiosiùs, hac de re alibi (*lib. 2. Militarium Puncto II.*)

Multa fortalitia, distrahunt vires castrorum, in præsidia, nec plura sunt habenda, quàm sine dispendio castrorum, providere iis sufficientèr ut possis. Potior cujusquè Principis & Provinciæ virium ratio, castris & campo ut potens sit, posterior verò, fortalitiis, urbibusquè ut provideatur, vel necesse, utrisquè simul.

Tormenta uniformitèr fundantur, ut globorum varietate non sit opus. Immò fistulæ manuales, eandem ob causam, uniformes sint.

Tormenta bellica ingentis magnitudinis, castris qui procurat, in pompam sæpiùs, quàm in necessitatem, ac ferè damno suo facit, nam prætor ingens transportandi pondus, & impedimentum, etiam unica explosione tantùm pulveris absumunt, quantùm viginti peditibus, aliquot horarum prælio sufficiat, màgis arcendo hosti. Minores machinæ sunt utilissimæ, transportando, explodendo, & minùs pulveris absumunt. Verùm tamen, ad obsidendas civitates, & demoliendas urbium munitiones, majoribus machinis opus, puta maximæ magnitudinis, mediæ, quartæ, sine quibus, parùm aut nihil proficias. (Maximum verò tormentum unica explosione, 48. libras pulveris emittit, decrescens per partes ad infra, mediam, quartam partem) ideòquè pro natura hostium, & belli, armorum apparatum castris providebis.

Non-

Nonnunquam ad explorandas vires alicujus, societatem quæres, ut omnia sub prætextu amicitiæ explores.

Probatissimum, ut qui alicujus potentiæ resistere non posset, imparatus vel deficiens, per subordinatos amicorum Principum, injecta spe pacis, aut admisso armistitio, emolliret virtutem, & arma hostium, suas interim vires firmaret, occasione armorum data, superior evasurus. Verè dictum. Invincibiles armis, pace & amicitiæ specie vincentur. Sunt enim populi, quibus capitalior non esse potest hostis, quàm prosperi rerum eventus, multaquè vis, aut opes; cùm per fiduciam remissiùs agunt, aut longâ fortunâ emolliti, lasciviunt, luxuriantur; secùs, magistros prudentiæ non habent meliores, quàm casus adversos, dùm meditatione belli & periculorum, usum ferendi laboris condiscunt & indurantur, atquè uniuntur metu; Velut boves, instante lupo, capita & cornua jungunt, abeunte, disgregantur incauti, discurrunt, spatiantur, faciles in prædam, ex occulto insidiantibus. His artibus, sæpè usus Turca, aliiquè. Nescio, an in partem stratagematis, non abeat armistitium, inter Hollandos, Hispanosquè, nuper pactum. Cùm enim Hollandi, potentes essent bello, pace vincibiles ut redderentur. Cavebis itaquè à pactionibus, præsertim si ex insperato, nimisquè submissæ conditiones offeruntur, æquè enim impossibiles servando, quàm si nimis iniquæ ponerentur, captionem eam putabis, non pactionem. *Pompejum, imagine pacis, Lepidum specie amicitiæ, fefellit Augustus.* Semper igitur instando, desperatione armatur hostis, cujus fortissimum telum necessitatis, contra te futurum, ni desistas.

Quod memini me suasisse bello contra Suecos, hic ponendum duxi. Magnum momentum allaturum, vincendo hosti, si certa peditum cohors, selectiorum fistulatorum, scriberetur, quales in Polonia dantur, adeò certi ictuum, ut non minimas aves modò jaculo petant & habeant, verùm medium per annulum, repetitis ictibus, globum jacere certò possint. Qualium unica cohors, plùs proficeret conficiendo hosti, quàm milleni pedites non præstarent. Observatum enim, bello *Cosaciano* durante obsidione nostrorum ad *Zbarasium* (Anno Christi 1649) ut unicus solus, ejus jaculatoriæ artis peritus (vel si personam scire placet, *Muchoviecкius* nomi-

nomine, Laicus ex ordine Jesuitarum, qui pro socio, cuidam Patri, in castris aderat) CCIV. Cosacos, ictu sclopeti longioris (contra Schismaticos enim & Scythas pugnatum) necaret, idquè obvios aspernatus, Verùm ictibus non vulgaritèr pensatis, prout Cosacus, Tartarusvè, stolidâ audaciâ, proximiùs munimenta proveheretur, vel militari officio conspicuus, ante signa apparebat, ad ictum necemquè destinabat, adeò certus jaculandi, ut non integrum hominem modò, sed quidquid membrorum exereretur, ictu tangeret, ex occulto feriendo. Cùm verò decem primos interemisset, ejusquè jaculandi fama, per exercitum crebresceret, aderant curiosi, in quemquè ictum intenti, cæsorum capita calculantes. Immò, passim per alios, idem fieri posse, experientia docuit, ut extra miraculi famam, res apud nos habeatur.

Contra Germanos, Moschovitas & Turcas, hastati equites optimi, ideòquè ab his bellum apparandum, *hastarum insuper superfluarum copia, non uni prælio suffectura*, prudentissimo Ducis consilio, maturè provideatur, ingens aliàs error sit. Contra Scythas, qui vagis incursibus, aut disjectas per catervas, nostris circumfunduntur, hastatus & gravis nimium eques, ferè supervacaneus est, nisi admisceas equitum ferentarios. Pedites, tutandæ aciei & castris, tùm firmandis vel occupandis saltibus, cuiquè bello, semperquè opportuni.

Civilia bella, pecuniâ constant, qui majora stipendia numerat, ejus in partes miles, & civis (pro potentia) transibunt, tamen armorum justitia, est inter potiora.

Si mutua vicinorum populorum societas, periculum adferat statui, cum prudenti sagacitate eam diffues, hunc & alium in partes pertrahendo, amica legatione crebriùs compellando, *saltem ut diffidentiam parias*.

Cum subditis, nequaquam diu bellum gerendum, immò contentionis quodvis negotium, majoribus contra minores, *non temerè suscipiendum*, longiùs enim dùm invalescit, màgis agere contra docet, desuetudinem ab obsequio contemptumquè authoritatis inducit, desperatos tùm obstinatos reddit. Potiùs quocunquè meliori modo, citissimè pacisces, vel si minore fiat periculo, eris injuriæ velut nesciens, ac dissimulans, nè desperabundi, exuant reverentiam superioris, tùm legum (pro conscientia recentioris subjectionis, hucusquè quoquo modo animis suspensi) & à desuetudine obsequii, intra oblivionem authoritatis, obdurentur. Aut si fortè, morâ, seditio roborata, procedes velut periti bellatorum, cum induratis mœnibus, dùm machinis apertè non possunt, cuniculis oppugnationem aggrediuntur, sic tu (per subornatos) præstabis, seditiosos dividendo, capita inter se primorum, & partem æmulam alteri opponendò, abstrahendo, suadendo, molliendo, promissis, honore, pretio. Nonnunquam etiam (in meliores fortè dùm incurris) modicè, intraquè authoritatem minitando. (*velut in notationibus Togæ & Belli, Puncto IV. Suggessi*) Non contemnes præterea, seditiosorum paucitatem, incautiùs acturus; Qui enim insolenti ausu, & (acceptam fortè ob injuriam, ut putant) necessariò, armis accinguntur, prout recedere periculosum, temerariumquè ducunt, sic urgendo, non desistendo, rem expedire, & in peracto, quàm in cœpto deprehendi, securiùs putant. Paucitas reddit cautiores, metus vigilantes, defectus ingeniosos, desperatio fortes, formido expeditos providendo & agiles, necessitas parandis exterorum societatibus providos, impotentia incitandis reliquorum animis satagentes, & simul titulo alienæ protectionis, ad munia belli exequenda, vel cum periculo alacres, ut facilius uniti contineantur, quibus disjungi periculosum. Consilia, leges, & formam occultioris status, sibi in parte statuunt, armamentaria, ærarium provident, & pignus societatis ponunt. Quodsi dato casu, modicum succedat armis, in reliquum, auguria elatis vocibus animisquè buccinabunt, causæ justitiam adstruentes, quasi cœlum rebus arrideat, & pro sua parte fortuna spontè armetur, eò màgis authoritatem tuam spreturi, quò màgis ante æstimabant, aut reverebantur intentatam. Quiddam enim altiùs, inesse credunt minores, majoribus, antequam quid valeant, aut quantum non possint experiantur. Hinc aliqui tuarum partium inquietiores, seu quos hodierna Politia, *Malcontentorum* nomine intitulavit, dùm quali quali reverentia tui, & legum tenerentur, penduli hucusquè, hanc an illam partem sequerentur, primò admirantur, novam seditionis fortunam, mox capta

capta occasione, uti securam adorant, & sequuntur, suas quasquè occultas offensas promunt, novas bellandi causas, partibus, novaquè consilia tùm vires, allaturi. Velut in Gallia, sub Henrico III. factum, ut rebellibus sectariis, veri catholici (quod mirêre, è proximioribus Regis agnatis) jungerentur, illi pro religione, hi pro violatis juribus, vel prout occultior in Regem suggessit offensa, aut suasit, ex nova occasione, in turbido piscandi ambitio; diversæ causæ, unam conflantes formidolosam in publicum potentiam. Addam. Qui defensionis titulum bello sumunt, aut studiosè, captandis vulgi animis, tùm pigmentandæ causæ, adstruunt, fortiores esse licet paucos, quàm qui oppugnant, quasi dicas: *Oppugnatos, validiores fieri, super oppugnantes*, illos in unicam defensionis partem,urget necessitas, non enim cessare liberum (quod ab invadentis modò pendet voluntate) immò non defendi periculosissimum, hi prout partem utramquè habent, pro arbitrio liberam, parcant, redeant, urgeant, aut persequantur, ideòquè minùs periculosa, præponunt bello. Pacem, id est, sæpiùs electuri, undè remissiùs agunt. Dicam clariùs, oppugnatis, in arma defensiva, voluntas omninò necessaria, offendentibus nisi arbitraria inest, quæ minùs in animos, permovendo potest. Si igitur, haud certus es virium & pervincendi, nec planè resolutus, verùm hærens actione, ac pendulus, aut respectibus circumsessus, curabis necesse, quoädusquè seditiosi tenentur, metu, apertioris seditionis & periculi, nè detur necessitas armorum, nèvè experiantur suam, tuamquè fortunam, prudentiam agendi, tùm vires, quibus in speciem clementiæ (non infra tamen authoritatem, nè extortum videatur) tituloquè pacis publicæ, partem aliquam postulatorum, *gratiosa fronte* si concesseris, multùm obligationis debebunt, securiùs putantes, *modicum* sine periculo, (gratuitò velut) promptè obtinere, quàm cum periculo & impensa, habere *serò totum*. Justè succensitum sit, perspicaciæ Senatus Romani, cùm Cæsaris ambitum, non per authoritatem legis, civilem in modum, intraquè gravitatem aut dissimulationem, erroris admonendo, sed nimis rigidè, declaratione armorum aperta, compescere studeret, velut criminis convictum, tolerandus potiùs cùm esset, quàm tollendus: Dùm verò ille, despe-

Quod impedire non potes, velle videaris.

desperatione veniæ, necessitate bellandi arrepta, in peracto, quàm in cœpto deprehendi, securiùs putat, circumspexit de viribus, facilèquè invenit, desperatione & extremis valens, tùm audentior, nihil majus timendum jam ratus, eòquè Senatus authoritatem spernens, Rempublicam pessumdedit, *ex Concive* (occasione armorum) factus *Imperator*. Imitetur Princeps, tùm quæquè Respublica, peritos aquarum coäctores, qui rapiditati fluvii crescentis, claustra & obstacula non opponunt, sed promptè scienterquè demunt, nè altius (totam molem subruturus) intumescat, sed oppositurì, dùm insolentia tempestatis, & aquæ desævierit, solitis ripis coërcita. Prout seditiosi, dùm necessitate incitati, se in ausum seriò accinxerint, spreta semel superioritatis authoritate, parte non erunt contenti, nisi extorqueant totum; Superba namquè, ac planè intolerabilis, subjecti in dominantes insurgens vis, & crescens fortuna, quæ modicum par esse cœperit, spretis præsentibus, mox superior esse cupit, præsertim si altiores spiritus, & fomenta belli, pro magnis opibus, & longa pace, vulgus sumat ad insolentiam, ut bonos Dominos contra, facilè dicto, facto, insurgat, illisquè obmurmuret, ut ideò *mediocris inopia*, *tùm rigor* (obitèr dicere non intermittam) habendo in *Pace* populo, prosit nonnunquam màgis, quàm vulgi nimia affluentia, vel mollities rectoris, nàm insolentiæ, proterviæquè in populo, causâ sunt. Delicatissimos (iterùm dico) animos, ex bona fortuna, facilè vulgus sumit, eòquè levi contactu & occasione, recalcitrare amat, ut etiam, *periculo quisquè suo*, *& damno lætetur*, modò exsequatur meditata, nova experiatur, ex aperta cupidine mutationis, cùm odium præsentium, aut obstinata malitia invalescit. Tantò verò curatiùs, ad vexam superioris (velut non frustra) facturi, si adverterint, eum teneriùs indolere, & contra infidelitatem subditorum, apertè, parùmquè cautè conqueri, quod necesse obtegendum. Secùs contractior nonnihil fortuna, tùm mediocris rigor, obedientiæ modestiam, cum virtute suggerit, acuit ingenium, iners otium procul arcet, ejusquè loco, ingerit solertem curam, & providentiam sui. Delicata plebs, similis equis nondùm domitis, quos nisi labore, tùm lassitudine cicuraveris, ephippium nec obedientiam admittunt, immò bona ipsa, seu paveris,

 seu

ſeu potaveris, nocent, nec ſecurè pilum mulſeris, niſi curatores contra, recalcitrent.

Capita ſeditionum amovenda, promiſſo honore, præmio, per diverſa partium diſtrahendo, velut alibi ſatis dictum. Verùm cùm omnia ſopiendæ ſeditioni feceris, te ipſum priùs, tuoſquè adminiſtros introſpice, curaturus, nè ſint populo graves, ſed ex juſtitia, tùm virtute, ad normam rationis, totum agant, *parùm proficitur armis, ſi injuriæ ſequantur*, deerit ſeditio, cùm deerit cauſa, & quæ in nobis ſæpè eſt, in alios transferre amamus. Rari tàm ingenuæ virtutis, qui ſeipſos ex vero culpare malint, quàm alios. Dùm enim naturalitèr amamus nos, & noſtra màgis, quàm aliorum, etiam exonerare nos ipſos cauſâ, ſed culpare naturalitèr malumus alios.

Sicut offenſæ privatæ, ſic diffidia publica, non màgis animoſè, quàm cautè habebuntur, ac proindè hoſtilitatis declaratio, eò cautiùs in aliquem decernenda. Sæpè hunc aut illum, acerbiùs vexando, (quem fortè contempſimus,) facimus potiùs, ut ſe, ſuaquè circumſpiciat diligentèr, virtutem, vireſquè noſcat, ignorans fortè aut negligens, niſi laceſſeretur. Sæpè (dico) curæ, tùm fortitudinis, immò melioris conſilii admonemus, velut ſtudioſè in noſtrum caput adverſarium exercendo, & monſtrando, quæ ſibi ineſſe neſcivit, ut fiat in poſterum, qualis non fuit, nec fuiſſet, niſi provocatus. Alium neceſſitas, alium deſperatio, alium valentiorem reddit occaſio, & perficit uſus, tum vexatio. Cautè igitur, ſicut privata diffidia, ſic bellum publicum aggrediaris; Immò màgis adhuc (non incongruum addere) rebus in togatis, ex obtentu libertatis, cautè *ſuperiorem* vexabis, aut vim experiri contra cupies, *authoritatem potiùs* ex lege, quàm *robur per inſolentiam, vel arma*, objectando. Optimum remedium, ſervandis rebus, ex tempore (rerumquè tranſitu) quæſiturus, incertus præſertim, infracti tibi valoris, & ex eo indubii ſucceſſus. Utiquè, periculum majus, ex diſſimulatione, non vereberis.

Concionatores rei à te ſuſceptæ, ſint fautores, ut populum oratione trahant, in idem ſentiendum, quod multùm in animis poteſt.

Arma militum, mutanda in melius, multa præſtantur armorum commoditate. Non verò *offenſiva* tantùm providebuntur, velut ſunt

ſunt haſtæ, gladii, pixides ſulfureæ; ſed maximè *defenſiva*, ut ſunt ſcuta, galeæ, thoraces, & manicæ ferreæ. Sic benè tectus miles, occaſione vitandi periculi, fit audentior, immò vices duorum implet, non uni prælio ſuffecturus, ſecurus vitæ & ſalutis, quàm ſi aliàs *Offenſivis* munitus, facilè ictibus expoſitus, prima occaſione occumbat. Quas à numero militum aſſequi non potes vires, ab armorum commoditate compenſaturus. Pro brevibus igitur ſclopetis, longis bombarbis utantur pedites (immò equites) quæ defendendo ſunt accommodatiſſimæ, dùm à longè feriunt. Non ſine [a] furcula prætereà, jaculetur pedes, quò certiores ſint ictus, nequè ſaccis utatur, deferendo pulveri, ſed penſilibus ligneis [b] urnulis exploſionibus aptis, onerando, pro parſimonia pulveris nitrati, & pro certitudine onerandi. Deindè ſclopetariorum ordinibus, tertia pars peditum haſtatorum, neceſſe inſeratur, pro excipiendis (immò aggrediendis) equitibus, ſi aperto campo veniant. Sic Helvetii ad *Novariam* in Italia, pedites ipſi, ſolâ fiduciâ haſtarum pedeſtrium, equites cataphractos, ferentarioſquè non veriti, Gallorum numeroſiorem exercitum, medio campo aggreſſi, vicerunt, caſtris exuerunt: Tùm aliquot poſt annos, intra eandem Italiam, Regem Franciſcum, eâdem audaciâ ultrò adorſi, viciſſent planè, niſi *Alvianus* Veneto cum exercitu, ex fœdere armorum, opportunè media in pugna, Gallis auxilio veniſſet. (*Vide Pauli Jovii Hiſtor. lib. XI. & XV.*) Pedeſter enim miles, in aperto pugnans, ſolo pilo, equiti par eſſe poteſt, uti eques, niſi haſtâ armatus (præſertim longiori, ad normam Polonæ militiæ) peditem haſtatum ſpernit; Ut illi, qui pedeſtrem militiam, equeſtri præferre multa ratione contendunt, neceſſe adjiciant, utrùm equitem haſtatum, vel ſine haſta, pediti haſtato opponant, immo prout hic falcatum gladium, aptum cædendo, aut rectum punctim ferientem, ad normam militiæ Romanæ (*idquè ſcutatus*) fert, nam hoc genere armorum, par certè, aut inferior eſt, prout armatur haſta longiori, vel eam negligit. Non invenuſtè obſervat Tacitus, (*Hiſtor. lib.* 1.) Roxolanorum ſeu Sarmatarum equitibus, dum prælongos contos gerunt, *Ubi per turmas advenêre, vix ulla obſtiterit acies.* Tamen ordo pedeſtris militiæ, præſtat equeſtri, ut verè is bellare ſciat, cui pedeſtris militia, curæ.

[a] Widelca *vulgò.*

[b] Ladunki *vulgò vel* Bandoliery.

curæ. Sed hæc obitèr. Equites præterea levioris armaturæ, utantur haſtis mediis (*ſeu abbreviatis, quinquè cubitorum ſeu ulnarum cum media in longitudinem*) quæ faciliores ſunt geſtatu, nam poterunt eſſe penſiles ab humero. Fortior item erit, frons cujuſquè turmæ, venientis contra hoſtem, beneficio haſtarum protrudendo, quàm ſi cum gladiis, aut cum ſclopetis veniant, quorum incerti ſunt ictus, aut plerumquè fruſtranei, præſertim ſi contra loricatum hoſtem pugnetur; haſta enim, etſi non vulnerat tectum ferro, protrudendo tamen, deturbat equitem in terram, nequè à brevitate haſtæ, impeditus eques, quin facilè in hanc illamvè partem decurrat, globatim, aut per ſingulos pugnando, quod *cum haſta integra non datur, quoniam iſta, propè Novem Ulnarum eſt in longitudinem*, ut ſemper rectis ordinibus, procedendum ſit, fronte, ſtatariâ pugnâ feriendo, nequè ferit in latera. Verùmtamen omninò haſta integra, neceſſaria, contra pedites Germanos, qui longis fariſſis, aut pilis utuntur, contra miſſiles Turcarum haſtas, immò contra quamvis hoſtium aciem, primo impetu rumpendam. Non leve ſentit damnum Polonia, quoniam eum haſtarum uſum intermiſit, ut tantò ſit bellando inferior, quantò longiùs, ab haſtarum uſu, & more feriendi abſceſſit.

Scuta ſunt neceſſaria pediti, ex norma veteris militiæ Romanæ, immò equiti, qui dùm unica manu gladium, aut breve ſclopetum verſat, minùs impeditus eſt, quin ſiniſtram, ſcuto munitam objiciat ictibus, cominùs præſertim cùm ventum eſt. Pro gladiis item qui Poloni acinacis ad morem falcati (ſeu arcuati) nunc habentur, rectis [a] gladiis, militem pedeſtrem accingi præſtaret, in acutum mucronem decreſcentibus, ut non cæſim modò, acie tenùs, ſed punctim etiam, extremus gladii mucro, non ineptus ſit feriendo. Quo ictu pediti ac equiti, confertis præſertim in ardorem pugnæ militibus, ſternere hoſtem, promptiùs eſt. Cæſis ictibus, in anguſto facilè obſtant levia, ramus, lora, veſtis, aut quæquè intricata, fallendo vel declinando impetum; Punctim ſi ferias, certam comminaris mortem, præſertim cùm in barbaros bella ſunt, contra quos, inane levitatis nomen, ut niſi periculum inferas, certum ipſe patiaris.

[a] *Polonis* Palaſze.

Propter diutina bella, exhauſtis armorum officinis, cùm deeſſent nobis, tegendo militi, armaturæ ferreæ, *Lorica* id eſt, dein *caſſis, galeavè*, undè nullo tegmine ferreo, munitus eques, ac ferè ſeminudus, ſterneretur ictibus hoſtium, eminùs, cominùſvè petitus. Memini me ſuaſiſſe, ut loco loricæ, thoraces linteos, quater decuplicatos, quali quali ferrea lamina intertextos, eòquè minùs ictu penetrabiles, locò verò galeæ, ſimilis operis tegendo capiti *caputia*, ſibi quiſquè eques, iturus in caſtra procuraret, à Præfectis turmarum, ſcrupuloſè revidenda. Opportunè hinc commemorare, dictum noſtri Koniecpolskii, exercituum Ducis. Cùm quendam militum, defenſivis armis, non ſatis, pro more haſtati equitis indutum, ſine lorica id eſt, in acie conſpexiſſet, atquè ille, ſeveriùs increpitus, falſa animoſitate cùm reſpondiſſet, ſibi maximam injuriam fore non alteri, ſi occumberet in prælio. *Immò* (inquit Koniecpolskius) *Si prodigus vitæ, te tibi non ſervas, ſerva te Patriæ, futuris præliis mihiquè Duci, qui vos omnes inoffenſos, ac immortales cuperem. Si gravat ferri tegmen, tamen vitam ſecuriorem reddit, animumquè: Malim te lentè vincere, quàm citò perire, aut inermem confundi. Non gravant ſua cornua, ſed ornant cervum, & armatura militem.* Dehinc continuò armandum, excedere prælio juſſit.

Conſilia bellica, quæ lenta ſunt, valent, qui ſua conſervare, & retinere cupit, propera & citata, neceſſaria omninò acquirentibus, quæ ſunt (ſi tutè videbitur) propè deſperationem. *Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem; Plerumquè, deſperatio, ſpei cauſa eſt. Sed perſpicacitate utendum.*

Ut quàm otius legatur miles, futuro bello opportunus, parata ſpolia, & præda, proponantur militibus. Nec requires ſuperflua militum & equorum ornamenta, quibus Polono in more, ferè prodigales ſumus.

Veteranos milites, ex præſidiis arcium, in caſtra educes, novitiis, in locum eorum ſubſtitutis. Prælia, niſi veterano milite, aptè conficiuntur.

Magna bella, velut munimentorum magnorum obſidionem, commodiùs *Eminùs*, cautè id eſt, & à longè præmeditato, per artem operarum, vel cunctationis, incipere & experiri præſtat. Parva & levia, prompta aggreſſione, *Cominùs*, periculi & impenſarum

ſarum ages compendio; Nè recollecto ſpiritu, tractu temporis, etiam invalidis, ingeratur robur & conſilia, meditatione belli, ſed maximè, ex neceſſitate. Tandem, etiam bellis in magnis, niſi cominùs agas animosè, intentum non aſſequaris, ſed immò contemnueris.

Errant, qui affectu & impetu (ac ſunt laceſſiti) in arma ducuntur, prudentiores omninò, offenſas qui diſſimulant, & arma in tempus differunt, quaſi injuriæ neſcii, nè ſi hoſtilitatem præſeferant impares, opprimantur. Rectè ille: *Apud impotentes, plùs querimoniarum, quàm virium, plùs minarum, quàm periculi.* Parandæ ſunt primò vires; ut parem te ſentias vincendo, interea modeſtis literis, aut miſſa legatione (medius inter diſſimulantem) cauſam injuriæ perquires, & mediatores reconciliandi quæres, antequam de viribus, tibi provideas; ſi verò paratus es in arma, dùm laceſſeris, vanum erit, diſſimulationis nomen.

Invictus eſſe poteris, ſi nullo certamini te committas, quod in te non ſit vincendo.

Qui ſine pedite, & tormentis, ad bellum abit, levem prædam, non capturam Provinciæ cogitat. Eques, unico ſervitio, (campo id eſt) pedes ubiquè & per omnia valet, in aſperis, in ſaltibus, pro vallo & contra vallum, defendendo, expugnando, acquirendo, retinendo; Trahendo bello, minùs ex commeatu, minùs ex impenſa requirit, fuſo exercitu, faciliùs ſubſtituitur alter, ac deniquè ipſo campo, *pilis circumſceptus*, equitem ſpernit, & *velut ambulatorium fortalitium eſt.* Qui cum equite contra venit, nullus adeſt metus, per munitiones, per abrupta, & per avia; Qui cum pedite, etiam intra vallum cavetur. *Equitis* vis, aliena velut (equorum id eſt) ſuſtentatur, aut perit, languente virtute: *Pedes*, conſtat virtute ſua, ſemperquè bello accinctus. Dicam adhuc; Eques cùm pro velocitate, ſcit ſe poſſe fugere, dùm velit, fugit; eadem quæ inſequendo prodeſt velocitas, etiam (ſi levia obſtent) fugæ illicium eſt, & cauſa. *Pedes*, cui tardior pedum & currendi promptitupo, dùm fugere non poteſt, ſtat, haſtas, vallum, lacertos, phalangem, Duces proſpectat, nam & neceſſitatem habet; Præſertim dùm inſtando, quàm fugiendo periclitari, minùs periculoſum; eòquè impoſſibilitas fugiendi, tranſit in neceſſitatem

tem perſiſtendi, immò in ipſam vincendi virtutem. Tamen eques haſtatus, facit compendia belli, & parat promptè victoriam.

Illi Duces regendæ militiæ quærendi, quorum ea vita, in qua nihil præteritum excuſandum habeant, qui per minima pedeſtris & equeſtris militiæ ſervitia, tùm officia, primùm verſati; Probè dùm ſciunt (ipſi agendo experti) quomodo eques aut pedes, ſufficiat labori, qua parte ſuperior, alter alteri eſſe poteſt, qua ceſſurus, quomodo viritim? quomodo per ſingulos ordines? tùm per integras cohortes, turmaſvè, arma & ordo, ſunt uſui; ut velut medici, ad perfectionem artis, non corporis tantùm integri compagem & naturam, ſed nervorum & muſculorum radices, ductus, nexus, vim, noſſe neceſſum putant. Sic perfectus militiæ Dux, per omnia rei militaris momenta, verſatus eſſe debet, non aciem tantùm, & cohortes, ſed ordines & milites, per capita penſando, immò arma & equos, veſtem quoquè, cibum & pabulum, ſomnum & vigiliam, veluti Parens de filiis proſpecturus. Placuit nonnullibi videre, magnorum Principum filios, legionariis peditibus intermiſtos, omnia gregariorum munia (per uſum armorum, & minutiores vigilias) nulla perſonarum diſcretione, adimpleſſe, & nutui, certè non illuſtrium Præfectorum, obediviſſe, cum altiſſimis belli muniis, pararentur. Verè dictum. *Dominavêre rectè, qui antè ſervivêre*, cùm ſcirent, ſibi obedientibus non abuti, qui ſibi rectè imperatum, meminêre. Illud quoquè, ſummis armorum in Magiſtratibus, populari præſertim in ſtatu, advertendum, nè conferantur illis, qui togatarum artium rudes, & civilis vitæ, ſtatuſvè inexperti, mediis in caſtris enutriti, ſolam armorum meditationem induêre. Tales, niſi bella meditantur, bella loquuntur & ſuadent, contentioſis artibus clari, per quieta (ut putant) ſibi otioſi, pro ferocia ingenii, facilè inſoleſcunt, publicæ paci, & concivibus graves. Si verò populus feſſus bello, & ſciſcendis tributis, ad commoda pacis tandem inclinat, ipſi togatæ rudes experientiæ, velut materiam ſuæ gloriæ præreptam putantes, nè ſint ignoti & ſine quæſtu, res & quietem turbant, neceſſitatem armorum (ex prætextu defendendi ſua) obtrudunt, pericula objectant, vel obtendunt, per unius victoriam belli, gradum majoris alterius, non commoda pacis cogitantes.

tantes. Hinc si bellum diutiùs invalescat, à meditatione armorum, & *desuetudine quietis*, *ac togæ*, multorum civium transferuntur passim, in turbarum usum, & belli amorem, ingenia, prioribusquè associantur. Adest subindè, bellica licentia, privata ultio, impunitas, quæstuosa hyberna, tùm rapinæ placent. Dein extorta à Republica præmia, & augendarum compendia fortunarum, in promptu habentur, idemquè filiis (ut necessarium) quisquè suadet. Super hæc, rigor legis, in licentiosos vel inquietos, media in pace exerceri solitus, gratia belli, aut meritorum dispensatur; vel quia, ultoria promptè tenentes arma, dùm pro ferocia velint, palam arguere, aut extorquentibus, quidpiam negare, periculosum. Pax ideò ut infructuosa, virtutis præsertim & regulatæ vitæ rigida exactrix, moribus castrorum & ingenio adversa, odio habetur, finisquè idem licentiæ, ac præmiorum (bellicosis) qui belli putatur; ut facilè penes potentiam suadendi, & authoritatem, non modò necessitatem armorum, imponant populo, sed ipsius æqualitatis (nè dicam libertatis) sint hostes, ad mutationem status. Prout enim imperium belli, cæcâ nisi obedientiâ, commodè constare putant, ita huic assuefacti, etiam facilè, in Monarchica in populum jussa, inclinant, libertatis supplantandæ (regnare per absolutum volentibus) aptissima instrumenta. Dùm verò populus, rationem actorum, sibi reddi cupit, bella importuna, & inutiles impensas vetat, commoda pacis rigidè exposcit, licentiam militarem arguit & coërcet, illi seditionem inertis populi, & ratiocinationes imbellium importunas, vocant, simulquè illudunt. Nec facilè flectuntur populi querelis, ex calamitate belli, immò talia, levi transeunt auditu, quia mentis ferociam, prædâ, cædibus, & sanguine imbutam, truces ferunt, civilibus, & pacatis, ideò flecti, molle putant, immò in gratiam expediendi promptè belli (pro suo ingenio, non pro utilitate publica, res metientes) totum ferendum imponunt, vel quia, militum gratiam inoffensam, retinere placet. Sic Annibal, pro ferocia militaris ingenii, Carthagini occidium induxit, qui aliàs, uno alteroquè contra Romanos, felicitèr confecto prælio, pro commodo pacis (antequam lassatam expertus fortunam) gloriosum fœdus, Patriæ parare potuisset, sequi modò si voluisset consilium, pacatioris civium Carthaginensium *Hannonis*, qui ex usu togæ, non pro impetu vanæ gloriæ, bellum in Romanos geri suasit. Sic *Marius* & *Sylla*, castrorum filii, bellis quidem clari, sed feroces, ideòquè populo Romano graves. Alitèr prosus *Quintius Cincinnatus*, *Camillus*, *Fabius Maximus*, *Marcellus*, & alii Romanorum tales, dùm non ex castrensibus, verùm ex togatis & pacatioribus, ad imperium armorum lecti, fortunam belli, ex conservatione status, usuquè togæ administrantes, in alto rem Romanam collocavêre. Prudentissimo igitur Romanorum instituto factum, ut iidem essent bellorum Duces, qui consules, priùs legi oportuit ingenii togati Consulem, quàm militaris Ducem; ut ferocia sagatarum artium, togatis artibus, peritiâquè status, attemperaretur, totum administrando ex populi commodo, togæquè regula. Sic Dictatores Romani, dùm sunt civilium & pacatarum artium viri, promptè expedito bello, in gratiam Patriæ ac libertatis, spontè abdicabant se officio. Totum secùs Rebuspublicis Græcorum contigit: Cùm enim non utrasquè artes, sed solas militares posthabitis civilibus, suis in Ducibus, conspicuas volunt, eosdem pro ferocia, tulêre insolentes, populo graves, mox Tyrannos, & Reipublicæ subversores. Etiam Romanam in urbem, non priùs invecta servitus, & absoluta Cæsarum jussa, quàm pro longitudine belli, dùm militaria passim & inertia togæ, præpotuêre viris pacatis ingenia, ut sagum facilè aggrederetur, mox inverteret popularem *togam*; militarem in statum, Reipublicæ transportando Majestatem. Auctæ versutulorum per artes, in immensum legiones, prioribus cùm non sufficeret ærarium solvendo; ut cùm miles, jure stipendia poscit, nec habet, justo velut, togatos contra, tumultuaretur prætextu, insolesceret, in partes vocatus transiret, non ubi æquum, nec pro Republica, sed undè præmia, spes, & licentia, exspectabantur, immò offerebantur studiosè, vel ambitiosè: Sic *internis* confecta màgis, quàm *externis*, viribus & periculo, cecidit Respublica. Sic (dicam immò) dùm vexa fortunarum & crumenæ (quod unicum imperitum vulgus pensat) objicitur, populo studiosè, in materiam sermonis, & in quæstionem, ea cogitatione distractum, solidiora status ac libertatis, non advertendo, amissam tunc advertit totam, & in-

& ingemuit decipi, dùm invalescente Principum potentia, nullus ad corrigendum esset regressus, pauci modò perspicaciorum, bona libertatis, in cassum serò differebant. Intuere nostram Poloniam, quantùm hodiè, pro longitudine belli, decrevit à priori vigore & Majestate libertas; Immò vide, quantùm fuerint olim Reipublicæ utiles, qui togatis, pacisquè artibus, civilibus id est, priùs clari, ad militaria imperia lecti. Quàm inquam pulchrè, ad commoda togæ, populiquè, gesta belli referebant, *Tarnouskius*, *Zamoyskius*, *Zolkiensluus*, & nè multos commemorem *Chotkievicius*, ante victoriam temperati, post victoriam non insolentes, arma ut præsidia pacis, non ut belli irritamenta administrantes, pro defensione & commodis, non in vexam populi, immò ejusdem querelas ac redargutiones, intra civilem modum, ac modestiam tulêre. Dùm inquam, artibus togæ, mirâ harmoniâ temperatis, magnos in publicum parerent effectus. Verùm inquies, quomodò inter togatos, non in castris, belli Dux quæratur? Utiquè non penitiùs excluserim, scientiam belli, à scientia togæ, & civilium. Verùm priùs hæc spectanda suaserim, nam etiam artes togatæ, longiori usu curiæ, ac mediatione Reipublicæ non distracta, pernoscantur. Utiquè, viro in togato, militaris facilè se prodat virtus, si in gerendi belli materia, prompta vivacitate, ex usu togæ & populi, suggerat consilia; Dein, si aliqua occasione armorum, spontè ac dextrè, castris se commodavit; Facilis utiquè viro prudenti, ad armorum reliqua transitus, etiamsi totam ætatem, modestiæ civili assuefactus in castris non egerit, cùm fit non rarò, ut militia quorundam temporum, fit màgis onerosa conscientiæ, quàm proficua gloriæ. Sæpè, quos pro usu quotidiano castrorum, viros militares, nomine magnifico intitulamus, quæstuosa màgis quàm gloriosa, sub nomine militiæ, sequuntur & probant. Quotiescunquè igitur nobis, ex merè castrensibus, inertes togæ, Duces lecti, aut parùm in publicum profuêre, vel sæpiùs, pro ferocia militaris ingenii, non concivibus modò, sed ipsi libertati, fuêre graves ac metuendi, boni communis & status ignari, nec ideò res accommodare, sed irritare scientes. Non barbarum, ideò, in barbara Turcarum gente, cùm idem, qui res status curat, etiam armorum potestatem, commissam habet à Prin-

cipe *Vesirius*, idem summus minister status, & belli: Turbulentorum sciens, pacis non ignarus.

Non transmittendum sine interpretatione arcani. Quare olim Romæ, Dictator à populo dictus, ipse sibi pro arbitrio, Vicarium belli, Magistri equitum sub nomine, dicebat, non ut scito populi legeretur. Factum sine dubio, ut cui deberet ille honoris beneficium, eidem præstare teneretur obsequium, nè discordiâ imperiorum, tùm varietate, res bellica turbaretur. Velut *Minutius* magister equitum, Fabio Maximo Dictatori, æquatus potestate, res turbaverat æmulatione, ac temeritate, ni moderatione ac providentia Fabii, cónsultum fuisset in melius (*Livius lib. XXII. Histor.*) Interest igitur, Duces belli ut sint concordes, pro amicitia, genio, studiis, artibus belli æqualibus; Nam ex paritate, dissociari animos, & res confundi necesse; Nevè collega in æmulationem, sed in societatem laboris, adsciscatur. Rectè majorum nostrorum instituto provisum, ut minor belli Dux, subesset majori; Immò, cessaret jubendi authoritas minoris, si major Dux, in castris adest. Sed hodiè, mirùm! nescio quæ nova politia, distrahere cœpit, per occulta, Ducum concordiam, eòquè distraxit Polonas vires, fortunam, Provinciasquè in id calamitatis, periculo involuit, confinia coärctavit.

Instituendæ militari disciplinæ valet, ut equestrium turmarum Præfecti, adscitis in consilium commilitonibus, certis casibus, habeant potestatem de vita decernendi, super prioris ordinis equites, serum aliàs, armorum Duci, de quibusvis referre, dùm ab hybernis, ille procul abest, interim per dilationes pœnæ, flagitia quandoquè intenduntur, cùm non promptè, summus metus adest, capitalitèr delinquenti; Sic verò vivitur, ut rarò discretioni aut pudori obeditum sit, sed omnes promptè regit metus. Videmus Senatorum filios, dùm bonis artibus & virtuti student, subjici Pædagogorum plagis, qui aliàs obscuro loco nati, modò sua constet regentibus authoritas, nec assidere simul, sed coram stare, verbo & gestu, reverentèr Pædagogos haberi volumus, nè post inductam familiaritatem, exuatur primùm reverentia, dein posthabeatur superioritatis metus, ut ab eo, nec moneri velint, aut corrigi, injuriæ loco habeant.

 Re-

Requiritur item, ſingulis equitum turmis, quinqueni ſexenivè minoris poteſtatis officiales, (ultra Præfectum & Vicarium) ut ſubſtituantur, unicus dùm non ſufficit omnia curando, in itinere, in caſtris, in acie, inſtando, cedendo, tùm ſi idem occumbat, turma ductore deſtituta, quid? niſi turbetur, cedatvè prælio. Rectum inſtitutum Lacedæmoniorum, ſubſtituendis belli Officialibus, ſuggerit Thucidides (*Libro V. Hiſtor.*) *Cùm Rex exercitum ducit, omnia ab illo reguntur, & ipſe quidem Tribunis militum, indicat ea, quæ ſunt facienda, illi verò, Centurionibus, & Centuriones, dimidiæ centuriæ Præfectis, rurſus iſti Decanis, Decani verò ſuæ Decuriæ; Ut imperia (ſi quid Reges fieri velint) eodem ordine progrediantur, citòquè per omnem exercitum permeent. Nam propemodum totus Lacedæmoniorum exercitus, exceptis paucis, ſunt Duces Ducum, & alii aliis imperant, & rerum gerendarum cura, ad multos pertinet.* Sicut igitur quiſquè bellatorum prudens, unica in turma plures adminiſtros, quàm unum requirat, ſic improbarit, cùm unus idemquè Præfectus, aliquot ſimul præeſt turmis, & cohortibus, ut idem haſtatis, idemquè ferentariis equitibus præſit, atquè idem pedites regat, non ut ardentèr ſe bello commodet, pluribus intentus, verùm ut quæſtui bellum habeat, vexando colonos per diverſa, defraudando ſtipendia, ſummâ rei militaris jacturâ. Si enim unicus ſolus, uni cohorti, ſine vicariis manibus, haud ſufficiat regendo, quomodò ſufficiet ſimul pluribus? ut diſſolvi ſit neceſſe, militarem diſciplinam, negligentior, immò inexercitatior miles ut reddatur. Utinam hæc in caſtris noſtrorum, invaleſcente rectioris militiæ abuſu, correctiùs habeantur.

Loquar clariùs (Non enim imprudens recentium bellatorum probavit) Eò màgis præſtare cohortem cohorti, aut turmam turmæ, quò plures haberet adminiſtros, ſeu (ut vulgus ait) *Officiales*; Nequè ſolùm de cohorte turmavè, ſed integra de legione ſentiendum, ut habeat ſummum Præfectum & Vicarium, dein minores vigilium, annonæ, ſtationum, armorum Præfectos, tùm Centuriones, cum ſuis adminiſtris. *Fortiores igitur viri mille, qui ſub duarum legionum nomine confligent, quàm qui ſub regimine unius*, cadente uno Præfecto, alter ſupereſt, aut ſi meticuloſus alter, alter poterit eſſe cordatior, æmulatio dein ad virtutem,

& conſilium belli, meliùs à duobus. In unico ſolo, & cor unum, & ſors in mortem, unica eſt, ut unius capitis periculo, fortuna tot ſimul virorum vertatur. Non irridendum cujuſdam belli Ducis effatum. *Eo meliùs pugnaturum militem, ſi quiſquè in acie, ſuum poſt ſe haberet rectorem, vel Pædagogum.* Suecorum ductores, militiæ robur quærunt, ut quàm plurimos *Officiales* cohortibus ſubſtituant. Atquè ab ea ratione recordor, me alicubi de Polona militia loquentem, conſilii per modum inſinuaſſe, conducturum non levitèr equeſtribus turmis, ſi ultra Præfectum & Vicarium, haberent quatuor alios, minoris poteſtatis adminiſtros, qui velut aliquæ Præfectorum manus, ordinandis, ducendis, reſtaurandis ordinibus adhiberentur, ut cùm Præfecti à fronte curant omnia, hi per latera, tùm à tergo circumfundantur, commiſſum numerum militum (partiri enim turmam, quaternas ternaſvè in partes non obſit) per ſubſidia, ducturi, ut confuſos in ordinem reponant, immò cedentibus, gladium intendant, prælium reſtaurent, curent vigilias, *rationem malè geſtæ rei, reddituri,* quartus, quintuſvè primorum vices ſupplendo, ſi occumbant in prælio. Si verò pauci ſint *Officiales*, Præfectus cum Vicario, haud partes in omnes ſufficient. Quod modernis bellis deprehenſum, ut optimus aliàs noſter equitatus, à Suecico longè inferiori, & ignobiliori, ſed benè per ſubſidia ordinato, aliquoties propelleretur, cùm ob defectum adminiſtrorum, faciliùs noſtri confunderentur in pugna, & difficiliùs, ab unico ſolo Præfecto, confuſi reponerentur in ordinem, aut cedentes animarentur, ſeu retraherentur in prælium.

Quem neceſſitas ſuſpectæ vicinorum hoſtilitatis, magnis exercitibus habendis adſtringit, ærarium verò ſolvendo non adeſt, arte *reſervationis* aut ſubſidiorum, utendum. Septies quinquè peditum millia, neceſſe cum habenda tibi, decem ſolvendis millibus, qui vix ſufficias: Subſtitutis expertæ virtutis Centurionum veteranis, aliiſquè ordinum ductoribus, per municipia & pagos, totâ Provinciâ, millium triginta quinquè peditum ſcribendorum, delectum imperabis. Ex his quinquè millia, quibus incerta domus, aut manſio, nomine Prætorianarum legionum, ad retinendum perpetui exercitus nomen & robur, (immò retinendæ diſciplinæ)

ſub ſignis ſemper habeto, reliquam multitudinem, ſubſidiorum nomine, ſexenas in partes partieris, ut quolibet bimeſtri, alia quinquè, primis per ſuas domos ſparſim digredientibus (relictis tamen per urbium armamentaria, ſignis & armis, nè fortè data occaſione, tumultuentur armati, & inſoleſcant uniti, præſertim ſi ſuſpectum vulgus in revolutionem; Centuriones etiam in caſtris, penes te manebunt, ut abſit illicitorum Dux, & author) & tertio bimeſtri totidem; revoluto anno ad eoſdem, circulo velut, ordine redeunte. Sic millia decem, menſtruo ſtipendio cùm providebuntur, revera, peditum millia triginta quinquè, ſubitis belli caſibus, promptiſſimè aderunt. Faciliùs utiquè, caſu belli ſuperveniente, tantæ multitudini, breve in tempus ſtipendio ſufficies, quàm ut perpetuum onus, portes incautus. Immò promptiùs ſit, minoreque inſperati belli periculo, ſufficientes vires habebuntur, hoſti reprimendo, quàm ſi repentè colligendus ſit miles, tyro, & verna, aciei, ordinum, ignarus, periculi inexpertus, eòquè, novo aſpectu hoſtis, confuſus ac tremens, tùm primùm armis exercendus, dùm ſuper caput imminet invaſor, ſuperbè inſultans, tuorum deprædator. Pericula verò bellorum, & labor, non arte aut præcepto, ſed màgis, conſuetudine caſtrorum tolerantur, & niſi cum tempore, uſus venit.

Placuit aliquibus bellatorum, ut ab eo commodam invadendi occaſionem, in hoſtium populos, aut urbes uſurparent, cùm inter ſe, earum cives, diffiderent animis, & ſtudiis colliderentur. Sed fefellit opinio, cùm enim utramquè partem, ſimul oppreſſum irent, potiùs à neceſſitate incuſſi metus, in ſuum caput conciliandi, & arma inter ſe jungendi, occaſionem partibus dabant, quàm ut aliquid proficerent invadendo. Conſultiùs ſit, diffidentem inter ſe Provinciam ſuſpectam, aut urbem, pacis, quàm belli artibus aggredi, alteri parti patrocinando, conſilium, arma, pecuniam, ſubmittendo, ut mutuò conficiantur, non difficultèr tandem, *legitimis occupantibus* ceſſuri.

Res ab utrinquè multarum rationum eſt. *An expediat hoſti inferre bellum foris, aut exſpectare illum domi.* Nè hinc aut illinc, diſquiram diu, potiùs illis aſſenſerim, qui conditionalitèr rem habere volunt, videlicet. Si populoſam habeas Provinciam, commeatu

meatu abundantem, incolas armis exercitos, fideles, factionibus non diſtractos, ut potiùs majore in rem tuam commodo, hoſtem exſpectare domi opus habeas; Facilior tibi ſubſidiorum copia è proximo, commeatus, locorum gnara commoditas, quæ difficiliùs hoſti obveniunt, immò faciliùs intercludi poſſunt. Deindè, ſæpè fit, in externam Provinciam, haud numeroſum exercitum educere qui poteſt (cui præſertim ſunt populi, diuturni belli & moræ impatientes, aut peculium, diu ſuſtentando externo bello, haud dives dum adeſt, ut poſt majore periculo irritati belli, rem turpiùs deſerere opus habeat) ille, ſi domi bellum geratur, triplum numerum armare poſſet: Cùm incolarum alii, pro commoditate proximi loci, alii neceſſitate periculi, juvenis, ſenior, civis, ruricola, ſolutus, adſtrictus, leviore ſtipendio, immò gratuitò tuendæ Patriæ amore, ad arma provolant, in externa bella, non cuiquè progredi libet. Helvetii, cùm extra Provinciam, xxv. virorum millia educant, duplum aut plùs, domi armare poſſunt, eòquè fortiùs, quò màgis commoditate ſuæ Patriæ, & gnaris montibus, in bella utuntur. Poloni etiam, ut fatear, in externa bella, non facilè potentes, ſed intra Poloniam bellando, magnos confecère hoſtes, & multos ſimul repreſſère populos. Jam parte altera, rem librando, ſi peregrino milite utaris, & ſolis nummis, res tua conſtet, nec tibi populi uſitati bello, ſed negotiationi accommodati, ſeditionis ſuſpecti, præſtat tunc inferre bellum, & hoſtem quærere ad extra, nè tibi commerciorum curſus adimatur, undè fons pecuniæ intercidi poſſit, quæ ſi deſit ſtipendiis, deficiat externus miles, tumultuetur, ad hoſtem tranſeat. Exemplo res Romana contra Annibalem, dùm enim Romani, domeſticis viribus bellarent, tùm populoſam haberent, ſubmittendis auxiliis urbem, juvenes armis exercitos, toties periclitati, nec tamen bello ſuccubuère, ut Annibal citiùs vincendo, quàm illi ſuccumberent bellando; Secùs Carthaginenſes, cùm peregrino, & adſcititio milite, tùm auxiliis uterentur, potentes in Italia fuère diu, ſed poſtquam domum rediit bellum, tranſeunte in Africam Scipione, unius periculo pugnæ, confuſionem paſſi, ac de ſumma rerum, periclitati ſunt. In ſumma dicendum venit: *In externa Provincia bellanti, nonniſi victori, tutò redire licere.* In propria terra,

N errata

errata præliorum faciliùs corrigantur, fidentiùs te ad tuos recipias, facilè colligas diſſipatos, ſubſidia & commeatum, è proximo, haud gravatè acquiras, quæ in externo periclitanti, non tàm facilè dantur, dùm metu màgis armorum, quàm debita vel innata fide, in tempus faventes, incolarum aliqui tenebantur, inclinante fortuna, omnes contra inſurgunt. Cur enim peregrinum & advenam, quàm ſuos plùs ament? præſertim cùm redit ad ſuos fortuna; verbo dicendum. In externo vincenti, victoriæ lucra, gradatim, & quaſi rependo veniunt, ſecùs unius prælii caſus, nihil medium relinquit, inter ſumma, aut præcipitia, lucra fiunt per partes, amiſſio per totum, ſemper vincere oportet, vix tamen ſatis eſt, ſemel perdere, ſatis eſt ad ruinam. Suecus tùm Moſchus, intra Poloniam injuſti victores, ſuo caſu, exemplum huic adſtruant neceſſe veritati. Illud quoquè in conſiderationem venire debet, qualis illa gens, contra quam bellandum. Prout enim moribus, veſtitu, religione, lingua, genio, diſpar eſt, aut quò propiùs ad noſtra accedit, eo faciliùs, aut ſecùs difficultèr, eam occupare; partamvè retinere tibi ſtatues. Faciliores ideò ſunt, intra Italiam, Gallicorum armorum, quàm Germanorum progreſſus, & belli lucra fideliora, quò illi propiùs, quàm iſti, ad ſimilitudinem genii, tùm linguæ Italæ accedunt; Hiſpanis deindè, adhuc ſupra Gallos, faventiores ſunt parandæ Italiæ conatus, nam Hiſpanica gravitas, & Melancholia, genius item, ſtudia, tùm lingua, màgis conveniunt cum Italis, Gallorum verò inſolentia in ſubjectos, contemptus erga gentes alias, tùm inconſtantia, intra Italiam exprobratur. Ideò Neapolitanum regnum poſt Arragonios, (*Vide Franciſci Guicciardini Hiſtoriam*) Ducatum Mediolanenſem, tùm ſuperiori retrò tempore, Siciliam, Galli non retinuêre diu, cùm Hiſpanorum dominium, minùs ægrè ferant, ut rectè quiſpiam, Italiam, ſepulchrum Gallorum vocet. Sed in alias gentes, ut quoquè ratio vadat; Suecorum arma intra Germaniam, efficaciùs agunt, & occupata tenent, dùm lingua Germana, habitus, genius gentis, religio paſſim non Catholica, cognata ſunt Suecis, quàm dùm contra Poloniam itur, nàm obſtinatiùs à Polonis, & majore odio, in Suecos ſibi per omnia diſpares pugnatur, ut difficultèr ſibi diſparium, recipiant ſuperioritatem.

ritatem. Germanorum verò, & Suecorum inter ſe, ſuſpenſi ſunt ictus, nec tàm internecinum bellum. Prout moderno bello Polono Europæo, Suecorum ore, in confeſſo habetur, plures Suecos, quinquennio, intra Poloniam cecidiſſe, quàm triginta annis, intra Germaniam bellando. Inſuper, minùs ſanguinolenta nobis arma, & majores progreſſus Polonorum, in quosvis alios confinitimos, quàm contra Germanos (immò fideliora Provinciarum lucra) quò màgis, lingua, veſtitus, tùm Septemtrionale cœlum, differt ab Occiduo, vel Meridionali. Sed tandem, ut quæſtioni finis apponatur, conſiderandum eunti bellatori in externam Provinciam, utrùm pro Republica populari, vel pro Monarchia, bellum geras, undè facilè pro authoritate Monarchica, ſubſidia (licet in remotiora) à tergo ſubmitti dùm velis, ſtatim habeas, quod in ſtatu populari, haud promptè habendum ſperes, cum populus, non tàm facilè à remoto, belli ſucceſſus proſperos, adverſosvè penſat, & niſi plerumquè facit, dùm ſub oculis metus domi, ac proindè juvandi neceſſitas, vel nolentibus adeſt. Genus deindè belli penſandum, defenſivum nè, an offenſivum geras? Conſervare nè tua? an acquirere aliena petas. Dùm acquirere contendis, fruſtra domi torpeas, omnia audenti parata, ſi vires, ſi conſilium, ſi *juſta cauſa*, ſi commeatus, & inſuper adeſt *occaſio*. Rari potentiâ ſolâ, Provinciam ſubjugarunt, verùm promptiùs, qui defectum virium, virtutis, concordiæ, & qua parte, (hoſtem inter) advertendo, *pro tempore* dextrè uſi ſunt, in ejuſdem ruinam; Vitiis hoſtium ſuppleturi, quæ ſibi ad perfectionem defuêre. Super hæc, natura externi belli, in trutinam vocanda, utrum in viciniora, an in terrarum longinqua, procul à domo eundum; longinquitas enim, aliam, quàm ſperamus, aut animo præconcipimus, rerum faciem adfert, propter commeatus, reiquè nummariæ, immò apparatus armorum (præſertim in pulvere & globis, dùm conſumuntur) defectum, fatalem diſcordiam ſuorum, incommoditates, tùm incognita locorum, Montium item, Sylvarum & Fluviorum propter impervios ſaltus, ferociam populorum, mutationem aëris, aquarum peregrinas cruditates, eòquè morbos, hominum peſtes & jumentorum, inopinatas pluvii, tùm gelidi cœli tempeſtates, item æſtus, in-

N 2 terrupta

terrupta à tergo, & planè desperata subsidia, capitum belli jacturam, virium distractionem in locorum præsidia, vincenda æquè ac victa, habendo suspecta, dùm nec victoria parta, ex malè affecto populo (ob diversitatem linguæ, morum & religionis, nec dùm rectè coälitos affectus per omnia) satis fida, clades verò, semper est, in longinquo periculosior. Quod màgis adhuc (nec enim omittendum) mirère, serpentium pericula, dein muscarum, aut culicum stupenda vexa, præsertim in camporum desertis, peregrè tendentibus ferenda, velut quibusdam bellatorum, in barbaros moturis arma, minùs laboriosè ac periculosè contigit. Verbo dicam. Necesse considerandum, non màgis quæ ituro, permansurovè, sed quæ redituro prosunt. Quorum defectuum remedia, supra humanum consilium posita, ut ferè miraculis, velut pullus fortunæ, bellare præsumat, qui jactantèr in bella longinqua properus, sine reciproca populorum fidelium, tùm fortalitiorum (lineam communicationis, novi bellatores vocant) ex uno in aliud communicatione, per interrupta terrarum, procul à domo bellare studet. Homines novi, & advenæ, semper sunt populis suspecti, præsertim quos armis impetitum eunt; Est verò pro comperto, ut malos mores eorum, faciliùs feramus, boni alterius comparatione fortè pensaturi, cum quibus familiariùs dudùm sumus assuefacti, nec ideò facilè ab iis divellimur. Nisi fortè mutationis studium, tædio præsentium, apertè invalescat. Hominum secùs incognitorum, tùm advenarum, ipsa novitas, immò virtutes suspectæ, & *pro fictis in tempus habentur*, etiamsi modestè victoriâ utantur, illud pro injuria reputatur, & inimicum videtur, quia vicerunt. Honesta etiam, novæ superioritatis confessio, suspectissima est, ipsa mutationis novitate, dùm ligari putamus, semper pejus aliquid, contra, imaginaturi, quos semel pertimuimus, aut ex incognito reveremur, antequam temporum lenta familiaritate, metus & suspicio deponatur, amor invalescat, occultæ inclinationes animorum pernoscantur, ex agnita probè virtute, & gratiâ morum; Immò, antiquornm dominorum, seu libertatis, rituumquè (quibus dudum assuefacti) memoria, sensim antequam desinat, in quæ, momento haud transfertur animus. Cujus incommoda belli, non faciliùs, quam à praxi historica,

(expeditionis Hierosolimitanæ) videas, apud Paulum Æmilium *libro IV. & V. Historiarum Galliæ.*

Absit deindè, ipsum Principem, in externa bella, ire suadeam, quocunquè prætextu, sed commodiùs, per peritissimos ministrorum, bellum geret, ipse à tergo, de subsidiis commodiùs prospecturus, *nec relicturus locum, undè in omnia regimen*, exemtus à casibus belli, procul à labore ipse, sed fructum messurus in quieto; secùs quid reliquum ad ruinam, aut quod aliud subsidium speretur? si Princeps cadat in externo, periculovè involvatur, nisi ut domi reliqua confundantur, cùm terror à remoto, major venit, omnia velut turbine commisturus. Francisci primi Gallorum Regis intra Italiam ad *Ticinum*, unius prælii adversa sors, & captivatio, quanta intulerit incommoda, & pepererit multos in annos quæstiones Regno Galliæ, *Pauli Jovii, & Francisci Guicciardini Historias lege:* Cùm Cæsar Carolus, è sede Majestatis non recedens, belliquè pericula securus à remoto spectans, sed per administros Franciscum vincens, titulo victoris uteretur, eòquè altiùs, ad opinionem hominum, velut majora, & expeditiùs facturus ipse, si præsens adfuisset, *vim fortunamquè Principatus, absens modo à longè ostentans, minoribus periculis non immixtus, & majoribus non defuturus.*

Hinc rationem excutere placet. Quare miles (seu quivis alius) dùm in externam venit Provinciam, animosior, tùm acceptior plerumquè, quàm forsan est domi? Duplici fit causâ, eorum primò, ad quos ventum est; Dùm enim naturalitèr, novorum homines sunt cupidiores, major in ignotas personas, fertur admiratio; Obvia nondùm cognitæ amicitiæ irritamenta, in præsens dantur, nulla verò trahitur (hinc, illinc) ex antecesso offensa, vel actorum, natalitiorumvè exprobratur censura, ut homines advenæ, aliàs obscuro loco nati multùm æstimentur per ignorantiam, ac vicissim ipsi, ignotos, effusiore prosequantur amicitia, eòquè justè mereantur æstimari. Deindè fit, parte ex altera, cùm faciliora domi subsidia sperantur, quidvis agentibus, aut in adversis, faciliùs se offert, non in ignoto effugium, tùm *spes*, non in se solo tantùm, *sed in aliquo reponitur*, facilè remittit animus inter suos, nec se colligit, aliàs in externo, ipsa necessitate armatur.

Rem planè cognatam, ſuggerit Tacitus: *Propinqua Cremonenſium mœnia, quò plùs ſpei ad effugium, eò minùs ad reſiſtendum animi dabant.* Placet adhuc cauſa, quia domi, per reſpectus perſonarum, aut per fiduciam, immò per notitiam, diſgregatur (eòquè præpeditur) virtus, extra verò, nullius opis conſcia, ſeipſam recolligit, & fortiùs agit. Quò màgis exteri, ignotas perſonas mirantur, eò màgis accendunt animum ad altiora, naturale autem hominis animo, ignotioribus velle innoteſcere. Inter noſtros cùm verſamur, multa (remiſſiùs agendo) diſſimulamus, multa in aliud tempus rejicimus, non enim ſic tempore ſtringimur. Inſuper, inter notos, cùm virtutes noſtræ notæ, etiam aliqui defectus, ac ipſa vitia (vel cognatorum noſtrorum, pro quibus non raro erubeſcere neceſſum) non ignota, ſi laudantur illæ, hæc itidem objiciuntur in reprehenſionem, ut ſæpè confundamur. Immò inter ignotos, anteacta vita (ſæpè dico) ignota eſt, illud modò in oculos incurrit, quod in præſens laude dignum habetur; Vetus dictum. *Omne ignotum eſſe pro magnifico;* eòquè ſacra pagina collimat: *Nemò Propheta acceptus in Patria ſua;* Et Geneſis Cap. XII. *Dixit autem Dominus ad Abraham, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & benedicam tibi, & Magnificabo nomen tuum.*

Pedites ſunt maximè bello opportuni, ideòquè ab his bellum apparandum, ſi rectè rebus proviſum velis. Verùm in armandis peditibus, natura ſclopetorum, noſcenda Duci. Fiſtulæ quæ accenduntur elychnio, ſeu decocto fune, accommodatiſſimæ apertis defenſionibus, & promptuariæ pugnæ, ac proindè (ſi dicere licet) *præliorum furiæ*, non aliæ màgis ſerviunt. Lentis verò congreſſibus (ubi non quàm crebro, ſed quàm certiore ictu explodi-tur, penſandum) fiſtulæ accommodatiores, quæ ſilice provocant ignem, ideòquè defendendis munimentis, aut oppugnandis, maximè uſui, dùm commodiùs, per minutiſſima foramina exeruntur, exquiſitiùs collimantur, nec inani terrore exploſæ, feriunt, nequè ſunt impedimento, inter foſſas & arbuſta, ſenſim per occulta adrepentibus, in certitudinem ictus, diutiùs intentis, ut ab eo, certâ experientiâ ſit probatum, illas fiſtulas, apertis congreſſibus, has defendendo & oppugnando vallo, eſſe maximè utiles. Adde. Tractu obſidionis, & continuo ignis uſu, facilem

cilem elychniorum fieri defectum, ſilicis promptiorem copiam haberi, etiam immò, diuturniorem.

Haud tuta ſui defenſio, niſi offendere pares; Offenſivè agendo, ſimul tua defendis, ſimul hoſtem arces; Nuda ſui defenſio, propiùs metum eſt, non obviat hoſti, ſed illum exſpectat, non infert ictum, ſed excipit ipſa, cujus energiam explicat rectiſſimè proverbium Polonum. *Nienszytko ſie skladac, trzeba czaſem przyciąc.* Sic obſeſſis, dum ſua munimenta ſecuritati ſunt, etiam excurſio in hoſtem prodeſt. Sic, per acies, aperto campo bellanti, non declinare ſolùm adverſam potentiam, aut in ſecuro caſtris ſubſiſtere juvat, ſed inſperatum hoſtem à tergo, tùm à lateribus carpere, & per inſidias militares aggredi, in rem valet; Nec intra ſua exſpectando, verùm procurrendo in hoſticum, damna & terrorem inferre proderit.

Quamdiu eques non militabat ſine haſta, Germanorum bella, luſus nobis erant, quamdiu non ſine [a] ſcuto, Scytharum irridebatur arcus, & aſſultandi velocitas, nunc, dùm levius pugnamus, leviores metimus bellorum fructus; lege majorum geſta, & fateare, immò defectum armorum, ante bellum corrige, ſi vis in bello vincere. Nec omiſerim, nobile Poloni militis dictum. Cum Vladiſlaus Jagiello Rex, bello contra Ordinem Theutonicum (*Cruciferos* vulgò) viſis in acie multis ſupra opinionem Germanorum ſignis, fortè de ſuorum Polonorum paucitate dubitaret, Regem affatus. *Rex; hoſtes non vereare, vel ſi cœlum ſuper ruat, dubitaſnè haſtarum noſtrarum cuſpidibus, appenſum & ſuſtentum iri.* Hæc animando Regi, generosè màgis & opportunè, pro conſcientia virtutis, quàm ſuperbè protulit, nam *DEI. Matriſquè Virginis nomine invocato*, hoſtem multitudine tumentem, (propè enim centum millia equitum, peditumquè, in aciem eduxerant) fortitèr aggreſſi, prælio profligarunt & bello.

[a] Pahyze *vulgò*.

Huc pertinet, nec ideò addere omittam, reprimendis Tartarorum incurſibus (qui prædonum more noſtra invadunt) *quærendos* potius in ſua *Taurica* & ſedibus, quàm ab illis defenſivè, continuo metu, majorequè periculo, ut caveatur domi, *faciendus potiùs, quàm habendus metus eſt.* Dum verò in apertis ipſi manent, vagorum màgis, quàm habitatorum nomine, nullas arces, aut urbes munitas

nitas incolentes, faciliùs aggrediaris debellandos, facta conjunctione armorum, cum Moſchorum gente opportuniſſima ſitu, ſocietate periculi, exequendi mediis, ac neceſſitate, huic fæci expugnandæ barbarorum. Munitis ergò caſtris per campeſtria procedendo, opportuniora regionis loca, virium propter communicationem inſidendo præſidiis Boriſthene ſubminiſtrando commeatum, Hypanovè (vulgò *Boh*) fluviis, ſaltus deindè, fontiumquè ſcaturigines (qui rariùs in camporum deſertis, verſùs Scythiam viſuntur) levibus fortalitiis muniendo: Aciem haſtato pedite, & tormentis firmando, niſi prò ſua commoditate, non pro hoſtium arbitrio prælium committendo, cavendo priùs, quàm audendo. Demùm, penes juſtitiam armorum, opemquè DEI, frenum imponetur, barbaræ indomitæquè genti, & reprimeretur invadendi auſus, tùm inſolentia. Sic Moſchi olim, Tartarorum incurſibus, periculosè obnoxii, diuquè per *defenſivum*, haud ſecuri, verſis maturo conſilio, in *offenſivum* bellum armis, non ſolùm arcuêre inſolentis Scythicæ gentis invaſionem, verùm aliquot provincias, *Aſtrachanenſem*, *Caſanenſem*, aliaſque, ſibi fecerunt tributarias. Inſuper ſi vis offenſiva, & aggreſſio non placeat, deductis in ea loca Polonorum coloniis, aliquod militare collegium & ſocietatem, inſtituere præſtaret, cum donatione terræ & agrorum, ſub titulo *Marianorum Equitum* contra infideles. Suffecturum verò, nonnulli putant, ritæ defenſioni, ſi ripæ & inſulæ, circa inferiora Boriſthenis, quà ex Thaurica Scythis tranſitus eſt, continuis fortalitiis, coloniis, & milite munirentur.

Bellum & militia, quæſtui nunc paſſim habetur, in artem ampliandæ fortunæ, ac unicum pinguitèr vivendi medium, verſa, cùm antè haberetur, ut exercitium virtutis, materies gloriæ, & adipiſcendæ pacis, tùm requietis medium. Pax ideò, armis & impenſa, promptiùs quærebatur & habebatur, nunc artes pacis, obtenduntur in ſpeciem, ut trahendo bello ſufficiamus, dùm turbæ in quæſtu, quieſcere damno habetur. Verbo dicam; Malè agitur cum Republica, nec diu ſubſiſtere poteſt, ubi fructus pacis, in ſolam commoditatem bellandi, artes belli, vertuntur in artes acquirendi, dùm togati (occaſione tributorum ſubſidio belli)

per

per quæſturas ærarii, tùm commiſſionum miniſteria, viri militares, per ſtativa, & erroneos per Provinciam expilandis colonis diſcurſus, ſibi quiſquè trahit partem; Sic Reſpublica, velut per licita ſpolia, & conceſſum habendi medium (nè dicam latrocinium) membratim diſtrahitur, & tandem nexu diſſoluto, exſanguis ruit, ſinguli aliquid ex ea, per illicita carpere, dùm quærunt, omnes totam, ſequè neceſſe perdunt. Quam internam depravatorum civium cauſam, plùs obeſſe parandæ paci, & reſtituendæ in melius Reipublicæ, quàm externo quæ paratur ab hoſte. Nec priùs eo malo, trahendi non gerendi belli, laborare cœpit Polonia, quàm externam militiam paſſim numeroſam, legionum ſub nomine, dùm induximus; Ordo militiæ pedeſtris, mihi placeat, ſed non gregarius, & Præfecti externi, non habitus, non invertendis legionariorum ſtipendiis, & (mille Præfectorum per artes) expilandæ Provinciæ, exterorum modus. Sic enim, ars bellandi, verſa in artem corradendi. Quoàduſquè, Polona militia prævalebat, dùm ingenuo equite (haſtato præſertim) bellabatur, & Optimates, nondùm guſtato lucri odore, præeſſe haſtatorum turmis cum honore, quàm legionariis cum quæſtu malebant, promtiori conſilio & viribus, expediebantur bella, quærebatur pax & habebatur, Nobilis pubes Polona, exercitii loco, habebat bellum & caſtra, non ut vivendi (multòquè minùs diteſcendi) exindè quæreret modum. Poſt emerita ſtipendia, fructum gloriæ, non loculos, domum reportatura, immò ſua potiùs, honeſtæ armorum æmulationi, & decori impenſura, quàm ut rapere aliena præſumeret. Tamen in externa, diutinavè bella, miles ferè accommodatior, cui rara domus, & ars vivendi, cui ſolis in armis eſt; Non enim tædio belli, facilè revocatur, armis intentus, aut penatium diſtrahitur memoriâ.

Magnæ Reſpublicæ & Imperia, in errorem impingunt, dùm pro magnitudine, tùm fiduciâ potentiæ, non proſpiciunt maturè, verùm ſpernunt pericula minutiora, quæ neglecta, in grandiùs excreſcunt malum. Nemini magnitudo ſua (nihil aut negligentiùs agenti) ſuffecit in ſecuritatem, immò magnæ calamitatis, ſæpè cauſa fuit & initium, magna ex felicitate ſecuritas, ut per eamet

con-

conficerentur, quæ contempsêre incauti. Minores aliàs, quibus ex parvitate, cùm deest potentia, supplent ingenio, vigilantiâ, colligationibus fœderum, occasione, inventis militaribus, velocitate, præventione, diversione, activitate, exercitio, nonnunquam audenti desperatione, ut causa potentiæ sit, ipsa impotentia, vel necessitas, eoquè potentioribus formidabiles fiant. Nihil igitur, tutò spernitur, quod spreveris, valentiùs negligentia faciet. Ex eodem fonte, obitèr (ut aliàs recta soleo) dicere si licet. Libertatem Rerumpublicarum, zelosiùs, immò cautiùs, à populis manu teneri, quoädusquè in parvis est, nec summo subsistit gradu, immatura. Inquam, dùm pro imperfecta, nec sibi adhuc fidenti, curiosiùs laborant populi, advertunt operosè, obviant, modicas inclinationes cavent, faciliùs casuram metuentes, quò imperfectior illa: Nam ferè metus vel parvitas, causat providentiam, remquè compensat cautione, vel diligentiâ. Prout præsumptio securitatis, fiduciam parit, & opportunorum contemptum, eòquè mater est negligentiæ, tùm lapsus. Vel si fortè sint Cives, in tempus animis, studiisquè non cohærentes, adest promptè causa ex impotentia, necessariæ unionis & diligentiæ, velut tot exempla, tulit olim vetus Græcia, Roma, Polonia. Dùm verò in summo steterit libertas, quasi nihil desit in majus stabiliendæ, pleraquè proficua intermittunt populi, periculosa contemnunt, eòquè per inania securi, & levi rerum imagine elusi, emersura libertatis damna, non prævident, nec advertunt; Ut eveniat, velut benè valentibus & sanis, quibus, conservatio sanitatis, & vitatio emersuri corrupti, sæpè neglectui est, sæpè medicorum cautio, in noxios cibos irrisui, secùs ægrotis, depulsio morbi, prout præsenti in sensu, etiam est in ardentiore cura convalescendi, sic ferè, præsentis mala servitutis, propulsanda, facilè persuaseris, conservationem secùs libertatis, tùm affuturi mala damni, pauci ingenuorum capiunt, & in cassum, coram ignaris disceptant, iis præsertim, quos longa pax, ad inertiam, & otii dulcedo, dein luxus, emolliverunt, ut malint per ignaviam, non credere periculo venienti, meliorumquè civium cautelis, spem tùm fiduciam sibi adstruentes affectatè, quàm ut necesse habeant, subire laborem, aut impensam, obviando, dùm crediderint.

derint. Undè facilè inclinatur libertas; Ut ferè difficiliùs sit, eripere imperfectam, aut præpedire crescentem, quàm illi insidiari, ad imumquè detrahere, cùm ex integro adoleverit, eòquè incautam, & sui negligentem; Quasi ad summam libertatem (nihil agentibus) sufficiat, habere legem, & vocari liberum, *cùm lex, non sit libertas, sed nisi normam, & initium libertatis habet.* Ætas Rerumpublicarum, ætatis hominum est in similitudinem; errores juvenum, in meliùs promptè flexeris, aut vegetis ingenii, tùm corporis valore pensaveris, senes inveteratæ malitiæ, dùm nisi graviùs errant, difficilè assurgunt, sibi & aliis graves, tardi ac morosi, undè facilè contemnuntur, præsertim dùm vis ac ætas, in occiduo: Sic ferè fit, dùm consenuit civitatis vigor. Roma, probandæ rei, sufficiat in exemplum. Pulsis enim Tarquiniis, studiosiùs pro libertate habenda, quoädusquè erat in crescenti, tùm pro retinenda, cautiùs laboravit (ut Brutus Consulum primus, filios suos, studio Tarquiniorum revocandorum captos, in gratiam Patriæ, addixerit morti) quàm non fecit post Cæsarem, dùm libertas maturuerat, nihilquè ad augendam, sed multùm ad conservandam desideraretur, dùm inquam, summo gradu subsistens, sibi nimium fideret, incauta. Prout è converso, faciliùs erat Augusto, Tiberio, cæterisquè Julii successoribus, supplantatâ Republicâ continuare Tyrannidem, quàm Tarquiniis recuperare amissam, nam post Tarquinios, populus nondum satur libertatis, sed veriùs experiendæ ulteriori, novo dulcore irritatus, tunc primùm in voto crescendæ steterat, habendamquè tùm retinendam præcuperet: Aut factum fortè, ob causam, quia *Materia* Reipublicæ (populus id est) nondum erat sub Tarquiniis *corrupta*, vivente verò Cæsare, forma libertatis & legum, cùm esset perfectissima, sed recipiendam ad formam, erat materia corrupta (ob magnificam libertatem, opes exsuperantes, insolentiam, fractos luxu & otii dulcedine, vel emollitos animos, nec ideò generosi ausus capaces, dein propter ambitiosam æmulationem, mutuos dissensus, avaritiam, ob idquè Tyrannorum in obsequia promptitudinem, dùm præsertim aderat erga impromptos, præsens ex delatoribus metus, ac deniquè privatæ rei propter studium, rei verò publicæ, velut alienæ incuriam) erat inquam materia cor-

corruptissima; nec ideò semel eversa libertas, revixit. Auxit præterea, cursum captæ Tyrannidis, domus Cæsarum, & successionis occultum fatum, dum post Julium, successor Augustus, Princeps non omninò improbandus, *Populum annonâ, militem donis, cunctos dulcedine otii pellexit*, dùm tales reliquos Principes, fortè speraret Roma, facilè præsentium turbarum odio, unius Principis ductu, quietè regi, quàm inter collisiones potentium, & bellorum civilium pericula, sub nomine Reipublicæ, vivere in post maluit. Quodsi immediatè post Julium, tristitia & dissimulatione suspectus Tiberius, dein Caligula, tùm Claudius, ac Nero, velut per gradus ascendentes, apertiores Tyranni, in exacerbationem populi movendam successissent, dubiò procul, antequam desuetudo libertatis invaluit, jugum maturè depulisset Roma, assertura pristinam libertatem. Sed fata, mutatura sortem, velut è condicto, longo Augusti imperio, paravit Cæsarum domui authoritatem & clientelas, dùm quantò quis in placita Principum servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, & super hæc aderant, spes novæ plurium; deindè seniores cordatiorum, morte absumpti, aut proscriptione cùm cecidissent, juniores post libertatem sub Cæsaribus nati, & novo Statui, tùm rebus assuefacti, pristinarum immemores, *tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa mallent*, facilè in mutationem concesserunt, nec proindè de restituenda libertate, ultrà cogitatum, prævalescentibus corruptis civibus, suprà meliores. Aliter longè factum sub Tarquiniis, aut post Tarquinios (nec enim repetiisse obsit) dùm quivis civium, agens primitiâ, nec corrupta virtute, intra modicam sortem, intraquè non ambitiosam æqualitatem, compositos spiritus, & animos facilè gerebat, *sorte sua* non ægrè *contentus*, altioris fortunæ vel ignarus, vel *minus cupidus*. Non erat probro modicus ager, infrequens servorum & rarior turba, mensa tùm potio, per obvia domestica parabilis, nec à longè quæsita vestis, aut tapes, deerat vivendi superbia, & mollis luxus, vel transmarina morum lascivia, sed leves impensas, modicum aptè sustentabat patrimonium, eoquè præjudicio libertatis, non petebatur per obliqua spes crescendi. Non adoleverat novitio in populo, *ambitio*, *tùm avaritia*, nemò alterum voto præcurrere parabat, nemò

nemò supplere per obliqua, per virtutem quæ deerant, studebat, non emebantur aliena studia, nec sua vendebantur, publici boni, non privati, invaluerat cura, privatum serviebat publico, eòquè publicum, dominabatur facilè privato. Non reputabatur pro injuria, dùm non acquirerentur bona majora, sed ducebatur fortunæ loco, si antiqua modica, sibi non eriperentur, verùm conservarentur diu; Nesciebatur amplius, nisi *virtus*, *ager*, *gladius & libertas*; Undè respectus privati, secundo loco ponebatur, sed procurabatur inter prima, publicum bonum & securitas. Intuere nostram Poloniam, considera Provincias & Palatinatus, ubi ditiores elatioresvè habentur cives, eosdemmet videbis insolescere ingeniis, *fortis præsentis impatientes*, ambitiosos, bonos *politicos potiùs*, quàm *cives*, aut *viros bonos*. Dein expensivos, luxui accommodatos, quæstuosos, majoris fortunæ (ut superbis suppetat impensis) appetentes, per licita, per illicita, *per quæsturas*, *per aucupandam aulæ Regum gratiam*, per dispensationem, (immò per jacturam) libertatis; tantum illis deest, quantùm cupiunt, cupiunt verò, honorum & opum immensum, sine modo, sine mensura, & quia tardum videtur, per legitima, cumquè virtute honesta, properant per avia, ruunt per illicita, Generositatem mentis, in altiora, nonnulli tunc falsò vocant, vel obtendunt, cùm ambitio, cùm avaritia, cùm ardor mentis inquies, aut ferocia invalescit; Undè disgregati cives animis & studiis, non uniti, nec cohærentes, ex æmulatione primùm diffidentiâ laborant, mox factionibus, odiisquè mutuis proscinduntur, *faciles occupantibus*, *& publicorùm incuriosi*; Secùs ubi mediocres nobilitatis opes (modò, nè plenè ad inopiam, & vexam generosæ mentis, sint accisæ) màgis de non perdendo modico, timetur, cui conservando, nisi publica securitas prodest, hæc verò, valere non potest, quàm sub nomine publicæ libertatis, ideòquè illa, majore zelo procuratur, dùm quæquè momenta imminentis ruinæ pensantur, præcaventur, præsertim cùm adest, ingeniorum rectitudo, tùm modestia. Addam, Vulgus, seu civium minores, propiùs sunt impetum & ferociam, quæ stabiliendis rebus, contra astutos & validos, sola nonnunquam potest; modò adsit Dux & occasio, facilè sunt expediti, nec mollioribus Politicorum respectibus circum-

cumceſſi. Manu ſæpè agere præcupiunt, quia ſuaviorum, aut ignari, aut nullam ſpem habent, ideòquè non facilè eluduntur. Deindè, neceſſitate & ſimilitudine uniuntur familiariùs, faciliores regendo, cùm diſgregatis, nulla ſubſiſtendi adeſt ratio, pro parvitate, vel declinandi modus. Utinam (faxit DEUS) Polonorum libertas, cauta ſibi ſit, nequè momenta rerum negligat, nimiùm magnitudini confiſa, & negligentèr ſecura, undè per inſenſibilia involvatur. Sed ut quid miſceam togata, cum militaribus? Res belli continuaturus, *ad Quartum Punctum Militarium venio.*

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

De itinere Exercitus.

SAltum tranſiturus, mittes partem copiarum, explorando, præoccupandoquè itineri, utroquè latere, quo ingrederis, aut quò egrediendum tibi eſt.

Celeritas, valet pro potentia.

Aliò iturus, aliò iter ſimulabis, contrariam famam miſſurus, immò primum iter, à recto deflectes, in illuſionem.

Naves portatoriæ ex ligno, vel corio, in promptu habebuntur, ad pontes fabricandos.

Pauca impedimenta ſint, potiùs equis deportanda, dùm potes, quàm curribus, pro agilitate.

Stricto vallium aut Sylvarum in tranſitu, igne impeditur hoſtis, nè veniat, vel nè te ſequatur.

Septum currule (aliàs *carrago*) optimum in receptu, vel progreſſu, per campeſtria.

Lentè in ſpeciem procedes cum exercitu, ut hoſtis contemnat tarditatem, immò famam & cauſas neceſſariæ tarditatis, ſparges, obtento ab morbo, vel aliqua difficultate, quò màgis imponas, dein addes velocitatem, ut inopinatò aggrediaris hoſtem.

Alibi ignes excitabis, alibi caſtra pones, in eluſionem, idquè cùm propè hoſtem accedis.

Præmittes paucos equites, tumultum nocturnum, aut ignes, hoſtium in conſpectu, ad terrorem tui adventus excitaturos, ut moreris hoſtem adventantem.

Cum Præfecto metandorum caſtrorum, menſuratores præmittendi, locum caſtris anticipaturi. Quos ſequantur, aliquot centeni foſſorum, per ſua munia diviſi, loco caſtris regulatè adinvento, operas *S. R. T. N.* ad quatuor portas excitaturi (*vide figuram ponendorum* caſtrorum, *puncto V.*) vel prout Præfecto videbitur, ſub quorum præſidio, ſuperpoſitis peditibus & tormentis, reliqua circumvallatio, expediatur, & miles per tabernacula, pabulatumquè, ſecuriùs diſcurrat.

Com-

Complanatores viarum, cum ſecuribus, ligonibus, præcedant exercitum.

Per vada, ſaltus, dùm tranſitur, uniuſcujuſquè turmæ ſtabit Præfectus, donec ſui tranſeant, immò ipſe Dux.

Fortiores vigilias, poſteriores ſuaſerim, quàm anteriores, non tàm enim terret periculum, quod ab adverſo venit, quàm quod à tergo.

Nè grave militi ſit, muniendorum onus caſtrorum, (non enim ſine vallo & munitione, prudentem apud Ducem, ipſa pernoctatio tranſmittenda, ſervandæ diſciplinæ militari, & cautioni.) Singulas equitum peditumquè cohortes, per partes divides, ut altera pars, una die, altera ſequenti, tertia itidem, caſtris muniendis ſuccedat, atquè ſic deinceps. Quo ſervato ordine, vitabit miles laſſitudinem, & alacriùs inſiſtet, ex ordine debito operi, per intervalla quieturus. Habebis verò plures foſſorum Præfectos, qui munitioni præſint, cuiquè partem caſtrorum commiſſurus muniendam, & in poſt curandam, unus enim non ſufficiat operi.

Itinerando per hoſticum, aciem extra non exeat miles, ne cadat in inſidias.

Per loca incognita, duc exercitum, obvios colonos intercepturus, nè fama adventus, hoſti pateat.

Triplici agmine duc exercitum, pro tutiori commeatu, & expeditiori via, uno duobuſvè milliaribus ab invicem diſtanti. Peditatus & gravis armatura, medio ducantur agmine, Equites ſint à lateribus, neceſſitate ſuperveniente, quò commodiùs in medium contrahantur. Conſtare verò debet cuiquè lateri, quo loco agmen medium pranſurum aut pernoctaturum; Ipſe Dux, cum medio procedet agmine, ut faciliùs imperium ſit in latera. Talitèr veniens exercitus, majorem ſecùm ducit terrorem, & faciliorem habet annonam. Tamen, cùm propiùs hoſtem ventum, tutiùs ut conjuncto agmine procedatur.

Per Civitates tranſiturus, aut in illis moraturus, præmittes, cellas vinarias qui occupabunt, vaſa diſſecturi, nè inebrientur tui. Vel cuſtodias portis ſuperpones.

Priùs miles egrediatur è caſtris, quàm currus, ut ſtante acie inſtructa, currus exeant. Cùm verò ad ſtationem nocturnam ventum,

tum, currus primò ingrediantur, poſtea miles. Suaſerim ideò dari priùs aciei ſignum, quàm curruum.

Laxæ anteriorum curruum, ac ſtationem fecerint, opportunas foſſas defenſioni caſtrorum excitabunt, quod ductoribus impedimentorum injungetur.

Non longa, nequè lata nimis procedes acie, ut ultimi primis, & utræquè alæ, ſibi è proximo ſuccurrant.

Impedimenta, media in acie ſint, ſuaſerim verò præcedant per tutiora.

Sylvas tranſiturus, præmittes ſpeculatores, cum operariis, dilatandis viis, ſuccidendis arboribus. Deindè excitato munimento, præſidia ſuperpones, Sylvæ ingreſſu, egreſſuquè, tùm in medio, ſi longo tranſeundum tractu: Si verò certus metus, ab hoſte inſidianti, reciproca præſidia peditum, ad unius bombardæ jactum, ſuperpones, nequè ingredieris ſaltum, antequam tranſitus & latera, præſidiis muniantur. Tutius tibi, aliquot diebus immorari operi, quàm ut feſtinando pericliteris. Ea verò præſidia, Sylvæ ab ingreſſu inchoabuntur, conſequentèr ulteriùs (unum poſt aliud) promovenda, donec uſquè egreſſus muniatur.

Primi tranſeuntes, ultimos poſt ſaltum exſpectabunt, ut acies formetur.

Equites, ſuſpectas Sylvas tranſituri, equis in medium acceptis, pedites ipſi procedant, latera cum longioribus ſclopetis, in defenſam cincturi.

Aliquo munito loco, impedimenta minùs neceſſaria, relinquentur.

Si fieri poteſt, unius diei comeſtionem, viris & equis, ſecum ferat miles, magno bellandi arcano.

Impedimenta, præter alios minores, Generalem Præfectum, aptum regendo habebunt.

Non longo agmine ibunt impedimenta, & currus, ſed potiùs denſo.

Movente ſe exercitu, egredientur cohortes maturè, anteriùs poſteriuſquè, à dextro cornu & ſiniſtro, ſeriatim, utroquè viæ latere diſponendæ (*vide tabulam univerſalis aciei : Lib.* 2. *Puncto I.*) ambulatoriis vigiliis hoſtem obſervaturæ, nec remotiùs ut procedant, quàm ſub aſpectu caſtrorum, haberi ut poſſint. Dùm verò ad

ad nocturnam ſtationem ventum, non cedant loco, antequam novæ cohortes, ea in loca ſubmittantur; Cui rei, ultra Generalem vigilium Præfectum, *quatuor* minores habendi, qui anteriores, qui poſteriores, dextri lateris, qui ſiniſtri vigiles, die nocteque obſervabunt, immò quatuor habendi diurni, nocturni alii, quo màgis operi ſufficiant indefeſſi.

Non ſatis, vigilibus exercitum muniri, & caſtra, ſed equites velitatores, omnes in partes, uno milliari circum, dimittendi, qui per valles & arbuſta, obſervabunt inſidias, Præfectis vigilium denuntiaturi, tùm hi caſtris, ac ipſi Duci.

Cùm ad ſtationem venerit agmen, Dux ipſe, tota priùs caſtra obequitet, omnes partes viſurus, an quid fieri poſſit in melius. Tùm ipſe poſtremò, caſtra ingredietur.

Ruricolæ in hoſtili terra, ſi benigniùs habeantur, produnt omnia ſua, vias compendioſas monſtraturi; Ideò, injuria illis non inferatur, ſed permittes, terram liberiùs ut colant, undè tibi ſufficiat annona, bellaturo, ſeu redituro. Immò ſparges in vulgus, non agricolarum internecionem peti, ſed Dominorum injuſta dominia, quò màgis tibi vulgus adhæreat; Arma ſuppeditabis volentibus, & in partem belli adſciſces, ſi præſertim ſpem prædæ, ex facili objicias.

Tranſiturus penes munitionem hoſtilem, Præfectum cum turmis conſtitues, qui excurſiones in tuos prohibeat.

Strictas & periculoſas valles tranſiturus, ſuperiora montium, præſidiis pedeſtribus, præoccupabis.

Potiùs in campo, quàm ad vicos pernoctandum.

Glacies fragilis, aſſeribus tùm ſepibus ſuperſternenda, vel (ſtramine ſubjecto) aquâ ſuperfundetur, quò faciliùs concreſcat & congelet, tranſitui parando.

Aliquot turmæ, à lateribus aciei procedant, ad repentinum tumultum paratæ.

Aliò ingrediaris terram hoſtilem, atquè aliò egrediaris, pro commeatus expeditiori commoditate.

Impedimenta, anteriores vigilias non præcedant, nequè poſteriores ſequantur.

In modum diſpoſitæ aciei, ſubſiſtant caſtra ad pernoctandum, nemo-

nemoribus, vallibus, paludibus, pedites objiciantur, campo equites opponantur, intermiſtis non rarò peditibus haſtatis, ad excipiendum primum impetum.

Præter excubitores, fortes equitum vigiliæ cogendæ extra caſtra, unius atque alterius legionis robore, ut interim milites, ex itinere laſſi, tutò ſua in caſtris diſponant, nequè repentino tumultu turbentur.

Saltum tranſiturus (nè impediaris) alio itinere profectionem ſimulabis, interim addes, proximè ſaltum, velocitatem.

Alteram ripam hoſtis dùm tenet, vadum impediturus, pones ex adverſo caſtra, ſpecie ſtationis, dein foſſas, tabernacula, moliatur miles; Aut tu ipſe Dux, ægritudinem ſimulabis, velut neceſſariam cauſam, eo loco ſubſiſtendi. Interim ſuperiori, aut inferiori alveo, tranſitum clam moliri curabis, alteramquè ripam, munies præſidiis, ſequuturus ipſe; Sic Alexander Magnus, fecit in Indiis, Hidapſem fluvium tranſiturus, cujus tranſitu à Porro Rege prohibebatur. *Vide Curtium lib. VIII.*


Si littora fluvii ſunt alta tranſeundo, altera ex adverſo ripa, in declive fodiatur.

Propè fluvios, duc exercitum, ea parte, qua currit fluvius, tutior ut ſis, nequè cingaris numeroſo ab hoſte, nevè interrumpas lineam communicationis, retinendæ, ſeu acquirendæ Provinciæ, aptiſſimam, dùm faciliùs, intrat redit, confert ſecùm exercitus, pars parti ſuccurrit, commeatus item & impedimenta, immò milites, promptiùs ſubmittuntur, ope fluvii per naves, dùm præſertim (in hoſtico ſi res geratur) utramquè ripam, redigis ſub poteſtatem, undè ſimul dividis Provinciam, & hoſtium ſubſidia, nè conferant, *quod conſilium, magni arcani loco habebis.* Sic noſter Joannes Tarnouskius, (*teſte Paulo Jovio*) Ferdinando I. Imperatori, in Hungariam contra Turcas ituro, ſuaſit, ut conflicturus, ſeu caſtra metaturus, ripam Danubii propè ſubſiſteret, nec unquam abſcederet, ſpecie fugæ licet eliceretur, niſi ab hoſtili numeroſo equitatu, cingi vellet opprimendus, aut per inſeſſionem viarum, uſu commeatus, tùm libertate campi privandus. Cujus beneficio conſilii, exercitus Ferdinandi, ſi non victor, tamen integer reductus, aliquoties antè, periculum cùm adiiſſet.

P 2 Medium

Medium caſtrorum, fortibus excubiis equitum, peditumquè munies, repentino tumultui vitando.

Carrago, in hanc, illamvè partem, facilè vertitur, ſi non tota ſui mole, ſed quiſquè currus ſuo loco, omneſquè ſimul torqueantur, aut vertantur, quo acies vertenda. velut *vides in ſub-*



jecta figura. Ordines ſunt duo curruum *a. a. a.* tendentes ſuis equis & temonibus, verſus *B. D.* anteriorem partem, quos vertere opus habeo ad partem poſteriorem in *E. F.* Quiſquè currus torqueatur, ſuo loco, velut per puncta denotatum vides, tunc omnes ſuis temonibus obvertentur, ad *E. F.* partem poſteriorem. Et ſic per omnia, ſeu ad ſiniſtram, ſeu dextram, carrago vertenda, modò

dò periti pedeſtrium Præfectorum, regendis curribus, *ante, poſt,* adhibeantur, tùm ipſi vectores exerceantur maturè, obvertendæ carragini. Super hæc, ſeparati viri, penes quemquè currum habebuntur, poſteriorem partem qui tollant, repoſituri in partem, ut commodiùs, anteriores rotæ cum temone, quò velis vertantur.

Mane, non educes exercitum, antequam nebula ſubſideat.

Præcavebis de inſidiis itineris, etſi re vera futuras neſcias, ſic cautiores tuos reddes, nè diſcurrant, nèvè fluxis ordinibus, incautiùs incedant, periclitaturi.

Dùm viæ ſignum datur, non ſparſim exibunt legiones, verùm ad ſignum Prætorium, convenient, ut acies formetur.

Tertiâ ante occaſum horâ, in loco pernoctationis ſubſiſtes, ut habeat miles tempus, pabuli quærendi, tabernacula erigendi, equôs potandi, erroneos in itinere quærendi.

Subſiſtente exercitu, non pro libitu pabulatores diſcurrant, certo ſub præſidio, non ſparſim pabulaturi, nè fortè ab inſidiatoribus intercipiantur. Immò, tutum fuerit, veteranorum aliquem, pabulationi præficere, ordini ſervando. Nec alia ratione, immodeſtia calonum in prædas, cohiberi poterit, quàm ſi diſcurrere pro libitu non liceat.

Apparatus bellicus, non cum impedimentis, ſed medias inter legiones pedeſtres, vehatur.

Quamquè peditum legionem, in itinere, ſeu in acie, currus ſequantur, cum pulvere nitrato, globis, ſecuribus, ligonibus, & rutris, nè dùm opus derepentè, hæc quærantur. Immò, ex iiſdem curribus, carraginem formabis in neceſſitate.

Itinerante exercitu, modò in primis, modò in proſtremis, ſæpe in mediò, Dux adſit, ut ordinum ductores, vereantur negligentiæ notari, præſenti ab Duce.

Potiùs circum urbem, quàm per urbem, ducatur exercitus, portas ideò præſidiis occupabis, nè milites occultentur, domos invaſuri.

Cum metatore caſtrorum, Generalis Magiſter vigilium præcedat exercitum. Dùm ille locum caſtris deſignat, hic interim loca vigiliis ponendis apta, perluſtrabit, valles, vicos, paludes obſervaturus & arbuſta.


Seu pranſurus, ſeu pernoctaturus, in formam aciei caſtra pones, quem quiſquè locum in pugnando, etiam quieſcendo occupabit; Sed hoc in pedite; In equite alitèr, penes quamquè ſtationem, ſit locus vacuus, aut intercapedo, quam oborto tumultu, in formam aciei, turmatim ſubſiſtens, occupabit.

Poſt ſaltum potiùs, quàm ante ſaltum quieſce.

Propè Sylvas & aquas, locum caſtris deliges, pro commoditate; In cornibus verò caſtrorum, currus diſpones, interclufis peditibus ſclopetariis, & tormentis in defenſam.

Cum magno ſtrepitu, atquè famâ, procedes cum exercitu, interim tacitò, ſubmittendæ cohortes, ad circumveniendum hoſtem.

Pons, commodè fabricatur, ſuper vacua dolia, tùm ſuper ſublicas, vel ſuper faſces, aptiſſimè verò, ſuper *corbes* lapidibus



fartos; (ut facilius mergantur, hæreantquè fundo) Quos ſepibus colli-

colligatis, tùm ſtramine, & ceſpite, ſuperſternes, in defectu aſſerum, pro traducendis curribus.

Perfectus pons fiet, ſi cuiquè cohorti, palum procurandum figendumquè imperaveris. Immò, ab utraquè fluvii ripa, *pontem ex adverſo fabricari* imperabis, ut in medio, opus citò cohæreat.

Impones neceſſitatem, penes quemquè currum, unum, duoſvè faſces, miles ut vehat, inſenſibili pondere, plurima in rem commoditate, reparandis viis, obſtruendis paludibus. Nonnunquam, miles quiſquè, faſcem ſecum ferat, ſi prævideas, ea die paludoſum ſaltum tibi tranſeundum. Immò, futiles, plicatileſquè pontes, fruſtulatim ſingulos per aſſeres, trabeſvè, inter impedimenta divides vecturus. Habeat item, quiſque lixa penes ſuum currum, ſecurim, terebrum, ligonem, palam, rutrum. Item ſaccum (vel peram) decem pugillorum terræ capacem, ut cùm reparanda via, alii virgulta & frondes ſcindant, alii terram fodiant, alii effoſſam deferant ſaccis, qui loco vehiculorum (tumultuario præſertim operi) commodè ſerviunt.

Pontis ſuper fluvium conſtituendi, optima ratio, quam Julius Cæſar, in ſuis commentariis (de bello Gallico, lib. *IV.*) inſinuat, praxi ad Rhenum adhibita, cujus figura, Iconicè expreſſa, apud Juſtum Lipſium, libro de *Militia Romana*. Tum alium modum videbis, apud eundem Cæſarem, de *bello Hiſpanico*. Màgis adhuc mirere pontem Farneſianum, ad obſidionem Antverpiæ, urbis Brabantinorum; Cujus fabricam curioſè recenſet Famianus Strada, lib. *VI.* Decade 2. Hiſtoriarum.

Itinerando, quemquè locum Dux armorum conſideret, quaſi inibi inſtructurus aciem, quò peditem, quò equitem vertat (ſi eo loco, ex inopinato pugnare cogatur) ſic obtinebit, ut nunquam imparatus offendatur, vel ut diu ſpeculando, praxim bellandi acquirat.

Præfectus impedimentorum, geſtatorio ſuper haſtam utatur ſigno, dignoſcendus à longè à calonibus. Sæpè verò in medio, ſæpè in poſtremis adſit, ordinem obſervaturus. Conſultum item, ut idem Præfectus, ſuper lixas, ſupremæ ſit poteſtatis, puniendo, accidit enim, ut rixentur lixæ, turbent carraginem, ut obvia

obvia rapiant, undè tardum supremo Duci referre, nisi adsit præsens potestas: Immò necesse aliquando, ut in itinere obvium & irruentem hostem, arceri opus sit: Juvabit ideò, qui adstant impedimentis, sint obediendo, quòd imperatum fuerit.

Præsidia impedimentorum, mistim sint cum pedestribus, equestria, cum sclopetis longioribus, ut superveniente hoste, præstò huc illuc accurrant. Quaterna verò præsidia imponentur, ante, post, & bina in medio (si extendatur impedimentorum agmen) uti habes in tabula. Anteriori & posteriori præsidio, applicare poteris machinas minores, vulgò Tormenta.

Si densantur impedimenta, præsidia præponantur, ante, post, & à lateribus. Immò tria dividentur in agmina, Præfecto cuiquè agmini præposito. Omnibus verò præsit Præfectus Generalis. Fieri verò potest pro itineris compendio, ut terno itinere, ducen-



dum sit agmen impedimentorum; Quod faciliùs præstabitur, sub certis Præfectis, si quisquè suum agmen ducat, separatos complanatores viarum provisurus, *binos lixas ex quaquè cohorte*, *cum securi & rutro.*

Quisquè lixarum pixidem sarissamvè habeat, carraginem defensurus. turpe inutileque inermi turbâ, castra, & annonam gravari.

Propè

Propè Sylvas transiturus, impone Sylvis valida præsidia ex sclopetariis, nè insidias indè habeas, aut si poteris, longè Sylvas circuibis.

Potiùs uno miliari, à rectò deflectes, ut angustias locorum circumire possis, quàm ut agminis interrumpas ordinem, plùs enim adferet moræ, si una legio, post aliam ducatur, quàm uno milliari, circum si obequites. Si verò alitèr fieri non possit, nisi tibi per augusta transeundum sit, primi transeuntes, plano post saltum loco, exspectent ultimos, ut in aciem integram formentur.

Tormenta, quæ præsidio castrorum relinquuntur, etiam penes impedimenta ducantur. Prout verò, quaterna præsidia, etiam tormenta in quatuor partes dividentur.

Exercitu itinerante, vel quando in velitationem itur, curabis ejus loci colonos, secùm haberi, qui doceant commoditates, & viarum compendia, nè saltuum in periculosa incidas. Non verò in proprio solo, eadem negliges. Maxima enim pars viarum commoditatis, tibi ignota, quæ suorum locorum accolis, planè familiaris est.

Quæque peditum, equitumquè signa, duos ordine alios lixas, coram Præfectis operariorum, quotidiè sistant, cum securibus, ligonibus; Immò, submittant currus, sublicis, asseribus, fascibus (lutulento saltui reparando) vehendis. Hi reparatores viarum, exercitum præcedant, armatorum sub præsidio; Non verò in itinere, sed unico loco subsistentibus castris, iisdem operariis uteris, reparandis circum castra viis, & pontibus, commoditati subvehendorum victualium.

Si multitudo curruum exercitum sequatur, undè impedimentum celeritatis habeas, aliquot currus assignabis, pro qualibet cohorte, cavendis quatuordecim dierum cibariis, reliquam multitudinem, lentè sequi imperabis, adjunctis præsidiis, pro itineris securitate. Interim velocius progredieris ipse, notitiam qualibet die, de curribus habiturus, utrum te sequi, an subsistere aliquo tutiore loco debeant, providendo.

Quoniam moris erat Romanis, ut non arma solùm, *sed palum figendum*, *& aliquot dierum cibaria*, *miles portaret*, ideò, nè miles sub sarcinis impediretur ad pugnam (si confligendum esset derepentè)

Q

pentè) ex quaquè legione, trecentos expeditos, cum ſolis armis paratos, eſſe juſſerat Cæſar.

Metellus in Numidia, Thalam Jugurthæ urbem obſeſſam petens, cùm per arida loca itinerandum ſibi præviderer; Jumenta ſarcinis levari (niſi frumento decem dierum relicto) utres modò ex coriis jumentorum confectos, & vaſa aquæ idonea, portari juſſit. Præterea conquiſivit ex agris (quàm plurimùm potuit) domiti pecoris, quibus impoſuit vaſa pleraquè lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Adhæc imperavit finitimis, quàm plurimùm aquæ quiſquè portaret, diem locumquè (ubi præſto forent) deſignando.

Aſcendi poterunt præruptæ rupes, ſi inter ſaxa, ferrei cunei, aut hami figantur, ſcalis funicularibus applicandis, quarum ope agiliores aſcendant. Sic Aleander Magnus, præruptam rupem, in Indiis occupavit.

Intumeſcente fluvio, quà peditatui tranſeundum, ab una fluminis ripa ad alteram, funes protendi curabis, quibus adjuti milites, tranſeant ſecuri, nequè rapiditate fluminis, abripiantur. Aut Vegetii conſilio utaris. *Explorato vado, duæ acies equitum, electis animalibus ordinantur, intervallis competentibus ſeparatæ, ut per medium pedites tranſeant & impedimenta; Nam acies ſuperior, aquarum impetum frangit, inferior, qui rapti ſubverſiquè fuerint, colligit atquè reponit.*

Si tibi ex aliquo loco difficili, ab hoſte impedito abſcedendum, mitte qui cum hoſte in ſpeciem paciſcant, quo fiduciam ingeras; Interim convaſatis omnibus, inſperatò iter maturabis; Cavebis tamen, nocturnas abitiones, evitando tumultui, niſi præmonitis de eo militibus, utvè in univerſum, omnia rectè provideas.

Per vias limoſas, aut quoquo modo impeditas iturus, ſeu dùm longinquam expeditionem ſuſcepiſti, quo difficilè tormenta promptè vehere, præſertim illa ex majoribus, quæ muris quatiendis ſerviunt, fruſtulatim deferri curabis metallum; Seu minores machinas, campanaſquè conquiſitas, loco ad quem perveniſti, liquefieri curabis, majora tormenta fuſurus. Quapropter, fuſores Machinarum, cum inſtrumentis, & materia fundendis tormentis, exercitum ſequantur, non pœnitendâ impenſâ, dùm primum

mum & maximum momentum, capiendis urbibus promptè aderit. Rectè quidam *Machinas majores, claves à cingulo penſiles, aperiendis urbibus, vocitavit,* ſine quibus, non facilè pateat aditus.

Duobus oblatis itineribus, ſeu venturus, ſeu retroceſſurus, rectum & ſolidum omittere nonnunquam, impeditius & intentatum, eòquè hoſtibus incautum, capeſſere expeditius putabis, ut ex inſperato, ſecurus provenias, quò voluiſti.

Provide, nè in itinere confligas, tùm ex inſperato. Ducendus igitur exercitus cautè, ut ingruente hoſte *non pugnes ſi non velis*, immò confligas, ſed quando ipſe volueris, nam improviſa pugna, paventes reddit, cùm ſe in promptu quiſquè recolligere non poteſt. Quæ perſpicacia, veterani & conſummati Ducis eſt inter primas. Temerarii bellare neſciunt, niſi ruant in prælia, cunctari, imbellè videtur; Duces ſecùs prudentes, cunctando, ſuas vires & conſilia firmant, hoſtium expiſcantur, eluduntquè furorem; transverſis hac illac itineribus, ad incommoda locorum, temporum, commeatus, hoſtem deducendo, ut tandem *rebus* confectum, levi labore, minorequè ſui periculo, impellant in ruinam, ſi præſertim inſoleſcit numero, regitur temeritate, diutini belli impotens, vel impatiens, vel neſcius, eòquè compendio vincere cupiens, morâ hebetandus.

Quomodo tranſeas ſaltum ab hoſte occupatum Vide Sextum Punctum, De Evocatione hoſtis cunctabundi.

PUNCTUM QUINTUM.

De Caſtris & exercitio, tùm de conſiliis belli exequendis.

CAſtra optima, propè fluvios, propter nitorem & aquationem, immò propter ſecuritatem, *nè cingaris ab hoſte.* Eamquè ob cauſam, locis abruptis, paludoſis, tùm alicui urbi potenti, tergum caſtrorum admovebis, quò unica parte, tutior ſis, nec hoſtis, niſi magno ſui incommodo, te cingere ſtudeat, vel adoriatur, ſi præſertim pro numero & potentia, inſoleſcit.

Nitor caſtrorum ſervandus.

Non paludoſo loco, nec valdè ſublimi, non infimè ſubmiſſo, non arenoſo, caſtra metari oportet, propter ſalubritatem aëris, ventum, lutum, & propter pulverem.

Non propè virgulta & valles, ad evitandas inſidias (non procul tamen à Sylva, pro commoda lignatione) caſtra metaberis; Ideò Sylvam præſidiis, aut caſtello munies, nè illam inſidiis præoccupet hoſtis.

Putei fodiendi in caſtris, multa & difficilia, multis manibus parantur.

Commeatus & molæ manuariæ, ſecùm portandæ.

Exercitatio pedeſtris equeſtriſquè inducenda, præſertim inter novitèr lectos. Imperabis, ut ſe quiſquè per contubernia privatim exerceat, dein per còhortes. Ad exercitium integrarum legionum, & totius demùm aciei, attendes ipſe.

Ad teli jactum, fortalitia extra caſtra exſtruenda, quatenus primum impetum hoſtium excipiant, immò propè illa præſidia, tutiùs aciem inſtrues.

Severè puniantur milites, officio militari non ſatisfacientes, ſi uni parcis, omnes exemplo veniæ corrumpis, multa in eam ſpem peccantur. Ideò prudens Dux, ſi rectè factum velit, omnem ſpem veniæ præcidat, nocet plerumquè affectata clementia. Tamen

men quatenus exemplo non nocetur, ignoſce, aliqua diſſimulando, plura tamen, ſed extra affectum dicti, intraquè authoritatem caſtigando, ut pœna ad neceſſitatem ordinis, & diſciplinæ, tùm ad rigorem legis, non ad ſævitiem rectoris, referatur. Lex per ſe triſtis ſatis & ſevera, judicem ſaltem blandum eſſe oportet. Grande præſidium ſecuritatis magiſtratuum & amoris, invidia legis, ſontes damnari, non Judicis. Procul verò abſint regendis ab rebus, viciſſitudinaria ingenia, hodiè coäcervando nimia, aut rurſum intemperantèr demiſſa, quod utrumquè temeritatis, non recti judicii partus eſt; Ideòquè, nec ſatis authoritatis, abrupta ex ſeveritate, nec amoris habent ex indulgentia, ut veriùs inconſtantiæ, quàm prudentiæ, ſint propiora, mediorum neſcia.

Muta & transfer caſtra, ob ſanitatem, pabulum, nitorem, itinerandi exercitium, item ut hoſtem fatiges. Inutile igitur, eodem in loco, caſtra diu metari.

Jumentorum & lixarum, circumſcriptus ſit numerus.

Fœminæ, caſtra non ſequantur, cauponarii procul abſint; Germanorum quidem populis uſitatum, uxorum comitatu, caſtra ſequi, non gregariis modò, quibus uxores in partem miniſterii abeunt, ſed legionum ductoribus, dùm pertinaciùs pro caſtris, pugnaturos ſe ajunt, cùm pro pignoribus pugnatur. Mihi tamen, Romanorum olim mos, & nunc Polonorum placeat, ubi Penates, fœminarum garritibus, & mollitiei relinquuntur, virorum caſtra, ſunt caſta. Et ſacra Pagina docet (*Joſuæ Cap. I. Uxores veſtræ & filii, ac jumenta, manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyſes, trans Jordanem, vos autem tranſite armati, ante fratres veſtros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis &c. &c.*

Vitet militiæ Dux, coire milites in conventicula, nequè ipſe convocet, aut det coëundi occaſionem, dùm ſub ſpecie conſultandi, oboriuntur, quæ cauſas tumultus afferre poſſunt. Propoſiturus igitur quidpiam, potiùs per partes convocabis, *aut per aliquos Præfectorum.* Non tutum ſi conveniant, ſimul plurimi.

Si tumultuetur aliqua legio, undè contagionem ſeditionis in exercitum timeas, nequè potens ſis coërcendo, quin adſint omnes pro impunitate. Uteris exemplo Alexandri Pharneſii, Ducis exercituum Belgii. Tumultuantem legionem, velut neſcius & diſſimulans,

mulans, ſpecie tranſmittendi præſidii, caſtra procul, in anguſtias locorum emiſit. Quid ſecutum, aut quàm pulchro commento (fidelioribus legionibus ſubmiſſis) eam compeſcuerit, immò ſignis ademptis, ſublato legionis nomine, per arcium præſidia diſſolverit, multâ militaris rei doctrinâ, & ad ſeram poſteritatem pro magnis Ducibus exemplo, *Legas Famianum Stradam*, *lib. X. Hiſtor. Decade ſecunda.* Diverſo ille alter modo, apud *Tacitum*, nec tamen irrito conatu, aut imprudentèr: (*Hiſtor. IV.*) *Conſcendit Tribunal Vocula, mira conſtantia, prehenſumquè militem & vociferantem, duci adſupplicium juſſit, & dùm mali pavent, optimus quiſquè juſſis paruêre.* Tùm ille alter, *è ſeditioſis unicum*, *vinciri jubet*, *magis uſurpandi juris*, *quàm quod unius culpa foret.*

Si contingat tibi Duci, ad colloquium cum hoſte venire, cave nè facias, abſquè præſidio armatorum, & quàm potes decore, ornatu, armis, viriſquè, ferro non argento fulgens, progredere, quò rerum tuarum opinionem, apud hoſtem parias: Deliges ex toto exercitu, dexteritate & *ſtatura* ſpecioſiſſimos.

Quidam cùm timeret, nè ſubſidia venientia, ab hoſte interciperentur, ſimulavit poſtridie ſe prælio decertaturum, fugâ quibuſdam captivis, non ægrè conceſſa, quatenus fama inſtantis prælii, hoſti conſtaret. Exindè hoſtes certi prælii, copias caſtra procul, non emittebant, immò quæ latitabant in inſidiis, ad cogendam aciem convocarunt: Qua ratione, ſubſidia ſine periculo convenêre.

Ad fluvium hoſte caſtra metante, tua ſuperiori alveo pones, ut defluitantem commeatum, hoſti adimas, tibi commoditatem illam habiturus, veluti Dominus ſubjugati fluvii; Immò, ſi ſuperſtruxerit hoſtis pontem, facilè illum tollas, demiſſis prono flumine incendiariis, tùm aliis impedimentis.

Pabuli moderatio fovet caſtra: Immò, ſit in omni victu parſimonia, undè diuturnitatem caſtrorum polliceberis, quò moderatiùs, annonâ utatur miles.

Convivia inter milites inhibenda, & compotationes.

Frumentum in herba (aut non trituratum) depaſcere, capitale ſit.

Muniantur caſtra, foſſa & carragine, etiam in tutiſſimis.

Ligo-

Ligonum, rutrorum, palarum, ſecurum, & per omnia ferramentorum, adſit copia, ad excitandas foſſas, fabricandos pontes, extruendas machinas, quæ ſeu offendendo, ſeu defendendo, ſunt uſui.

Publica ſit in caſtris militum devotio, preces matutinæ, veſpertinæ, & pii cantus. Qùod legionum Capellanis, curæ futurum, per ſuas legiones; Aliquo univerſalitèr præpoſito, ad eam pietatem, & ordinem ſacrorum, univerſim attenturo, caſtrenſis Præpoſiti, ſeu Legati Epiſcopalis nomine, in caſibus ſacrorum.

Vitet miles otium, exercitio tempus terat, currat, fodiat.

Diligentem Præfectum annonæ habebis, maturè comparando, in ſtipendii pretium, militibus dividenda, in neceſſitate. Indè Præfecto victualium curæ futurum, proxima caſtris oppida & pagos, de victualibus apportandis præmonere. Immò, ſi quæ offerantur horrea, ære publico illa coëmat, in ſingulas cohortes, certâ menſurâ diviſurus. Si verò in hoſtico, res geratur, quæquè oblata fuerint, capitale ſit diripi, ſed per victualium Præfectum occupentur, nam ſi licuerit cuiquè rapere, primi occupantes, abundabunt, reliqui, penuriam patientur. Quam in rem, ultra Generalem Præfectum, ſit cujuſquè legionis, ſeparatus annonæ Præfectus. Præſertim verò contra Turcas iturus, annonæ curam ſuſcipies, ac ipſis militibus imperabis, quoniam Turcæ, pro multitudine virorum, primo impetu belli, valentiſſimi & feroces, in autumnum & intempeſta cœli protracti, ipſa ſui multitudine conficiuntur, dùm ſub molliori cœlo nati, equi viriquè, injurias ſeptemtrionalium temporum, ferre vix poſſunt, eòquè animis franguntur, ut pauco tuorum poſthac numero, impelli in ruinam poſſint, modò annonâ inſtructus, integris tuis per omnia, cunctatione eos ludifices, poſthac palantes totâ belli furiâ, ex inſperato adorſurus, bellum tunc primùm incipiens, cùm hoſtes finitum putant, ac tergiverſantur.

Rectè ille Ducum, neceſſitati pabuli, tùm annonæ providit, è proximioribus horreis, *ſex faſciculos frumenti*, *ſingulos in equos*, (diebus ſingulis) viritim verò duos, diſtribuendo, ut probè ſciret, quot cohortes aleret, quotvè diebus, horreum ſufficeret exercitui, providendo.

Sed

Sed maximè, *viciniam fluvii, vel portuum, advertat* maturè Dux belli, hæc enim compendiosissima, *ope navium*, subvehendæ annonæ, armorumquè ratio, & certissimum, immò inexhaustum castrorum horreum est.

Fossores & cunicularii, exercitum sequantur.

Castra, procul ab urbe, & à deliciis habebis.

Non proximè hostem, castris accedes, sed paulò remotiùs subsistes, nè turberis.

Designa cuiquè turmæ locum, tumultu adveniente, occupandum armis, & propugnandum.

Tessera bellica, secretè danda & retinenda, secretè ab excubitoribus inquirenda, nè hostis occultè succedens, aut latitans, subaudiat.

Excubitores, in valle, non in colle locandi, faciliùs enim notant, nequè notantur.

Medium castorum (aut arcis) paratis præsidiis tenendum, undè debilioribus partibus succurratur, nè dùm partes partibus subveniunt, aliæ stationes nudentur.

Generatim sæpè exercitum exercebis, ut formam aciei, stationes, subsidia, accessum, recessum, per partes, simulvè discat miles. Item, quomodo inclinatur, densatur, extenditur, vertitur acies, dextrorsum, lævorsum, aut quæ fiunt prælio solita. Non obfuerit adferre verba Josephi (*lib.* 3. *de excid. Hierosolimit.*) *Quodsi quis Romanorum ordinem, in militia inspexerit, videbit hoc grande imperium, eos habere virtutis meritum, non fortunæ beneficium, non enim initium illis armorum, ipsum bellum est, nec solùm, cùm usus aut necessitas est, manus movent in pace feriati, sed tanquam congeniti armis, nunquam pausam exercitii faciunt, nec exspectant occasionem. Meditationes autem illis, seu exercitia, nihil à vero usu fortitudinis & audaciæ abeunt, sed quotidie miles omnis, alacritate, tanquam à bello exercetur, quo fit, ut facillimè & sine laboris sensu, pugnas tolerent, nequè enim, vel confusio eos, à consueto ordine amovet, & dissipat; vel metus reddit attonitos, vel labor fatigatos, sequitur verò victoria semper eos, cùm in hos pugnent, qui non paritèr confirmati: Nec sanè erraverit, qui dixerit, exercitia eorum, pugnas sine sanguine, pugnas, exercitia cum sanguine esse.*

Quæ-

Quæquè cohors habeat pistorem, frumentatorem, chirurgum, fabrum.


Pro tutiori cura castrorum, commodiùs ut defendi possint (si præsertim de nocte invadantur) singulis Præfectis, partes singulas castrorum, dextram, sinistram, anteriorem & posteriorem curandam committes; Nè si tu Dux solus providere velis, dextram curando partem, sinistram sine cura mittas, intentis in imperium Ducis, militibus, aut quomodo acturi, nesciis, vel exspectantibus jussa, dùm pugnandum.

Perfugarum, separatæ sint cohortes, nequè tuis intermisceantur. Sæpè multi perfugiunt in fraudem & periculum, tuis intermisti, ut fidem per colloquia subdolè corrumpant. Si verò pauci sunt perfugæ, aliquo munito loco, sub honesta custodia, remotiùs à castris, ad exitum belli tenebuntur.

Ad portas castrorum, ponantur peditum stationes.

Metationem castrorum, quòad fieri potest, in ea forma ad fluvium pones (*F.* castellum, in altera parte excitaturus, in defensam ripæ & transitus) Per *A.* enim & *B.* portas, facilior ex castris excursus, in defensam *C. D. H.* partium. Circumvallatio per fractas lineas se reciprocè defendentes, accommodabitur. Si verò medio in campo castra metaberis, habebis sequentem figuram.


R Non



Non propè ſylvas aut valles, tùm arbuſta, caſtra metari oportet, nam ea per latibula, commodiſſimè ab hoſte, inſidiæ ſtruuntur.

Aquationem proximam eſſe oportet, & lignationem non remotam.

Caſtrorum circumvallationi, inſerere neceſſe, minora munimenta occluſa, palis defoſſis cincta, ut ſunt in appoſita figura *R. S. N. M. T.* (aut ſi quæ commodè poni poſſint) ut paucis ſuperpoſitis militibus & tormentis, non ſolùm adveniente hoſte ab extra, ſecurè caſtra defendi poſſint, ſed hoſtis circumvallationem perrumpens, interiora caſtrorum ſi petat, ab illis munimentis (non turbato milite, dùm non in aperto eſt) arceatur, ad intra obverſis munimentorum præſidiariis. Cui rei, vel maximè, appoſitum munimentum *K.* in corde caſtrorum, velut figura docet. Spatia *E. E.* ſtationibus oppoſita, *centum & quinquaginta cubitorum* lata, in quibus turmatim coire poſſit equitatus, in campum edu-



cendus, peditatu verſus vallum, tabernaculis ſubſiſtente, in promptiorem defenſam; Interjectis tamen (ſtationes peditum, & vallum inter) *H. H. H.* ſpatiis, *C L.* itidem ulnis latis, quò armorum ſigno dato, ſub ſignis inſtrui poſſit peditatus, & ſubſidia, item machinæ belli, huc illuc commodè traducantur, utvè operæ novæ (aut vallum) ad intra, ſi res ſuaſerit, extruantur, in meliorem ſuorum receptum, ſi prima caſtrorum munimenta, hoſtis pro potentia perrumpere paret. Inſuper ſcire opus, quinque cubitos, ſeu ulnas Polonas *in quadratum*, binis peditibus commodè locandis, aſſignari oportere, binos enim non ſingulos tendere præſtabit, ægritudinis juvandæ, & convictus opportunioris ob rationem, dùm unus alteri, ope tùm conſilio adeſt, conſors operis, teſtiſquè virtutis ac diligentiæ. Equites verò terni, decem & octo cubitos *in quadratum*, occupabunt, tentoria, præliares equos vel turmales, oneraria jumenta, tùm currus, commodè includendo, nèvè coanguſtentur caſtra, vitandæ aëris infectioni, & incendio. Deindè, quæquè pedeſtris cohors, equeſtriſvè turma, in quatuor ordines collocabitur, interjectis in modum platearum viis, vel ſectionibus *XV.* cubitorum latis; Hinc adnumerata arearum *Z. E. E. E*, dein *H. H. H.* magnitudine, pro numero militum, aſſequeris facilè, quanta capacitate loci, ponendis caſtris, opus habeas.

Area *Z.* ſtationem ante Ducis, juſtæ capacitatis adjecta, inſtruendæ parti exercitus apta.

Pro retinenda perpetua denominatione (quod magno uſui futurum experiêre) Anteriores duæ, portarum. *A.* vocetur Regia, *B.* Ducis belli porta, Jam poſteriores. *G.* porta equeſtris, *F.* pedeſtris, ut cùm ex improviſo ingruit hoſtis, aut educendus in aciem miles, nominatione portæ, pars caſtrorum, exitus in aciem, ingruens periculum, & undè ſucurrendum, repentè denotetur.

Græci & Romani (teſte Polybio) ponendis caſtris variabant. Græci accommodabant ſe loco, & prout locus occurrebat, variabat forma caſtrorum. Romani ſecùs, non loci, ſed uſitatæ formæ caſtrorum, habebant rationem, eandem metationem & modum ubivis retenturi. Rationem innuit & laudat Lipſius (*de Militia Romana lib, V.*) *Portæ caſtrorum, & ſectiones eædem, tabernacula*

Ducum & militum, eodem ubiquè situ, hinc utilissima illa notitia castrorum, & (oborte repentè tumultu) *prævisa & invenienda omnia, velut civibus in aliqua urbe.*

Injuriis cœli durantibus, vel si tempore hyemis, castra metari contingat, curet ædificari Dux belli, medio castrorum, latè patentia tabernacula, pectotenus in terram immissa, stramine coöperta, centenorum peditum, aut equitum capacia, ut eo beneficio, ab injuriis cœli tecti, stationes expeditiùs observent, arma versaturi, nequè aëris sævitia, tùm rigore, pugnæ inepti reddantur. Tumultu etenim oborto, ex illis tabernaculis, recentes & indefessi, viris, armis, equis, facilè prodituri in pugnam. Quod felicitèr practicatum, à magno Ducum, *Joanne Zamoyskio,* circa obsidionem *Plescoviæ* in Moschovia. Quia verò vigilibus, maximus incumbit labor, & periculum à frigore, procurabuntur aliquot vestes, pellibus subductæ, quas vigiles (unus post alium) induant, prout mutantur, & post se succedunt.

Re ipsa probatùm nobis, citiùs deficere victualia pediti (paucos enim secùm trahunt currus) quàm equitatui, dùm hi multitudine curruum, etiam commoditate rei frumentariæ abundant; ideòquè si penuriâ annonæ prematur peditatus, singulis equitum turmis, deceni, viceniquè pedites, alendi injungentur.

Generales equitum excubiæ, sint in castris, ultra singulares vigiles.

Nemò castra ingrediatur, exeatvè, die, noctu, nisi Imperatoris signo dato, aliàs quemquè retineri oportebit, ut doceat, quis & undè, quod portarum Præfectis curæ futurum.

Inferiori castrorum alveo, equi potandi, propter nitorem aquæ, nè lutulenta fiat, immò fæces, inferiori aqua deponentur.

Si fluvius sit exiguus, non immittentur equi ad potandum, sed vasis educenda erit aqua, nè calcatu equorum turbetur, quod vigiles observabunt, in eam rem destinati.

Dùm educis exercitum in aciem, præter expeditas cohortes, præsidium sit castrorum, ex calonibus & lixis, quorum apud nos, ingens copia, si cujusquè turmæ lixæ, suam partem valli defendant, milite cohortis relicto, cui sui lixæ sint obediendo.

Duces & Centuriones, certo tempore circumeant milites, visuri, quantùm quisquè habeat ex commeatu, tùm arma qualia, ut in melius aptentur.

Pabulationes à longè quæres, quæ propè sunt, pro necessitate servabis.

Prædatum aut pabulatum ituri, tuo scitu abeant, ordini servando, pars prædam ut quærat, pars cum armis stet pro præsidio. Capitale sit, lixas singulos, pabulatum dimittere, verùm ad signum legionis conveniant, ut Præfectus provideat illis de Ductore, cujus muneris attendere, ad ordinem, securitatemquè frumentandi, nè dùm pro libitu per agros & prædia discurrunt, procul remoti ab aspectu, per insolentiam plura corrumpant prædando, quàm sibi acquirant, tùm vagabundi intercipiantur ab hoste. Nec aliâ viâ, insolentiam vagandi, vastandi, cohibeas.

Quoäd tutè poteris, divides exercitum, diverso loco castra metaturus, nam facilior annona, & plùs terroris ex diverso in hostes, item, profligata una parte, reliqua erit salva.

Hyeme, quando terra congelascit, difficilis fodiendo, decidatur ope securis, terra superior, vivam (ex puteo velut) extracturus, erigendis suggestibus. Sic noster *Zamoyskius*, fecit bello *Livonico.*

Castrametatores, signa turmarum, suo loco figant, ut sciat quæquè turma, stationem & locum, nè turbetur ordo & acies.

Vigiles, quater per noctem mutabis, immò binos simul locabis audaciæ majori & cautioni.

Potus delicati (nisi qui ad necessitatem vitæ) non inferentur in castra.

Falluntur valdè, qui interclusa loca paludibus, aut præruptis rupibus, castris ponendis quærunt, quod enim putant prodesse defensioni, etiam serviet in sui obsidionem, præsertim si potentior accedat hostis, faciliùs te (velut in cavea) intercepturus, paludibus interclusum, nequè copiam dabit confligendi, verùm una & altera legione, egressu intercluso, reliquis copiis, terram tuam depopulabitur, ut velut vinctus, hosti tradaris. Nisi aliàs tutum, talia in loca confugere, cùm subsidia brevi adventura speras, si verò nulla spes auxiliorum, potiùs abscedes in longinquiora, aut hosti adventanti, insperata velocitate occurres, nè intercludaris.

cludaris. Aut alteram paludis ripam (seu fluvii quo cingeris) castellis munies, parato transitu, ex virgultis & ratibus, ut liber sit in alteram partem transitus, dùm velis.

Quidam Imperatorum, cùm in castris reperisset, sparsas ab hoste literas, quibus ad defectionem, suorum tentabantur animi, proposito præmio, si quis Imperatorem occidisset. Prudentèr malè cœptis occursurus, in concionem vocatis militibus, palam fidem laudavit, se illius commenti authorem ajens, experiendæ mimilitaris fidei; Nunquàm postea sinistram opinionem habiturus, semel probata fide.

Eodem ordine, quo procedunt legiones, etiam in castris ponentur, quæ fuit prima, quæ secunda, quæ tertia, seu pedestris, seu equestris; Ut cùm educendus in campum miles derepentè, non interruptis stationibus prodeat, & in acie locum occupet, tumultuaturus aliàs, si promiscuè egrediatur.

Post tesseram, servetur omne silentium.

Aliquando ad tesseram addenda signa, ut motus manuum, vel corporis, gladii corruscatio. Nè si vox, aut verbum hostibus innotescat, signo tamen prodantur. Immò gestu, vel signo, à longè tesseram expiscaberis advenientium, explosione bina ternavè sclopeti, inclinatione hastæ, elevatione pilei, vel prout ex condicto, commodiùs putabis, quod magnoperè juvabit alienigenas, diversæ linguæ socios, qui nostram linguam effari non possunt, signo saltem, hostes amicosquè distincturus.

Præfectus fabrorum & fossorum, necesse habendus, cui operarii subsint, cujus curæ futurum, nè materia & instrumenta desint operi, ferrum, funes, secures, terebra, ligones, rutra, palæ, instrumenta levandis machinis, & alia.

Ultra Præfectum generalem armamentarii, alii minores habendi, quorum singuli, tribus quatuorvè tormentis præsint, quisquè suis machinis equos, pulverem, globos, currus, explosores procuraturus, indè majori facilitate & cura, habebuntur omnia, in itinere, in castris, in pugna, dùm quisquè sua curat. Describendum item, quot pondera nitrati pulveris, quot globi, quamquè machinam, immò quamquè cohortem pedestrem sequantur, nam, quod in commune providetur, in acervo multùm apparet, divi-

divisum in singula, vix sufficit, undè inevitabilis error. Pro quolibet igitur tormento, saltem C L. explosiones, in pulvere & globis computandæ, pro qualibet fistula pedestri, saltem explosiones sint mille, ex præparato.

Præfecti legionum, vigilias castrorum (immò ipsa castra, interdiu noctuquè) ordine circuibunt, undè æmulatio in virtutem, & acuetur cujusquè ex diligentia, industria, ut tandem ipsi possint, esse belli Duces.

Interdiu, habeas aliquem expertæ prudentiæ virum, qui te occupato, curet minora negotia castrorum, noctu verò, excubet insomnis Dux ipse, præsertim si propè adsit hostis.

Licet plures portas habeant castra, unica tamen assignabitur; per quam egressus pateat, atquè altera, per quam ingrediendum. Exploratoris verò causam dicat, quicunquè aliâ viâ ingrediatur, exeatvè. Sic facillimâ operâ, notabitur explorator, seu proditor vagabundus, unicâ viâ veniens, quàm si per diversas portas, se intrudat, faciliùs item observabitur, unica porta, quàm si ad plures simul attendatur. Idem circa præsidia urbium observandum.

Quò tibi labor castrorum, & consilia belli faciliùs succedant, statue ex fidelioribus clientibus militiæ gnaris, juratos, stato die, aliquo in secessu, ut consulant, quomodo habeantur castra, miles, & bellum in universum. Consultum ad te delaturi, ut habeas copiam seligendi pro arbitrio, quod velis. Secretim verò habebis, nè invidiam factiosorum provoces, si obmurmuraverint, suum Ducem, Pædagogorum imperiis, ut pupillum obnoxium.

Si fluvius aut rivus, lutulenta propter littora, aquationi inaccessibilis, ducantur transversæ fossæ, ut aqua in siccam terram,



derivetur, ut eſt in *A. B. C. D.* ex *E. F.* fluvio.

Tormenta (minoris generis) coriacea, vel papyracea, immò lignea, fabricantur nonnunquam, promptuario uſui accommodata.

Miles non ædificabit tabernacula caſtrorum, ex ſtramine, aut arida materia, ſed ceſpite teget, ob periculum incenſionis. Aut ſaltem, inter legiones ſint intervalla, nè obortum ſerpat incendium, utvè reſcindi & reſtingui faciliùs poſſit; ſi verò hoſtis caſtra ſic ædificaverit, procurabis accendi, velut Scipio Syphacis caſtra, in Africa delevit.

Impediendæ ſuorum defectionis, rationem Julius Cæſar de bello Gallico inſinuat. Cùm Avaricum obſidentibus Romanis, perterriti præſidiarii, è civitate profugere vellent, infirmiores, quibus ob imbecillitatem, fugiendi ratio non erat, metu, nè deſererentur, conclamavêre, ſignificaturos ſe de fuga Romanis, immò

immò re vera ſignificârunt, undè transfugæ veriti, fugam hoſtibus proditam, potiùs defenſionis, quàm defectionis, invêre curas.

Venditores neceſſariorum ciborum, tùm pulveris nitrati, & armorum, caſtra ſequantur, alii negotiatores amoveantur.

Caſtra poſiturus, non locum accommoda caſtris, ſed caſtra loco, aut potiùs *utrumquè ſimul*, prout commodum videbitur, ut valles in propatulo ſint, proximiores pagorum, præſidiis, tùm caſtellis muniantur, item virgulta.

Fune oblongo (per nodos, ad ſpeciem diſtantiarum inter cohortes, legioneſquè diſtincto) denotantur facilè ſtationes cohortium, ſi ad quemquè nodum longitudinis, latitudiniſvè, ſignum cujuſquè vexilli, metator caſtrorum figat.

Exploratores in caſtris deprehenduntur, ſi omnes tui, ſub ſignis, ſeu milites, ſeu lixæ conſiſtant, indè apparebit peregrinus, exploratorvè, nullius vexilli; vel facies alitèr; Milites ſuis tabernaculis, ſtato tempore ſe contineant, ut notetur per caſtra explorator vagabundus, nullius tabernaculi.

Poſiturus caſtra, præſertim in confragoſo, conſidera locum, quoäd expedit caſtra extendere, vel contrahere, tùm pro commoditate, diſpones ſtationes. Expedit verò, ut ſinguli Præfecti legionum (ordine per vices) cum metatore præcedant exercitum, meliori curæ, ponendorum caſtrorum.

Caſtella, ultra caſtra exſtruenda, ſub quorum præſidio, equi tutiùs in paſcuis diſcurrant.

Cadavera equorum, & inteſtina boüm, tumulabuntur in caſtris evitando fœtori, ſi verò extra caſtra ejicientur, etiam ſub dio non relinquenda. Undè ſubſtituendi, caſtra qui circumeant, curaturi, ut cuiquè legioni, ſuus nitor ſit curæ. Rectam regulam Turcicorum caſtrorum, obſervat Paulus Jovius, lib. *X L.* Hiſtor. *Annotatum Turcicis in caſtris, omnium ordinum tabernaculis, tentoriola, aut tuguriola eſſe conjuncta, quibus latrinæ* (non in Præfectorum tantùm puta, ſed in publicum gregariorum uſum) *inerant, eo inſtitutæ ordine, ut novæ ſcrobes, alternatim fierent, repletæquè, ſtatim injectâ arenâ tegerentur. In macellis quoquè, profundæ foſſæ viſebantur, in quibus lanii, totius exenterati pecoris exta, ſedulè tumulabant,*

bant, ita fiebat, ut castra nullo odore tetro afflata, ad salubritatem commodiora redderentur; Et alio loco innuit; Nec enim omittendum. *Silentium totis castris (ante omnia) peræquale, atquè perpetuum, in tanta frequentia stupendum fuit, nequè enim alitèr, quàm significatione manus & nutibus, parati intentiquè milites regebantur.*

Literæ è castris mitti prohibebuntur, præsertim si consistis in insecuro, scribunt enim varii, varia per confidentiam, querulantur de defectu, indè interceptæ ab hoste, audaciorem reddunt.

Nunquam patiaris tua castra obsideri, aut occludi. Quod si potens hostis, te obsessum eat, non subsiste uno loco, non approximabis illius exercitui, ad fluvios moreris, quo altera parte tutus sis. Fortalitia dein, extra vallum in campum porriges, ut distendas hostem. Aut in unam partem obsidentis, toto robore ex desperato incumbes, vel quod maximum (licet vana specie) per conversionem terroris, famam sparges, iturum te contra hostem, ut ad se tuendum convertas, metum dissimulando, ab audacia petiturus consilium.

Prudens Dux belli, providere debet, nè milites sui cum hoste (ut fieri solet, data armistitii pactione) colloquantur. Capitale sit, colloqui, ante bellum totalitèr confectum, censoribus in eam rem adhibitis, multa enim evulgari possunt per imprudentiam, quæ reticenda. Immò, nonnulli, colloquii sub specie, ad defectionem solicitari possunt; Quod bello civili maximè cavendum, dùm cognati, cum cognatis, ex adverso ad colloquium veniunt. *Vide Julium Cæsarem, de bello civili lib. I.*

Si aquatio remotior à castris, ac proindè periculosa, ductâ continuâ fossâ versus aquam, & superpositis castellis, tutiùs fossæ præsidio, aquationem assequeris.

Hiberna Romanorum, non in oppidis, sed, urbana mollitie & occasione prodigendi procul, aperto campo, castris & vallo includebantur, separatas legiones per Provincias disponendo, præsertim retinendis in fide suspectis populis, proculque ab eorundem proditione, partim faciliori annonæ inter paucos, & difficiliori factioni. Singulis verò hibernis, singuli legati, cum omnimoda potestate præficiebantur. Commeatus populis vicinis imperabatur, menstruatim castris subvehendus.

Miles,

Miles, luxum vitet in potu, victu, vestitu, in quo Dux ipse, poterit plus exemplo, quàm imperio.

Disciplina militaris retinenda.

Dux habeat & servet authoritatem, nec ad quosquè motus moveatur, sed minora negotia, per alios curet.

Non otiosum militem habebis in castris, nè à multitudine & otio, nova moliatur. Nonnunquam, ideò, falsos rumores, & pericula finges, pro meditatione belli.

Non minitandum militi, sed cùm fecerit, statim pœna sequatur, nè à turba petat auxilia, in eo, quod solus timet. Si verò multi delinquunt (quos nisi magna cum invidia, in pœnam trahas) per singulas cohortes, nulla mentione de cæteris, judicium exercebis, aut sortes supplicii pones, decimando sontes ad pœnam. Eo sortiendi modo, non nemini pars erit pœnarum, in dubium mortis, vitam misisse. Nec semper pœnæ loco sit, ad mortem trahi, sed æquè delinquenti gravia, exercitui màgis fructuosa, ut delinquens miles, bina spolia ex hoste adferre, duosvè captivos, manu ducere cogatur, ut non recipiatur in castra, verùm extra vallum, subsistat statione, primus, itineris laborem, primus, prælii periculum subeat. [*Quæ copiosiùs suggessi, in Notationibus togæ & belli.*]

Cùm pœna sit in exemplum & correctionem peccatorum, instituta màgis, quàm in ultionem peccantium, exercenda erit in delinquentes, ut ejus terror, perveniat ad omnes, paucorum corpora, omnium oculos, ac mentem castigando. Si è prælio fugerit miles, proditionem intentarit, nunquid contagiosa hæc? nisi prout in omnes peccatur exemplo, etiam judicium & pœna, exerceatur ab omnibus. Sit ergò, ut per cohortium deputatos, spectante exercitu, damnetur & puniatur miles, ictibus sclopetorum necandus, gladiis concidendus, vel demùm castigandus scuticariâ, vel fustuario, ad enormitatem pœnæ, & ignominiam delicti ad posteros, ut in familiaritatem sceleris, nemò venire deinceps audeat, amore gloriæ, & metu infamis pœnæ; Sic penes ipsosmet milites, illæso Ducis amore, sævitia tùm invidia facti, & decreti memoria, in terrorem manebit. Quod facilè fiat, apud nos præsertim, dùm è nobilibus, honoratior nobis constat miles,

 eò

eò màgis ignominiâ coërcendus, quò major illi ſenſus ineſt honeſti, quàm ſi aliàs, è fece populi legatur.

Non omittam apponere, egregium retinendæ diſciplinæ, nec importunæ ſeveritatis factum, Lucii Apronii, Romanorum Ducis, contra Tacfarinatem in Africa. Cùm quædam cohortium, nullo egregio præſtito facinore, primo concurſu terga è prælio vertiſſet, *decumum quemquè ignominioſæ cohortis, ſorte ductos, fuſte necat. Tantumquè ſeveritate profectum, ut vexillum veteranorum, non ampliùs quingenti numero, eaſdem Tacfarinatis copias, præſidium cui Thala nomen adgreſſas, fuderit* (Cornelius Tacit. Annal. III.)

Adempturus militare officium, priùs fidelem ſucceſſorem cogita, ſed non præfice ante officio, quàm illum priorem, manu teneas, aut judicio damnes, & omnes nocendi vias præcludas.

Correpturus militem ad pœnam, ſine tumultu, circavè prandii tempora facies, ad evitandas turbas, dùm gregarii, è caſtrorum area, ad menſas diſcurrunt.

Contra potentiorem & ſubdolum hoſtem, ſecurè ponuntur caſtra, nequè ſunt expoſita inſidiis nocturnis, ſi hoſtes inter, noſtroſvè, paludes, aut fluvius interjaceat. Providendum verò, utraquè ripa, caſtella ut ponantur, ſeu ad hoſtem vadum tranſeas, ſeu retrogradiaris, ſub præſidio munimentorum, tutò tranſire ut poſſis. Inſuper, multùm momenti habebis, nè quotidie te vexet hoſtis, tranſitu fluvii impeditus, aut ſi abeundum, nè tergo tuo hæreat. Si verò eodem conſilio, hoſtis contra utatur, ſuperiori & inferiori alveo, hoſtium caſtellis, tua fortiora oppones.

Vecturæ victualium, proximioribus civitatibus, aut pagis imperandæ, nè penuriâ annonæ, prematur miles, ſeu ſit annona *ex granario publico* (maturè in locum caſtrorum, quàvè tranſeundum, præmiſſis emptoribus) ſeu quiſquè pagus, ſuam vendendam, vehere cogatur.

Pecus, ex hoſtico conquirendum, ut per centurias, militibus, victualium loco dividatur.

Quia propter congelatam hyeme terram, foſſæ excitari non poſſunt, defenſioni ſuorum, vel oppugnationi hoſtium, valebunt, eo caſu, carpenta, doliis terra fartis onuſta, quæ vice ambulatorii

rii valli, & caſtrorum, promoveri poſſunt. Facilè devolvenda, obruendis foſſis expugnandarum urbium; In defectu doliorum, commodè valebunt corbes.

Videat belli Dux, nè militares equi, caſtra procul abigantur, ſed advectitio pabulo, eos retineri oportebit, nè ſi repentè hoſtis ingruat, equi primùm quærendi ſint è paſcuis, dùm pugnandum; Ergò tu aggredieris hoſtem, ſic pabulantem.

Excubias [a] ſtationares (ſeu promptuarias) acturi milites, ſub ſignis, primò præſentent ſe videndos Duci, màgis ſeriò ut agant, poſtea in tabernacula, digrediantur armati; Adſint verò cenſores, ſtationes obituri, pro diligentiori excubiarum cura.

[a] *Vulgò* Kolonaſtraz.

Quoniam (ut ſupra dictum) Legionem equeſtrem, octo turmarum eſſe oportet, pedeſtrem, cohortium quatuor. Proderit, quamquè legionem quatuor in partes dividi, ut quarta die, ordo vigiliarum, ad eoſdem redeat, nè ſi integra legio abeat, ſtationes legionum, totalitèr nudentur.

Hæc quaternaria legionum fragmenta, ſigno vigiliarum dato, tabernaculum Ducis ante, conveniant. Pedites ad præſidia circumvallationis ducantur, equites in tres partes dividentur, ut prima pars noctu excubet, altera uſquè ad meridiem, tertia duratura ad veſperam, tædio minori equorum, virorumquè, ex diviſione laboris, Tùm ſuperveniente veſperi, iterum tabernaculum ante Ducis, conveniant, novis excubitoribus, vigilias ceſſuri. Atquè ſic per alternantes turmas conſequentèr.

Sed vigiles (aut excubitores) bifariam ſumendi, qui in excubiis, ſinguli, turmatimvè longiùs à caſtris, vel propè, præcavendis periculis excubant. Alii vocari poſſunt *Cuſtodes*, qui publicis in viis, tùm per agros propiores, & horrea propè, diſponuntur, nè ab inſolentiori milite, ædificiis, pecoribus, horreis, damnum inferatur, nè agricultura præpediatur, nè agri, tùm ſata depaſcantur, nè caupones, victualia venum ferentes, ſpolientur, aut quidquid lixarum licentia, uſurpatum per ſcelus habet; Ut inſolentiores captiventur, corripiantur, pro ſervanda caſtrorum diſciplina, & habenda opportunitate, promptè conquirendi commeatus.

Conſultum fuerit, in omnes quatuor caſtrorum partes, latas portas

portas facere, pro commoda excursione suorum, nè longè circumeundum sit, si qua parte impetum faciat hostis, noctu præsertim.

Si remota sit aquatio, quæquè cohors, ac quæquè legio, suam stationem ante, fodiat puteum, communi usui legionis (saccis, tùm corbibus, si vasa desint alia, terram extrahendo, profundiùs cùm descendit fossio) Immò, etsi fluvium propè castra ponantur, proderit ea puteorum commoditas.

Nunquam citiùs levipendium edictorum inducit belli Dux, quàm si levitèr properus ad vetandum, tùm ad jubendum vana, quæ ipsa jussorum levitate evanescant, & irrita reddantur, sic enim non seriò imperatum, & factum, milites assuefacti, edicta Ducis, joci loco habebunt, ut postea seriò imperata, exsequi morentur, sæpiùs eludi & falli rati. Curandum igitur, quod imperatum fuerit, licet in speciem, fiat tamen, pro retinenda edictorum authoritate, aut non imperentur, nisi necessaria & gravia.

Quò citiùs, edicta imperatoria exsecutionem sortiantur, vel dùm opus aliquod, perfectum habere vis, quod imperasti, non tantùm rem pete aut impera, sed tempus perficiendi præfige, ut qui se tempore circumscriptum videt, rem faciendam studiosiùs (extraque procrastinationes) aggrediatur, ad certum scopum, opus collimando. Non tantùm verò in edictis bellicis, sed quavis publica & privata actione, ea perficiendi operis, via commodissima.

Alacritas in milite quæritur, sed hæc à duplici fonte provenit, à *vera virtute* fortitudinis militaris, & ab ingenuitate, adhibitâ rectâ disciplinâ; aut ab *indulgentia Ducis*, & *insolentia* militum, undè comparatur *ferocia*, quæ prout falsa virtus est, etiam in ignavis & timidis, in tempus quandoquè succedit, arte cujusdam licentiæ, in audendum versa, illa, nisi à forti & ingenuo pectore habetur, durabilior est proindè, nec confunditur periculo, aut frangitur adversis, sed petit ab audacia consilium, recolligit vires, & in majus audet, suiipsius conscia, honesti & Patriæ amore, dùm movetur. Quæ verò per indulgentiam provocatur, incipere quidem, & res tentare suadet, insolentèr màgis, quàm audactèr, ideò-

què in arduis hebescit, terretur difficultate, & simul confunditur. Vera igitur virtus & ingenuitas, disciplinam & legem admittit, ex regula honesti; ignavis, servitutis loco est, ut horum supprimas audaciam, ex castigatione, illorum fortitudinem acuas, adhibito rigore disciplinæ, prout veteribus Romanis, erat moris, ex ordinatæ militiæ instituto. Scire igitur interest, cuiquè militiæ Præfecto, ut habeat milites, prout *in ingenuos*, aut secùs *ignavos* incidit, si enim ingenui sunt, id est ex honestis & nobilioribus lecti, adhibebit rigorem disciplinæ, nè corrumpantur; sin secùs ignavi, *ex fæce populi conglobati*, indulgentiùs (saltem in tempus) eos habebit, errata quædam dissimulando, immò velut nesciendo, nè dùm coërcere cupit, quidquid vigoris in illis, totum per rigorem supprimat, metu servilis pœnæ, aut reprehensionis, *timidiores redditurus, quàm modestos.* Mihi si optio detur, paucos milites malim, & ingenuos, quàm multos, sed per insolentiam audaces, *ingenui verò esse non possunt, ex fæce vulgi qui leguntur:* Non enim decus honesti, & gloriæ norunt, ideoquè alta, multòquè màgis dùm sunt ardua, per se tentare non amant, nisi jumenta velut ducantur, aut potiùs impellantur. Nè igitur mirère, à Romanis, orbem subactum, tùm ad tantum fastigium, rem bellicam provectam, non enim, prout quisquè sese obtrudebat obvius homuncio, popinarius, rabula, veluti nostri sæculi ea labes, sed convocatis tribubus urbis, màgis compositi viribus, ætate, moribus, ingenui juvenes, nec fictè alacres, in legionum tabulas, studiosè selecti scribebantur, quorum unicus, trium ignavorum, valorem superabat, ad imperata Ducis alacer, & propria ingenuitate, in amorem gloriæ excitatus. Velut multis bellis expertum, cùm per inopinata * periculorum, rebusquè confusis, inexspectato Præfectorum ductu, vel impulsu, non attoniti, nec post tergum respectantes, verùm scientiâ præliorum, & ingenuæ disciplinæ usu, ipsi milites, non minùs commodè sibi insinuavêre quod oporteret, ordinem, insultum, aggressum, regressum, subsidia, quàm ab aliis doceri ut possent.

* *Vide Cæsarem de bello Gallico.*

Inter Imperatorias virtutes Annibalis, præcipuè celebratur, cùm è confluxu gentium, lingua & moribus diversarum, exercitum in Romanos duxisset, sæpiùs verò, pecunia, stipendiis cum dees-

deesset, undè propera querelarum & seditionis materies, tanta dexteritate militem regeret, ut nulli tumultus, aut discordiæ, orirentur, obedientia super hæc, ad excipienda Ducis imperia, prompta semper adesset. Quod ab authoritate Ducis, rigoreque disciplinæ (admista prudenti severitate) profectum esse, minimè dubium; Nam alterum, pro virtute Imperatoria, admirantur & æstimant milites, alterum reverentur, & nisi utrumquè, rectè habendo militi valet. Nec adest præterea seditionum occasio, cùm laboribus miles distentus, molliter non habetur otiosus, undè quæstionum & seditionis causa, ut certo aliàs sit, non màgis pecuniis, & prompta stipendiorum collatione, quàm virtute Ducis, & prudentia, (penes disciplinæ rigorem) militem, bellaquè sustineri. Nec frustra miratur Franciscus Guicciardinus, (lib. XIII. Histor.) in exercitu Papali, Leonis X, cùm stipendia promptè numerarentur, minorem concordiam militum, & in labores promptitudinem fuisse, propter varietatem delegatorum, nec ideò stabilem authoritatem in milites. Secùs Dux Urbini, cùm pecuniâ destitueretur, authoritate tamen & prudentia, militum animos sustentando, promptos in excipienda imperia haberet. *Non quia modestior miles, sed Duci plùs authoritatis.*

Si eveniat, ut in exercitu (quem è diversis gentibus collectum habes) discordias & tumultus metuas, providebis, ut offensæ, rixæquè militares, personarum sint injuriæ, non nationum offensæ, intraquè privatos compositæ, ut sistantur. Cavebitur, nè dicteria carpentia (quæ animos altiùs ferire amant, quàm ictus) unius nationis in alteram, volitent, tùm quæquè delicta, nulla personarum ac gentium discretione, severiùs ut puniantur, ex ipsis nationibus, lectos judices, in collegium substituendo, quibus curæ futurum, ut in delinquentes promptè advertant, judicio militari; sic aberit offensa partium, dùm quisquè suos judices, velut causæ & nationis Patronos, promptè affuturos, in collegio videbit.

Edicta Imperatorum observari, ni serventur, severiùs puniri, dictum alibi. Sic Manlius Romanus Dux, filium, capitis pœnâ damnavit, quod injussus (licet victor) pugnaret. Et recentiùs *Comes Fuentius*, militiæ Hispanæ Archipræfectus, centurionem addixit pœnæ colli, quod in oppugnatione urbis, receptui signo dato, non reversus, ultra processisset, opportunissimum capiendæ urbi locum occupaturus. Quod non superfluæ severitatis, sed necessariæ disciplinæ documentum, si non *factum* in præsens, saltem maturè in post castigando, periculosam *imitationem:* Non enim tàm prosit fortitudo, & successus ex errore, quàm obsit inobedientiæ, multos in annos exemplum, si jussa Imperatorum, ad interpretationem & arbitrium, unius audaculi & licentiosi, ex ostentatione vanæ fortitudinis, in abusum, contemptumquè vertantur, undè levibus momentis, errores belli irrepant, summæ rei obstantes, dùm inordinatò res vadunt. Non minùs in milite modestiam & continentiam, quàm virtutem, atquè animi magnitudinem desiderari. Ut hoc loco, sacræ paginæ verbis, verè dictum sit. *Meliorem esse obedientiam, quàm victimam.* Sic olim unius Manlianæ severitatis exemplo, profecit res Romana, ut disciplina militaris, quâ solâ, in orbis dominam urbs illa crevit, Manlianis jussis, in seram posteritatem definiretur, nec priùs declinaret imperium, quàm ejus disciplinæ rigor, & exemplum, solutioribus in licentiam sæculis, obliteraretur. Non igitur, quare hoc aut illud jussum? sed quia jussum, miles pensum habeat.

In regimine belli aut togæ positus (immò domestica dùm probè disponere vis) cavebis, nè rerum perficiendarum singula, ad te unicum voces, & te statuas, unicam agendorum animam, frangeris enim, nec perficies, sine adjutoria, immò dicam, sine commissoria manu. Rebus ideò singulis, curatores singulos (qui præsertim agendi vigore, fide, tùm industriâ valent) præficies, credere utiquè aliquibus præstat, quàm nulli: Secùs per te facturus totum, duo incurres, ut te quoquo modo labante, aut per alia distracto, cursus necessariorum sistatur, dùm à nemine, sed à te tantùm, motum, vitam, & sanguinem res habent, deindè ut curatores meticulosos reddas, immò negligentes, nec expeditos, dùm nimis adstrictæ sunt potestatis, ad te per omnia respicientes, non liberi, sed velut manibus ligati, metu, nè actionis modus, & ratio, tibi displiceat; Sic optimè rem habere dùm voluisti, nullam aut rariùs bonam habebis. Jam parte ex altera, acuitur industria, intenditur diligentia, dùm sibi quisquè, plenus inci-

incipiendo, & exſequendo, commiſſa videt, rei benè geſtæ gloriam, non ad alium, ſed ad ſe tracturus, vel ſecùs erroris, paſſurus indubiam cenſuram. Aliàs dùm te habent aſſiduum ſpectatorem, vel adnotatorem, verbis & mandatis, impertinentèr ad ſingulos motus obſtrepentem, excuſabiliùs tunc errant Præfecti, immò, commiſſis erroribus (damno ſuo, vel periculo) lætantur, modò imperantis detegant inertiam, & arguant importunitatem, qui omnibus diffidis, aut importunè ſuccenſes, aſſiduo rigore, amiſſurus in poſt, jubendi authoritatem, & apud tuos amorem, quàm ut proficias in melius. Abſit tamen, te otioſum, & titulum regiminis penes te, rem penes alios ut velim, velut pupillum, ab aliorum manibus & cura, totum exſpectantem; Verùm attendas ad ſingula oportet, ſed ea ratione, ut Superarbiter ſis agendorum, ſciant Præfecti & vereantur, te affuturum, cum prudentia & *authoritate*, pro merito transacti operis cenſorem, vel laudatorem.

Jube videlicet, hoc vel illud factu, modum ex voluntate, & ſcopum tractandorum innue, viam, velut intento digito monſtraturus, ſed exſequenda, arbitrio tùm fidei curatorum relinques, præſertim quos exactæ virtutis & prudentiæ, *dudum ante probatos* officio delegiſti, ut agant, pro opportunitate liberiùs, incipiant, finiantvè; Dùm enim parvis momentis res conſtant, & variantur (quæ non ſatis prævideas ordinando) non difficilè modò, ſed periculoſum, ad præſcriptum juſſorum, alligari velle, & per omnia componi, niſi aliquid arbitrio exſequentis, tùm prudentiæ relinquatur. Unicuiquè deindè, pro ſuo ingenio, diverſus modus agendi ineſt, lentè aut properè, ſuavitèr vel per rigorem, inſtando vel diſſimulando, immò velut aliud agendo, negotium aggreſſuris, modò ut intentum exſequantur; Quæ turbes & præpedias, ſi ordinatio jubentis, cum natura exſequentis non conveniat. Scias verò, per omnia, ſuavitate juſſorum, lentè plura perfici, *cum authoritate* quàm impetu verborum, tùm actionis, rebus dùm obſtrepitur.

Vix improbaverim barbarum olim, Gallorum morem, humaniore utiquè pœna, hodie temperandum, contra impromptos belli, ad edictam caſtrorum diem, ſero venientes. *Armatum Gallis concilium* (Julius Cæſar de bello Gall. lib. V.) *indicitur, quod eſt initium belli, quo, lege communi, omnes puberes armati, convenire coguntur, & qui ex iis noviſſimus venit, in conſpectu multitudinis, omnibus cruciatibus affectus, necatur.* Eo fortè inſtituto, dùm quiſque vitandæ pœnæ proſpicit, nemo ultimus, ſed ſimul omnes, præſto ut adeſſent.

Tandem coronidis loco, ſparſim per ſingula puncta, quæ dixi, ſummatim Polonis meis notanda, in pauca conferam. Vincibilem vix ſperarim, militis Poloni virtutem, priſcæ modò militiæ, quatuor ſi reducantur. 1. Eques ſine haſta longiori, & thorace ferreo, ſcutovè nè militet. 2. Ad quamquè turmam à tergo, à lateribus, utrinquè bini, ut adſint hortatores prælii, & correctores ordinis, adverſus præliorum ſubita, advertendo prompti. Nè ſpartim, ſed globati in hoſtem ſui procurrant, nè victos effusè, laxatiſvè ordinibus ſequantur; Pepuliſſe campo, animum hoſti dempſiſſe, ſatis putantes; Contra Turcas præſertim, Scythaſvè & alios, quibus cedere prælio, ad ſolvendos ordines hoſtem provocare, terga dare, non metus aut vitium bellandi, ſed pro equorum pernicitate, ars eſt, fugiunt, ſparguntur, recurrunt, globantur; Victores per inſolentiam prælii, incuriamvè ordinis, longiùs provolantes, ſæpè iterum vincunt. 3. Frumentatio, pabulatioquè, nè per ſingulos milites ſparſim, proquè libitu, ſed per deputatos turmarum, in commune legionis alimentum, procuretur dividenda, nè dùm ſinguli ſibi, in partem inordinatò trahunt, univerſis deficiat. 4. Homines gente, *Veſtituquè* peregrini, Polonam in militiam (neceſſe tamen retento pedeſtris phalangis ordine) nè conducantur, ſed immò procul abſint. Sic potentia & virtus priſca, rectè conſtaret, confuſio præliorum abeſſet, promptiùs reparanda, vanus impetus, temeritaſquè cohiberetur, nè dùm victis inſtando laxantur ordines, dùm effuſis frænis, longiùs à ſuorum auxiliis procurritur, obverſo iterum ex arte hoſti, victoria concedatur, ſæpiùs ad noſtros, concurſu primo inclinata. Non vaſtaretur Provincia ſubminiſtrandæ annonæ, gerendo per cunctationem bello diu ſufficiens. Deniquè minor oppreſſio, à ſuis patriotis, in ſuos Polonos foret. Exteri, non tàm modeſti, nec belli, *Togæquè præſertim in momenta*, tàm fideles, ſed immò adverſi periculoſi.

PUNCTUM SEXTUM.

Quomodo evocandus hostis Cunctabundus?

Simulabis noctu fugam, hostem ut evoces, aut vigilandò fatiges. Dein ex insperato aggredieris, pro fiducia negligentiùs agentem.

Finges epistolam intercipiendam, quà redire jubetur tuus exercitus, quo fiduciam ingeras. Vel famam sparges, novis rebus in Patria exortis, te revocari, securus ut reddatur hostis, invasioni expositus.

Mitte ad hostem, specie paciscendi, ut abire tibi incolumi liceat, sic vano metu, securum reddes.

Profectionem (in speciem fugæ) noctu simulabis, interim in saltu occulteris, insidias structurus, quibus hostem involvas. Ait Vegetius, *Adversus fugientes, sequentibus major audacia, sed minor cura inest, dùm contemptim sequuntur.*

Ab hostili velitatore literas finges, ut sibi circumvento, auxilia mittantur, sic elicies partem hostium, ex castris.

Pauci mittantur, hostium pecoribus aut equis, è pascuis intercipiendis, pabulatoresvè redeuntes, hostium sub aspectu, ut invadant, reliqui latitent in insidiis.

Ficto hostili vestitu, aliqui cum tuis velut dimicent, eliciendo hosti in subsidia.

Simulabis noctu, castra tua accendi, interim à tergo hostilium castrorum, insidias structurus.

Abitu simulato, negligentiam vigiliarum in obsessis facies.

Suburbia incendenda, sic effusi ad extinguendum, circumvenientur.

Similitudine vestium, aut vexillorum, hostis elicitur, ut si propè castra hostium accedas, in speciem redeuntium ex velitatione; Lentè verò & intrepidè faciendum, quò màgis imponatur facto veritas.

Sæpè

Sæpè versus hostica procurres castra, de industria retrocessurus, ut contemnaris, interim si hostis prosiliat, à tergo invades.

Hostium terram, per te, vel tuos socios, populaberis, ut evoces cunctantes, in defensam suorum.

Loco commeatus adventantis, milites curribus abdantur, in elusionem hostis, & insidias.

Retrocedes in speciem lentè cum exercitu, quasi desperabundus, interim tumultuariò revertaris, insperatum ut obruas hostem. Quod quatuor diebus abeundo confecisti, una die cursim revertendo, confice ex insperato.

Tuos vestibus hostium indues, alios item tuorum amictu, velut vinctos, hostium castra propè, agere imperabis, dein utriquè, in inopinatos hostes, impetum faciant.

Sparges famam inter hostes, de te Duce mortuo, vel ægroto, quo contemnaris, velut invalidus.

Muliebri veste, tecti milites, imberbes, olera (vel quidvis vendentes) fallunt hostem. Dein captivæ velut fœminæ, aut ruricolæ, si ducantur, hostium propè castra, pecoribus interceptis intermisti.

Quidam Dux, spe objectæ per incuriam prædæ, elicuit hostem, latitantem intra fossas castrorum.

Cunctantem hostem, præsertim si non audaculus erumpendo, nequè agilitate equorum pugnat (ut sunt Germani & Moschovitæ) poteris obsidere in castris, prælium volentibus negando. Eò superior futurus, cum equite tuo, claudes omnem victualiorum commoditatem. Germani præsertim, in castris si obsideantur, diutino tempori, cibariis non sufficiunt, qui nisi molliùs vescantur, epidemiâ facilè laborant, nec tàm sunt providi, tùm ad injurias cœli obdurati, ac noster miles. Circumvallationi verò, si non sufficias, coges vicinos ruriculas, ad fossilia. Sed vide, ut hostem obsideas, eo loco, qui tibi planitie commodus, hosti verò incommodus, aliàs, curabis eum evocari, in apertiora; Eo consilio cunctationis, certum est, sine vulnere conficiendum fuisse, inter paucos dies, Suecum apud Varsaviam, dùm omni commeatu, vacuus venerat, desperatione màgis, quàm consilio pugnaturus, si prælium volenti, negatum fuisset, commeatu

modò

modò impediendus, pro multitudine equitum nostrorum, se undiquè circumfundentium.

Media parte tuorum educta in aciem, provocabis hostem, quo impotentiam tuam arguat, ex contemptu aliquid tentaturus, tùm prosilientem in pugnam, tota vi aggredieris.

Cæsar, nulla ratione ad pugnam elici posse Pompejum existimans, commodissimam belli rationem adinvenit, ut castra, ex eo loco moveret, semperquè esset in itineribus, sperans, ut movendis castris, pluribusquè adeundis locis, commodiore frumentaria re, uteretur, simulquè ut in itinere, occasionem dimicandi nancisceretur. Insolitum ad laborem Pompeii exercitum, quotidianis itineribus fatigaturus. Quod eò commodiùs fieri poterit, si hostis, multa impedimenta, post se trahit.

Metellus, contra subdolum Jugurtham bellum gerens, cùm vidisset, minore detrimento eum vinci, quàm suos vincere, statuit, non præliis, nequè acie, sed alio more bellum gerere. In loca Numidiæ opulentissima pergit, agros vastat, oppida capit, incenditquè, puberes interfici jubet, quæ omnia, multò magis, quàm prælium Jugurtham terrebant, ut qui pugnare antea noluerat, jam sequi cogeretur.

Subsistes castris in speciem, velut pernoctaturus, quo securum reddas hostem, præsertim in proximo degentem, ignes suscitabis, tabernacula pones (faciendæ fidei) dein horas intra duas, ex insperato convasatis omnibus, mutabis locum ad dextram, sinistramvè, aut post tergum hostium, repentè abiturus, quò securus ex inopinatò perficias, quod voluisti.

Quidam, seu impar committendæ pugnæ, seu elicere hostem in opportuniora & in pugnam, cùm non posset, velut fugiturus, convasatis omnibus, eduxit exercitum, & in insidiis opportunè consedit, subornato transfuga, qui hostem de fuga præmoneret. Quod ille pro vero accipiens, in contemptum hostium, plenus bonæ spei (eòquè minore ordinis cura) tumultuariò ad insequendum castris effusus, in insidias præcipitatus, planèquè deletus est.

Urbem, aut Provinciam, cujus amore vel respectu hostis tenetur, adoriaris è proximo, quò impatiens jacturæ, tùm dedecoris, ex

ex latibulis protrahatur, prælium nolens volensquè initurus, cunctationis affectatæ oblitus.

Rectum illud Furii Camilli Proconsulis Africæ, contra Numidas & Mauras, factum legitur (*apud Tacitum Annal. 2.*) Cùm fortè bellum tracturi, prælium vitarent, *legionem unicam, & quidquid sub signis sociorum, in unum conduxit, modicam manum (si multitudinem hostium spectares) sed nihil æquè cavebatur, quàm nè bellum metu eluderent, spe victoriæ inducti sunt, ut vincerentur.* Paucos igitur tuorum, sed delectu fortissimos, studiosè objicies cunctanti hosti, paucitatis contemptor, eòquè incautus, minore ut provisu, ruat in prælium.

PUNCTUM SEPTIMUM.

Quid ante prælium agendum.

SI tumultuarium militem collegiſti, nec diu ſtipendiis, commeatu aut imperio, eum retinere potes, propera pugnam. Si verò talem militem apud hoſtem credis, ſuper hæc delicatum, ſumptuoſum, trahe in hyemem, moras necte, in terram non fructiferam elice, aut depopulatam, præſertim ſi peditatu abundas, hoſtis verò equitatu.

Conſilia veteranorum, cœptis adhibe, meliora verò exſequere, non velut *Pætus* apud Tacitum (lib. XV. Annalium) *Eludi Parthus, tractu belli poterat, ſi Pæto, aut in ſuis, aut in alienis conſiliis, conſtantia fuiſſet, verùm ubi à viris militaribus, adverſus urgentes caſus, firmatus erat, rursùs, nè alienæ ſententiæ indigens videretur, in diverſa, ac deteriora tranſibat.* Tùm illi Duces Ottonis, contra Vitellianos, quibus ante prælium, tutiora ſuaſerant, *Celſus & Paulinus*, ſed quia ab eorum opinione diverſa (*verba ſunt Taciti*) *Titianus & Proculus, cùm conſiliis vincerentur, ad jus imperii tranſibant.* Sunt enim quidam temerarii, aut ſuperbi, qui diſcurſus causâ, aut expiſcandarum mentium gratiâ, conſilium bonorum (*immò approbationem, vel aſſenſum, non conſilium*) in ſpeciem petunt, nihil tamen eorum exſequuntur, ſed faciunt, ut conſuluiſſe videantur, curioſitati conſulunt, non rei; Non ſatis verò conſilium petere, verùm in eo res eſt, ut bonum ſeligas, nec tibi ſuperbia obſtet, quò minùs aliena, dùm bona, ſequaris. Non verò ſic proditur imprudentia, ſed potiùs æquanimitatis & modeſtiæ ſignum, aliorum prudentiâ, in ſuum conſilium ſcire non abuti. In reliquo, circa conſilium belli habendum, attendes ad monitum *Vegetii; Nè confidas, ſi tyro prælium cupit, inexpertis, dulcis eſt pugna, & noveris te oportere differre, ſi exerciti bellatores, metuunt dimicare.* Ignaviſſimus quiſquè, & in periculo non auſurus, ſæpè nimii verbis, linguæ feroces, in oſtentationem. Potiùs eorum conſilium ſequeris, *quorum rationes, politiam & praxim, non*

ſcho-

ſcholam & entia ſapiunt. Quantùm verò ad conſilium, de ſumma belli habendum, penitiùs noſcenda erunt Duci, conſultorum ingenia, prout ad pacem, vel bellum, naturâ inclinant, ex uſu publico, non privato reſpectu loquuturi, nè pompoſis ſuaſionibus, in devia abripiatur. Aliqui enim, dùm togatis niſi artibus valent, curiæ alumni, & habent exindè fructum, tùm authoritatem, fugiunt quoad poſſunt, diſſuadereque conantur, arma & bellum (licet aliàs ex publica neceſſitate opportuna) velut materiam ſuis artibus, & parandæ famæ ſterilem, quò magis verò ſunt perſuadendo ſubtiliores, eò belli artibus periculoſiſſimi, nè, dùm primi inter togatos fuère, quantùm authoritatis pæperêre ſibi, totum in caſtris amittant, dùm detegitur hoc in genere actionis, inertia, nèvè poſthabeantur. Viris militaribus (præſertim ſibi æmulis, aut quos in pace offendêre) in gratia Principis, cujus demerendis favoribus, ampliſſimum campum, bellorum neceſſitas, & pericula, fortibus aperiunt, qui bello, velut congenito ſibi elemento, niſi commodè vivunt, dùmquè pax illis ſterilis & ingloria, quid mirum? ſi in conſilio movendi aut finiendi belli, bellum ſtatim, pro genio ſuo, & aſperioriora loquantur animosè, ſuadeantquè, nec finem planè armorum optent, cupidine gloriæ, & parandorum Principi triumphorum, curiam, ut ſibi ſterilem, odio habentes, togæ verò conſultores (aliàs in movenda temerè bella, non præcipites) ignavos, timidos, otioſoſquè vocantes, & intempeſtivos oratores, quibus obtegendo metui, & colorandæ cautioni, pro ſubtilitate, nunquam deſint rationes. Ut verò Medici, per morborum caſus, artis medicæ præſtantiâ inclareſcunt, à benè valentibus contemptim prætereuntur, ſic viri fortes, parandæ famæ, niſi bella optant, nam *militares artes, per otium ignotæ, induſtrios ac ignavos, pax in æquo tenet.* Quæcunquè igitur, æqua, iniqua cauſa, turbulentorum, pacatorumquè inciderit, arma ſtatim hi, velut caſtrorum filii, pro animi valore aut ferocia, illi priores, curialis ingenii viri, per quieta niſi valentes, pacem ſuadebunt, nec diſſuaderi unquam patientur, cum paſſionatis, aut contentioſis, ratio nulla ſatis, non quia mala, aut non ad rem, ſed quia non ad inclinationem. Velut noſtra ætas, eam diverſitatem ingeniorum, artiumquè aſpexit, in *Georgio Oſſolinskio Can-*

 cella-

cellario Regni, & *Jeremia Duce Visnioviec kio*, Palatino Russiæ, hic uti Martis pullus, & delicium castrorum, nisi arma sopiendæ *Co-Jacianæ* seditioni (verè pro natura publicæ pacis) suadebat; ille prior, filius togæ, curiæ nisi artibus valens, primamquè inter quieta tenens authoritatem, quidquid priùs in speciem pacatorum arripiebat, obtendendo pericula, ut à bellicis modò declinaret, præsertim dùm æmuli *Visnioviec kii*, rectissimi aliàs, nec sine honore nominandi viri, per bellica crescentem famam & potentiam, suspectam, nec satis amicam haberet; Sed utrorumquè, uti per sua munia magnorum, ad famam nominis, mentio facta sit. Notum etiam, inter Galliæ bellatores, Marschalci *Bironii* dictum; Cùm ejus filius, promptiùs agendo pro victoria, velut ad finem belli inclinaret (quod ille trahi fortè, ut iners togæ, osor pacis cupiverat) per indignationem conversus ad eum, inquit. *Si bellum fortè finiatur*, *desertâ togatâ aulâ*, *suis artibus adversa*, *iturum se domum*, *plantatum caules.* Princeps igitur, seu belli Dux, pomposis consultorum rationibus, nè decipiatur, utrorumquè ingenia, dein rei naturam consideret, principia, media, finem pensaturus, nè difficultate incipiendi terreatur, aut in mediis hæreat lassus, dein eventu confundatur, potiùs eorum consilia probet, qui pacis belliquè, vacui sunt privato à respectu, sed è publica utilitate, possibilia suadent. Velut in eo valent, universalia utrarumquè artium, *togæ* & *belli* *ingenia; Sed tales viros, uti rariùs aspexit orbis, eò màgis, Princeps eos æstimabit, & sequetur, velut divinitus, in gratiam universalis boni, & populorum commodo, datos. Verùm adhuc in particulari, pensandis consultorum ingeniis, necesse advertere, ad subtilitatemnè màgis (consulendo) vel minùs? vel ad modestiam, inclinant. Aliqui enim, tantâ perspicaciâ, & rectæ mentis, tùm animi vigore, tàmquè forti imaginatione valent, ut quidquid consulendum venerit, velut arithmetices periti, ad singulas numerorum objectiones, ex verò, nec addubitantèr promptè respondentes (admirantibus artem, qui rudi, per digitos numeratione, rem transmittunt ipsi, & tandem assequuntur) superficialibus non immorentur, nec supernatent, verùm ipsa rerum fundamenta videant, velut ex dudum ante præmeditato, vel prævíso (nam etiam ex causis secundis, multa præ-

* *Vide Moralia mea Parte tertiâ.*

prævident) promptè decernentes, facilia, difficilia, inopina, intricata, æquè præsenti recollectione, & sine labore habituri, immò familiaritèr, & jocantium adinstar, totum expedientes, ut nihil novi illis videatur accidere. Non patiuntur adversis confundi, in obstantia spontè vadunt, respondendo graves, persuadendo facundi, tractando amæni, ideòquè, si declinaverint in contrarium, multò màgis in publicum sunt periculosi, nàm facilè illis creditur, opinione prudentiæ, dùm infascinaverint vulgi animos, præsertim quibus, fæcundioris ingenii beneficio, *genus orationis inest*, *ad implendas populi aures*, *latum & sonans*, nihil eos in cursu operis sistit, sed potiùs inter adversa, spe & animo eriguntur, velut si periculosa & intricata, parandæ gloriæ, materiam ferant copiosiorem, probandæquè prudentiæ, tùm virtutis. Nè dixerim, spontè rerum difficilia & turbida optant, cujusvis ausus capaces, fortunæ suæ parere cuncta rati, præsertim si aliquoties rebus adfuit, & successit actio, undè pro animi impotentia, insolescant. Novorum & impossibilium cupitores, aliisquè pro subtilitate persuadere conantur, asperitatem rei, lenitate vocabuli temperantes, velut soli per adversa vadendo, Magistri. Quia verò talia ingenia, plerùmquè sibi nimis fidunt, velut infallibiles agendi maximas, exindè statuunt, inquè superbiam facilè vertuntur. Nisi indulgentia rectoris naturæ, adsit, congenita moderatrix modestia, socios actionis non ferunt, impedimentum velut habituri, & ligari putantes, si non soli præponantur rebus agendis, cujusvis consilii, quod non à se venerit, negligentes, vel quod pejus, contentiosè improbantes, jocisvè eludentes, cùm detrahi sibi putant, quod rectè dictum, aut factum per alios. Ideòquè pro superbia, quàm pro rectè agendis, sæpiùs laborant, vel ni succedat, rebus, sibiquè ipsis indignantur, & abeunt in contrarium, loco constantiæ putantes, perseverare in malo, nè fateantur errorem: Quæ potiùs, pertinacia, vel occulta superbia, vocanda est; Volunt sibi totum credi & concedi, pro ardore animi, moræ & eventus impatientes, superiorem vix ferunt audaculi, ut data occasione, facilè contra insurgant, facilè offendantur, molles nimiùm & delicati contactu, undè facilè insolescunt. Talia ingenia, non possunt, nisi graviter errare, quod fit

fit propter nimiam vivacitatem elatioris ſpiritus, animiquè ardorem, ſeu propter exſuperantem conceptuum fæcunditatem, ut neſciant, niſi in extremo boni aut mali ſiſti, *prout animum intenderint, pravi aut induſtrii*; velut de fertilitate Ægiptii ſoli, cuidam obſervatum, *quod perfectiſſima medicamenta ferat, aut perfectiſſima venena.* Niſi verò, ab aliis moderatioribus ingeniis temperentur, ferè ſunt in publicum, pace, bello, periculoſa, præſertim ſi in ſupremo Magiſtratu poſita, & ſint in ſui plena poteſtate, ideòquè cautè, officiis adhibenda. Quodſi (quod rariſſimum) adſit illis ex virtute modeſtia, ut aliorum conſilia, tùm rectè facta, non dedignentur, ſua exindè moderaturi, univerſalia, tùm inæſtimabilia ingenia, vocaveris, proximèquè Divina, nam miros pariunt effectus. *Alii deindè* paulò ſunt hebetiores, per ſe rem planè inveniendo, & mediocris ingenii, plùs tamen modeſtiæ ſæpè habent, loco prudentiæ putantes, ſi aliorum rectè conſulta dignoſcant, ſcientèr cum virtute exequuturi. Non enim illis obſtat, contraveniendi ſuperbia, conſciis, quod per ſe, non probè totum poſſint, ideòquè ſocios actionis, lubentiùs ferunt. Et evenit, velut hebetiori utentibus viſu, qui niſi per benè explorata, lentè, ideoquè ſecurè vadunt, illos priores, excæcat ſæpè ardens ingenium & temeritas, ut niſi currere in res cupiant; Undè ſi parùm titubent, pro impetu, graviore caſu ruunt; hi ſecùs, tardiores ſunt agendo, verùm ſecuriores, & rariùs falluntur; non præſumptuoſi, facilè alios in conſilium vocant, & patiuntur. Conducibile tamen, horum frigiditatem (ſeu teporem) cùm illorum priorum ardentioribus ingeniis, in temperamentum adhibere, velut acutas voces, cum gravibus, meliori tono & reſonantiæ, aptiùs miſcueris; Tales quidem rariùs, magnarum actionum, ſunt per ſe capaces, ſed etiam rariùs, magna vitia ferunt, & regendo, vix prioribus non ſunt præponendi, & commodiùs Præfecturis admoveantur, dùmmodò adſit rectum judicium, nec abſit (lenta licet) rerum moderatrix prudentia, praxis verò perficiet totum; Cautiores item ſunt, ex non inſolenti diffidentia ſui, adverſi ſucceſſus patientiores, perſeverando (dùm lentiùs agunt & appetunt) conſtantes, obedientiæ tolerantes, ſuperioris juſſorum executores accurati, non interpretantur, nec quæſtiunculis ſuper mandatis ludunt, ſed quò rectè duxeris, ſequuntur, nec franguntur animo. Illi ſecùs ingenii prioris, pro ardore promptè habendi ſucceſſus, ni cupita obtineant repentè, dedignantes, cœptis deſiſtant. Vel ſi nimiùm inſtent, & ſe totos in actionem effundant, laſſati, citò frangantur, nam intenſo actui, diù ſufficere non poſſunt, niſi totos pro ardore ſe conficiant. De *ingeniis Stoicis*, nihil dictum feram, de his abundè alibi (*in meis Politico-Moralibus*) tamen eſſe nimis periculoſa, vel obitèr intimandum, nam ex occulta (quam ſibi elato, ſubtriſtiquè ſupercilio, tùm facie meditabunda, adſtruunt) gravitate, *quæ ſpecie modeſtiæ, palliata ſuperbia verius eſt*, admirationem ſui, apud ignorantes, & venerationem, facilè conciliant, authoritatem ſententiæ impoſituri, ad perſuadendum; Agere ſedulò aliquid videntur, dùm nihil agunt, immò otiantur ſedulò, pompatica in rem dicere amant, quaſi reſervantes aliquid magnum acturi in poſterum, undè nihil, præterquam (velut de montium partu, lepidè quidam) *naſcitur ridiculus mus.* Deniquè dantur alii; In quorum ingeniis rectè formandis, dùm contendiſſet natura, velut opere laſſa, complendo totali, appoſuit plùs vel minùs de ſtultitia, ut etiam ſint màgis, vel minùs, manca, confuſa; Undè talium opera, opinione ſui, primoquè aſpectu, pleroſquè fallunt incautos, dùm ſpeciem prudentiæ habent, incipiendo, ſed finis, ad ſtultitiam inclinat. Non expenſis exequendi rationibus, magna temerè moliuntur, mox laſſi, deficiunt; Ideoquè vitandi, præſertim ſi quibus admiſta temeritas, & præſumptio ſui, grandem enim moleſtiam, rebus, & perſonis faceſſunt, nec ſuaderi, nec corrigi patiuntur, ſed immò, dùm ſibi complacent aliis ſuccenſere amant, & recta (pro importunitate) impediunt, irritant, confundunt. Tales, quò màgis artium ſtudiis, parandæ prudentiæ imbuuntur, eò graviùs & ſubtiliùs errant; dùm pro fæcunditate ingenii, multa illis obverſantur, dùm in varia feruntur. Circa dicernendum verò, ſpecioſa captantes, potiora omittentes, recto carent judicio.

Placitum aliquibus, miſtim ſenes, junioreſquè conſiliis adhiberi, ut juniorum præcipitantia, tarditate ſenum temperetur. Nam ſi juniores ſoli conſulant, ſpecioſa magis, tùm magnifica, (velut nunquam à fortuna decepti, & caſuum ignari) pro impetu & teme-

meritate, quàm tuta decernunt; ſi autem ſoli ſenes, in conſilium vocentur, rebuſquè præſint, frigiditas eorum, tùm phlegma, periculum, nè ſæpiùs timida tardaquè, in ſpeciem *cunctationis*, *& cautorum*, in conſilium ferat.

Secretum tene conſilium, & quod non procul abeſt, ſis taciturnus, verùm ſecretorum tenacem aliquem vides? falleris; quomodo alter tibi fidelior? quàm fueris ipſe tibi. De Epaminonda olim dictum. *Non fuit qui plùs ſciret, & loqueretur minùs.* Et noſtri laureati Poëtæ *Kochanouskii*, eò valet apophtegma, dùm inducit dictum, ſcurræ cujuſdam aulici, qui totâ aulâ Polonâ, non magis mendaces haberi aiebat, *Gamrato* Archiepiſcopo Gneſnenſe, & *Macieiouskio*, Epiſcopo Cracovienſe, hic cùm omnia ſciret, nihil ſe ſcire aiebat; Ille cùm ſcire ſe totum affirmaret, nihil penitùs ſciebat.

Provide priùs, nè vincaris, tùm proſpicies de mediis, quibus vincas.

Exploratores, ſint tibi fideliſſimi, nulli ſumptui parcendum, ut non tantùm in caſtris, ſed in curia hoſtis Principis, habeas fidos coryceos; præſtabis verò, ſi aliquos ignotos, pretio corrumpas, ſervitia hoſtis Principis ut ambiant, tibi omnia relaturi. Præſertim verò, ſi in externam Provinciam movendum tibi bellum eſt biennio ante præmittes, aliquos fideliorum, architecturæ militaris gnaros, mercatorum, vel peregrinatium, ſervitiivè ſub ſpecie, qui provinciæ interiora, ſaltus, viarum compendia, commeatuum opportunitates, Urbes, Munimenta, eorumque defectus, inſuper animorum inclinationes, conſilia, amicitias, vel ſecùs Civium offenſas, pedite, equite, terra, mari potentiam, pernoſcant. Immo delineationem Geometricam, particularium locorum, munimentorumque facturi, undè conſilium bellandi, non ex incognito capiatur. Quod ſi negligas, involvi periculo, & Vinci, quàm Vincere, ſit tibi promptiùs. Illud quoque, in conſiderationem venire debet, ut omnia fortunæ blandimenta, ſuſpectiſſima Victor habeat, in externo. Multis in occaſionem fuit occidi, citò viciſſe, occupaviſſe totum, & diſtraxiſſe ſuas vires, per longinqua. Præſtat in paucis aſſecurari, quàm per multa diffundi: Prudentiùs agunt, qui ponentes fortunæ ſuæ

ſuæ ſponte modum, rependo velut, in occupatis pedem prius bene figunt, nec quæ offeruntur, ſed quæ retineri certò poſſunt, occupantes, reliqua in ſequentes annos, ultrò repoſituri. Cùm nec ſtomacho conducat, violenta ciborum repletio, prioribus non bene digeſtis. Si igitur rectè conſultum cupis, non unius æſtatis, bellum externum putabis, ſed annorum.

Speculatores aliquid dùm nuntiant, non ſtatue ſtatim, ſed rem examina, & cogita, homines eſſe qui nuntiant, poſſe ideò falli. Non tamen ut Vitellius (*apud Tacitum*) *Fractis, apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultans, ſtulta diſſimulatione, remedia potiùs malorum, quàm mala differebat.*

Augendus potiùs coram ſuis, quàm minuendus hoſtium numerus, ut aſſueſcant terrori, & contemnere magnum hoſtem diſcant, poſtea verum numerum, indicabis ante pugnam, minorem famâ, quò magis redeat mens, ad certam victoriam ſe recollectura, ſi fortè primo rumore confundebatur. Longa laboris ac periculi meditatione, periculum laborquè familiaris ſæpè redditur; & redit tandem quæ abiit virtus, tùm audacia.

Conſultum fuerit, militiæ Præfecto, in hoſtem ituro, ut omnia difficilia, periculoſa, immò majora vero (quàm fortè ab hoſte apparantur) imaginetur, arma, numerum, artes bellandi, ſtratagemata, prudentiam hoſtilis Ducis, itinerum aſpera & inſidias, ut provideat maturè, quomodo? ſit è re ſua viciſſim occurſurus; ſic tria obtinebit. Non terrebitur novo periculo, quod prævidit animo, facilè difficillimis occurret, cùm de remediis ante proſpexit; vel demùm ſi minùs periculoſa inveniat, quàm ſperabat, majore fiducia rem aggredietur, facilè eluſurus, vel ſuperaturus, qui contra majora, erat non imparatus. Qui verò ſecùs facit, leviuſculè extenuando, quæ ſunt pro hoſte, & contra ſe, aut iis temerè confidendo, quæ à ſua parte, contraquè hoſtem apparantur, impinget imparatus, quibus ex improviſo terreatur, nec poſſit, niſi cum magna ſanguinis impenſa, eluctari, tandemquè dicat imprudens *NON PUTARAM.* Sæpè inconſulta temeritas eſt, cùm audaciam putamus, aut ſecùs, bonis prudentia & conſilium dicitur, quæ audaculi, metus ſuperflui nomine, temerè nobis exprobrant. Velut aptiſſimè reſpondit ille, cauſam quærenti

renti

renti curiosè, & addubitanti, utrùmnè adversarium tantoperè timeret? qui sic ante tempus armaretur. *Non certè* (inquit) *sed facienda facio, nè timeam.* Cavendum igitur maturè, sibiquè per omnia providendum.

Adige sacramento milites, in tui fidem, & hostium necem, immò in ipsam hostilitatem.

Ante generalem pugnam, experimentum cape novorum militum, per minora prælia & velitationes, item simulatione adventus hostilis, quod necessarium putabis, excitandæ suorum alacritati. Eas tamen velitationes permittes, ubi certa spes victoriæ, omnis suspicio periculi absit, nam secùs confident animo tyrones, reliquæ pugnæ, inepti reddendi.

Occasiones observa, oblata casu, verte in consilium.

Si hostis ducit secum aliquas belluas, assuesces equos, falsis formis belluarum videndis. Elephantes aut camelos, ex coriis consutos circumduces, intrò homine abdito, ad æmulationem motus. Huic cùm non esset maturè provisum, ab Uladislao *III.* nostro Rege, supervenientibus ad *Varnam* Turcis, cum ingenti numero camelorum, quorum odore & aspectu, equi Polonorum territi, ordines suorum turbarunt, undè subsecuta strages. Si tamen camelorum aspectum, equi nullatenus ferre possint, nec alia ratio vitandi habeatur, facturus impetum, oculos equorum obligabis, satiùs utiquè, cæcum impetum, eques quoquomodo freno recturus, quàm ut planè abhorrentes, in hostem impelli minimè possint, sed in partem periculosè ferantur.

Novello aut turbato exercitu, debiles primò aggrediendi, ut facilitate vincendi, trepidi militum animi, in posterum firmentur.

In defectu hastarum, quibus Polonus eques agit potentissimè, possunt aptari, teneræ abietes longiusculæ, quæ ad temperatum calorem ignis, tùm æstum solis, siccabuntur decorticatæ, aptata levi cuspide, & cavato commodè manubrio, hoc enim genus arboris, leve gestatu, & longiusculè per directum crescit.

Vehementem & avidum pugnæ hostem, morâ & cunctatione trahe, sic Fabius Annibalem confecit intra montes, (dùm imparem se vidit) abscedendo. Proximè tamen hostem versabatur, ostentando prælium, in occasiones intentus. Quid si te provocat hostis? quid si ignaviam exprobat, non ideò officium boni Ducis exues, verùm contemptor inanium verborum, in res modò intentus eris. Nihil stultiùs, aut leviùs, quàm authore hoste, manus conserere, ad ejusquè arbitrium atquè libidinem, summæ rei fortunam periclitari. Tenebis potiùs te, opportuno loco, & ferocem hostem cunctatione ludificabis.

Etiam vana auguria futuræ victoriæ, ad erigendos animos militum, evulganda, quæ plurimùm prosunt. Sic Alexander Magnus, obsidendo Tyrios, speciem Herculis, manum & lauream per insomnium sibi porrigentis, militibus denuntiavit.

Auxiliares ab hoste avellendi, simulatione tuæ in eos amicitiæ, ad amicabile colloquium, in speciem provocando, literis familiaribus compellando, vel promissam fidem exprobrando, præsertim si intercipiendas literas mittas, neglectim in speciem.

De fædere agendum maturè, antequam vires cognoscat hostis, & superbus reddatur, ideò simulanda omnia tibi fortiora, ante paciscendum.

Nunquam in aciem descende, quin priùs offeras pactionem.

Ad vada, saltus, littora, montes, observa hostes adventantes.

Dùm castra propè hostem posueris, non statim dimicationi studebis, donec experiâre, quæ vires illius, quæ alacritas, quæ intentio, interim occasionem quæres.

Sub prætextu legationis, positio hostilium costrorum, & vires noscuntur.

Si periculosè rumores feruntur, non fide aut diffide, sed in locum rumoris fidissimos mittes, qui resciant.

Consilium bellicum petendo, non aperi quid ipse in re sentias, ut censendi, non assentiendi des necessitatem.

Ne terrearis, terre licet in speciem, obsidionem & prælium minitanti hosti, potiùs tu miniteris, per transfugas debiliora castrorum, quasi rimando, ut per conversionem terroris, distineas hostem. *Nisi terreri vis, terre. Terrent nonnulli, ni paveat.*

Levioris armaturæ miles, agilitate promptior, assultando, sequendo, ideò nonnunquam hastatos equites, consultum fuerit, hastas deponere.

Cultus armis & veſtitu miles, eſt æſtimatior apud hoſtem, magnanimitatis enim, non ignaviæ, aut abjecti animi ſignum, cultum eſſe.

Rem difficilem dùm vis aggredi, denuntiabis militibus, difficilia te velle tentare, in ſpem eorum virtutis, ſi te non ſequantur, vel te ſolum Ducem iturum.

Vide, an tutiùs ſit, per velitationes diſtinere hoſtem, quam certare prælio univerſali, & in aleam belli rem mittere, præſertim ſi inferior es.

Potiùs ſuaſerim difficilia cùm tentas, non per cohortes mittatur miles, ſed deſignandus pro alacritate, fidelius operam præſtabit, quàm pro imperio.

Prudentiſſimè tunc ab hoſte ſocii avelluntur, cùm primùm adventant, nequè conjunxêre caſtra, & animos. Mitte obviam fideles, qui ſuaſu, *tùm conceſſo donativo in primores*, in tuas partes quemquè trahant. Difficilior aliàs opera, dùm jungentur, & ſociarint artes, tùm affectus. Quam in rem, oportuerit, ut Generalis Dux, ſuperfluam pecuniam, promptè ſecùm habeat, corrumpendæ adverſariorum (ac vel maximè ejus ſociorum) fidei; cujus defectus, pœnituit noſtros Duces, cùm non promptè haberent illicia, quibus abſtraherent Tartaros, à ſocietate Coſacorum, bello contra *Chimielnickium*, cùm ſe faciles ad defectionem oſtentarent.

Quidquid in ſpeculatores aut proditores expenderis, non expenſi, ſed in accepti tabulas, referendum puta, plus tibi fide vendita reddunt, quàm accipiunt.

Curabis priùs, exercitum hoſtilem ut diſſipes, quàm ut fortalitium occupes, fuſo exercitu, ſine impedimento, reliqua ſequentur.

Infimior dùm es, hoſtem terrebis, jam ſi fortior, ſimulatâ rerum incuriâ aut inſcitiâ, ſecurum reddere, eoquè incautum, in rem tuam proderit.

Specie tractatuum & pacificationis, diſtine hoſtem, antequam tui conveniant, tùm reliqua ſint parata. Mittes legatos (velut per fiduciam potentiæ) imperioſas & minaces conditiones propoſiturus, aliquando, (prout occaſio poſcit) ſubmiſſas ad protrahendum.

Celeri-

Celeritas, valet pro potentia, diximus alibi, Sic *Gaſton Foiſſeus*, pro Rege Galliæ, multa geſſit in Italia, & alii paſſim alibi. Sic intra Poloniam, *Stephanus Chimieleckius*, & *Stephanus Czarneckius*, ille *Kijoviæ*, hic *Ruſſiæ Palatini*, contra diverſos hoſtes, celeritate valuerunt, ut cùm hoſtis eos longè abeſſe crederet, videret in ſuis caſtris, per abrupta, per invia, per intempeſta, per noctis conticinia convolantes. Tamen, non cuiquè bellatori, celeritas ad victoriam prodeſt, niſi quibus naturalis, nec defatigatus, incipiendo, urgendoquè, ad furtiva prælia, tùm ex præcipiti impetuoſa, ineſt vigor. Aliàs, magnis Ducibus, conſultiùs, *Feſtinare lentè*. Præceps actio, aut multùm lucratur, aut multa perdit, citò parat, citò res amittit. Lenta vincendo & retinendo, rariùs fallunt.

In paucitate militum, ante prælii diem, è calonibus lixiſvè ſtrenuioribus, quorum noſtris in caſtris, ſtupenda copia, ſcribendi milites, per ſigna dividendi, poſt pugnam exauthorandi. Immò, per hos, laborem & pericula ſupplebis, in parſimoniam veteranorum, elicies verò, ſpe opulentioris prædæ, tùm præmio.

Non ſemper invadendus, ſed etiam, exſpectandus hoſtis.

Centuriones, pignus pecuniarum viritim ponant, à deſertioribus perdendum.

Non deſcendes in prælium, etſi propè fueris, antequam per internuntios, arguas hoſtem injuſtorum armorum, & cauſæ, exprobra violatam fidem, fœdera: Multùm ex animo dempturus, ſi injuſtitiam armorum perſuaſeris, Mitte poſthæc literas & minas, penes juſtitiam cauſæ, in aciem te deſcenſurum, & ulturum ope divina hoſtilitatem, ni ſpontè deponant arma, cedantvè loco.

Provoca hoſtem, miſſo tibicine, etſi non pugnaturus, ut animum explores, alacritatem, formam aciei videas, vexando.

Potiùs ſuaſerim, à minimis conſilium perquirendum priùs, antequam veteranorum, ſententiæ petantur, & majori libertate; ſentiant tyrones, quod velint. Aliàs, periculo offenſæ in majores, æſtimatoſquè (præſertim ſi ſint factioſi, & qui non ferunt libentèr contradictionem) ſequuntur alienam ſententiam potiùs, quàm ſuam ferunt, immò, in quoquo conſilio, tutum ſit, eum

X 3 morem

morem ſentiendi ſervare. Caveat verò belli Dux, nè contemptim habeat, malè ſuadentis dicta. *Defuturi qui ſuadeant, ſi malè ſuaſiſſe periculum ſit.*

Rebus in deſperatis, nihil periculoſiùs, quàm improperum conſilium, ut ferè plùs valeat eo caſu cruentum, quàm reſpectivum, quùm facto màgis, quàm conſulto, eſt opus. Non igitur cunctatio adhibenda, ubi perniciosior quies, quàm temeritas, nec poteſt laudari opus, niſi peractum.

Ad oſtentationem majoris exercitus, equites haſtati ſine haſtis perſiſtant in acie, haſtæ verò, aliquo ſublimiori colle (à retro) inter arbuſta figantur in terram, ſpecie haſtatorum ſubſidio ſtantium, præſertim ſi aliqua cohors intermiſceatur, pro vera oſtentatione virorum. Aut potiùs lixæ poſt tergum, ordinatim inſtructi, haſtas ipſas prehendant, velut in ſubſidium futuri.

Pridiè, ante prælium, imperabit Dux armorum, ut *miles gladium acuat, ſclopeta explodat, novitèr oneraturus*, ad promptè feriendum hoſtem. Quod ſtudioſiùs ut agatur, ſignum revidendorum armorum, dari oportebit. Nunquam eam curam intermiſſurus, antè prælium.

Quia ſub ſpecie literarum, tibicines perſonati, veniunt ab hoſte, aut majoris momenti perſonæ, cum ſpecioſis tractatibus mittuntur, non ut verè tractent, verùm ea occaſione, caſtra ut ſpeculentur, ex rerum facie lecturi, nùm per fiduciam, aut propiùs pavorem, res tuæ gerantur. Ideò quicunquè mittentur, remotiùs ſub tentorio, vel aliquo ruri, detineri eos curabis, per ablegatos potiùs tractaturus, & daturus reſponſa, quàm ut caſtris recipiantur. Si talibus miſſionibus itum fuiſſet obviam, bello contra Carolum Guſtavum Suecum, quas per tibicines fucatè adornabat, præſertim cùm Galliæ Regis ablegatum, ſuis partibus propenſiorem, nomine mediatoris, hinc, illinc, commeare redirequè ſtuderet, non patuiſſent illi conſilia, & belligerandi ordo. Sed cùm agnita Polonorum facilitate, quoſquè admittimus, & credulè percunctamur, cùm ſubornata narrentur, illius machinationes non intelleximus, noſtras prodidimus.

Qui potentes velitationes ex caſtris emittunt, ad oſtentationem veriùs, quàm pro neceſſitate facere videntur, nemò velitando finivit, aut vicit bellum, verùm ſæpiùs ſuas diſtraxit vires, militem laſſavit, confecit equos, ut poſtea nullius eſſent uſui. Potiùs miles, ſummo prælio aſſervandus, ut diutiùs ſufficiat labori indefeſſus, tùm equi. Ad percunctandam igitur de hoſte famam, tùm ad intercipiendos vagos hoſtium, non multo numero opus, verùm ſufficiant triginta, aut paulò plùs velites ex veteranis, aliàs *nequè ad fallendum, nequè ad penetrandum*, aptus erit numerus, dùm in velitatione, non aperta vis, ſed virtus, celeritas, & aſtus ex occulto valent. Faciliùs verò pauci occultari, tùm per arbuſta & valles accurrere, per ſilentium hoſti adrepere, vigiles inopinatos, intercipere poſſunt, nequè paucitate produntur, aut ſecùs pauciore ſuorum damno, & dedecore (ſi periculo involvantur) per diverſas vias eluctari poſſunt. Quæ eſt ſola velitandi natura, ut de hoſte exploratum habeas. Utcunquè tamen, contra Germanorum populos, pro ratione temporis & loci, potentes velitationes patiar, nam graves ſunt accurrendo, ſed nunquam, niſi furtivas, & in paucitate ſuadeam contra Scythas, Turcas, Moſchovitas, Valachos, tùm alios, qui agilitate pugnant equorum, & facilè latera cingunt, ſed tibi damno tuo, alitèr experiri liceat.

Ingenium & prudentia, potior eſt viribus; Urſi, Leoneſquè, cùm ſint valentiores homine, concedunt tamen rationi, & captivam ducunt, in ejus obſequium ſuam feritatem. Defectum igitur virium & potentiæ, ingenio, tùm agendi prudentia, generequè armorum, *Haſtâ* id eſt, *dolabrâ*, & *Machinis*, compenſare ſtudebis. Sed maximè defenſivis armis uſurus, ferrea thorace, caſſide, ac demùm ſcuto; quæ inertiâ veriùs belli, per oſtentatam temeritatem, quàm in argumentum audaciæ, ſæpè negliguntur. Màgiſquè providebis contra hoſtem, qui mediocri cum potentia, ſed prudentèr acturus venit, quàm ſi aliàs imprudens agendi, numero & potentia (ſed ſine arte) armatus, contra veniat.

Nunquam adeò opportuna, videatur occaſio victoriæ, quàm damno amiſſi, penſare debeas militis, ſemperquè videatur glorioſiſſimum, quod eſt tutiſſimum, & antè ſecuritati, quàm opinioni conſulendum. In omnibus bellis, quæ probanda eſſent, non quæ utiquè probarentur ſequendo

quendo, initium plerumquè magnæ calamitatis est, magna securitas (Vellejus Paterculus sparsim in Histor). Et Julius Cæsar rectè providebat, ut potiùs in nocendo, aliquid omitteretur, quàm cùm aliquo suorum detrimento, hosti noceretur.

Modici fortunæ successus, vanos quibusdam ingerunt spiritus, ut in incuriam facilè illabantur, ex contemptu adversorum; sed valdè falluntur. Raró tàm secundâ fortunâ nati, velut ille apud Tacitum; *Cerialis, parùm temporis, ad exequenda imperia dabat, subitus consiliis, sed eventu clarus, aderat fortuna, etiam ubi artes defuissent, hinc ipsi, exercituiquè, minor disciplinæ cura.* Rectiùs perspicaciores Ducum, quibus prosperos rerum post eventus, suspectior est fortuna, ideòquè nihil inopinati, accidere illis potest, qui sperant semper, prospiciunt, agunt, simul & cavent, tuta consilia cum ratione, quàm felicia ex casu pensantes.

Punctum & librum claudo, dicterio Antigoni. Cùm enim Pyrrhus, Caduceatorem conferendæ pugnæ, provocatum ad eum misisset, respondit. *Suam militiam, non magis armorum, quàm temporum esse; si vitæ tædium Pyrrhum caperet, satis multas ad interitum occasiones, brevi superfore.* Vel ille alter, simili casu, satisquè rectè; *Non ex voluntate hostis, sed pro sua opportunitate, se bellaturum, respondit. Utiquè non confabulationis, aut chorearum, sed virorum armorumquè certamen se meditari, & experturum venisse. Quod verò parceret loco, aut cederet tempori, artem sic suadere suam, non metum cujus rationem requiri ab hoste, aut reddi, nimis temerarium.* Demùm tertius, licet nonnihil adversam fortunam expertus, satis tamen animosè. *In bello, velut latrunculorum in lusu, non qui aggreditur, aut vexat Regem, sed qui tandem ad incitas redigit, lucro & lusu triumphat.*

AD LECTOREM.

ADditamentum quod sequitur, post alterum librum Militarium ponere parabam, verùm, quia eundem, typo jam jam porrecturus, studiosè retraxi, en quæ ultima ferebantur, priore loco Lector *cape. Librum alterum Militarium, qui consummatissimi operis exstat paratus, paulò post (si DEO placet) gratiore animo exspectabis, velut regulatissimi convivii dapes, aut fercula, quæ toties oculos & palatum convivarum movent, recentiora quoties apponuntur. Mea qualiacunquè sunt, aut erunt, utiquè non ingratus capies.*

Additamentum ad tractatum Militarium.

CUm ſupremam operi manum apponerem, en ab occaſione cujuſdam privati ſermonis, non invenuſtam dictu quæſtionem adjicere placuit. Utrùm ſtudia & libri, emolliant animos, & bellicam virtutem fortium ſuffocent; prout nonnulli, ſed rudes ipſi, falsò opinantur, quibus furere animo, temerè aggredi, & aliquid per fortunam aſſequi, fortitudo vocatur, modeſtiùs verò pro virtute, cautèquè ex prudentia agere, aut (hoſtem emolliendo) cunctari, metus nomen habet. Satis ad ſolvendam quæſtionem, quivis horum lector, adferat, quantùm ſupra nihil legentes, habeat ipſe, dùm hæc mea legit, nam aliàs, ſola praxi aſſequi, quæ tot hiſtoricorum & temporum obſervatio congeſſit, Duces armorum experiêre, aut nimis ſerum ſit, aut planè impoſſibile; Sed univerſim loquendo; ſi vitæ ſimplicitas, tùm rudis genius proſit, & naturalis furia, impetuſquè in bella ſufficiat, procul dubio, leones, tauri, tigrides, urſi, lupi, & ſimiles ferarum, quibus per effuſum ſanguinem, per contemptum vulnerum, in ultionem exagitatis, vincere eſt, multùm ſint ſupra fortitudinis virtutem, quæ niſi homini convenit, cùm aliàs in beſtiis, non ſit virtus *fortitudo*, ſed potiùs rabies, aut ſimplex vis, & *naturale robur;* Velut proximè beſtiarum rabiem accedunt, ii quoquè hominum, Turcæ videlicet, Perſæ, Scythæ, Afri, & quicunquè barbarorum, qui vincere neſciunt, niſi iteratas millium decades, unico conflictu, aut occidant de hoſte, aut de ſuis amittant, ſanguine, non virtute, nec arte, vel prudentiâ, victorias mercaturi, ſtrages & excidia populorum ſpectare, animoſitatem vocitantes, *cùm ſolitudinem fecerunt, pacem appellant*, Quo ſolo, Catholica bella à barbaris differunt, nec Catholica ſint, ſi ea rabie gerantur. Prudentibus verò Ducibus, parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis, eſſe debet, tempus potiùs, impenſas æris, bellandi artem,

artem, quàm ſuorum ſanguinem, parandæ victoriæ impendere malentibus; Brutorum eſt, unguibus, calce, cornibus, dentequè, mutuo ſe ferire, & prævalere viribus, dùm pro feritate, non ex arte luctantur, hominum verò (quis verò illos feros, ſanie nutritos, hominum in ordine ponat) eſt ingenio cum arte certare, & vincere. Cùm verò barbari, totum in belli furia, parùm in arte reponant, unico aut altero commiſſò prælio, nihil reliquum habent, niſi ut amittant ſua tota, aut parent aliena regna, velut Orientales Hiſtoriæ, & Africanæ, paſſim exempla nobis ſuggerunt. Contra Chriſtianos verò, quibus artes, ſtudia, libri, & ex eo, prudentia rerum gerendarum valet, non eſt par illis ſucceſſus, nec aliquid contra valerent, niſi mutuis inter noſmet ipſos agitaremur, & conficeremur diſſenſibus. Veluti Hungaria ſufficiat in teſtimonium, de qua obtinenda, tanto tempore Turcarum furia conflictatur, hominum & æris ſtupendâ impenſâ, rem Chriſtianam aggrediendo, nec tamen poſſedêre totam, cùm quod deeſt viribus, ſupplet ars, in fortalitiis, in fœderibus, in cunctatione, ſeu eluſione, in prudentia ponendorum caſtrorum, in foſſis, in ordinatione pedeſtris phalangis, pilis circumſeptæ (quæ ſola, mobilis velut murus eſt, & equitem ſpernit) in tormentis deniquè, & miris inventis ignium; Videre interdum eſt, quàm levia ex arte belli ordinata, maximos exercitus barbarorum ſuſtinere, aut avertere poſſint. Polona exempla in rem ſerviant, contra Moſchovitas, Turcas, Scythas, bellando practicata; *Cecoriana* expeditio, dein *Camenecenſis* contra Turcas, illa *Zolkienskio*, hæc *Koniecpolskio* Ducibus geſta, ſatis loquantur; (*velut in Notationibus meis Polit. Puncto* VII. *intimatum*) ſed in barbaris quoquè, eos bellicoſiores videas, qui plus rerum prudentiæ ex libris hauſêre, Machometes, Selimus, Solimanus, Cæſares Turcarum; Curtium de rebus Alexandri, Julium Cæſarem, & alios Hiſtoricorum, Turcicâ linguâ verſos, inter bellandum, peramantèr lectitârunt, nec Mathematicarum artium rudes, tantòquè plùs ſupra ſuos majores geſſère, quantò artium ſtudiis, eſſent ſuperiores, quæ honeſtatem animo ingerunt, ingenium acuunt, ſolidant rationem, & in rectè facienda, conſilium firmant. Vel ſi pro naturali judicio, longoquè armorum uſu, altiorum literarum impe-

imperitis, magna feciſſe contigit, quis dubitet, eorundemmet facta, plùs nitoris & ſoliditatis, perfectiori habendæ gloriæ, fuiſſe obtentura, ſi nobilem animum, ſtudiis (maximè verò lectione Hiſtoriæ) perpoliviſſent in melius. In ſumma, quidquid eſt bellicæ ſcientiæ perfectioris, non à barbaris, qui ſunt artium rudes, ſed à Chriſtianis repertum habetur, ars videlicet fuſilis tormentorum, ignium belli inventa, arietes ſulfurei, cuniculorum & foſſarum ex arte ducendarum uſus, & peritia, tùm alia plura, quæ niſi medias inter politiores Chriſtianorum artes, & ſtudia naſci amant. Quid pluribus? cùm ſub oculis, res ſit domi, nos quoquè Polonos, tantò ſupra collimitaneos noſtros, Moſchovitas, Moldavos, Turcas, Tartaros, & alios populos, bellando valere, quantò ſumus ingenio, & honeſtioribus ſtudiis ſuperiores. Dùm verò cum Occidentalibus, nobis ingenio paribus, res agenda venit, non tàm promptè videmus, fortunam nobis in bella & victorias famulantem, niſi multo labore, & virtute paretur. Quia verò, ſtatus olim Urbis Romanæ, tunc præcipuè declinavit, cùm ſtudia & bona ingenia viguêre, factum, non ab occaſione literarum, quæ ingenium perpoliunt, & frenant animi paſſiones, vel moderantur, ſed quia in ea tempora inciderunt, dùm ob magnitudinem imperii, civium ambitio (per adminiſtrationem longinquarum ab urbe, & ab æqualitate Provinciarum) legis, paritatiſquè neſcia, ab obedientia diſſuefacta, civilem modum ſupergreſſa, dando jura populis, quàm ut ſibi, inter concives darentur. Deindè opes aliquorum immenſæ, in Urbem importatæ, in partes & clientelas diſtraxerunt civitatem, luxus, avaritia, ſuperbia, irrepſêre; Exindè inter potiores orta æmulatio, dein colliſio animorum, & legum (per inſolentiam, *artemquè evadendi*) contemptus, publicorum ſuper hæc proventuum, in privatos uſus diſtractio; Utque privatum ſtatuant, dum evertunt publicum, armorum ſequebatur conflictus; Præſertim poſt debellatum Orbem, non ampliùs externis curis occupati, nequè metu diſtracti, per otium domi ſibi hoſtem, cùm pepererunt, quem non habuerunt foris, ut poſt corruptos mores & homines, neceſſaria publici ſtatus corruptio ſequeretur; bonæ leges interim, intra volumina manſerunt, ſibi innocuæ (velut regula aut ſimulachrum liber-

libertatis, non ipſa libertas.) Civium verò protervia, prævaricatio, inſolentia, priſci moris contemptus, *novitas*, privatas domos, forum, curiam, caſtra, occupavit & ſubvertit libertatem; In rem aptè Cornelius Tacitus (Lib. 2. Hiſtor.) *Rebus modicis, æqualitas facilè habebatur, ſed ubi ſubacto orbe, & æmulis urbibus, Regibuſquè excißs, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit, prima inter Patres plebemquè certamina exarsêre, modò turbulenti tribuni, modò conſules prævalidi, & in urbe ac foro, tentamenta civilium bellorum. Mox è plebe infima, Cajus Marius, & Nobilium ſæviſſimus Lucius Sulla, victam armis libertatem, in dominationem verterunt. Poſt quos Cnejus Pompejus, occultior non melior.* Non obſint certè honeſta ſtudia, & librorum uſus, libertati, tùm virtuti bellicæ, ſed eam juvent, ars videlicet *concinnè loquendi*, ſuadendo, diſſuadendo, animando, fœdera parando (*Eloquentiam* communitèr vocamus, Dominam id eſt, hominum & rerum, dùm animos hominum, pro arbitrio, velut freno ducit, aut coërcet, rebus formam qualem vult imponit) deindè *Ethica*, quæ virtutum vim, decuſquè inſinuat, vitiorum turpia demonſtrat, & vitare docet. *Geographia* præterea, poſitiones terrarum, flexus marium & fluviorum, opportunitates locorum, enucleat. Dein *Geometria*, quæ mater eſt Architecturæ militaris, cur non juvent bellantem? ac ſuper omnia, *Lectio Hiſtoriarum*, quomodò non proſit legenti? cùm hinc eventus rerum, conſilia belli, paciſquè eruuntur, præſertim dùm non antiquorum modò lectioni (velut ad ſummam prudentiam, ſatis habituri) immorantur & perſiſtunt, verùm diſcere impenſiùs cupiunt, quid recentior ætas, noſtræquè ideò praxi, per familiaritatem proximioris ætatis, & rerum, accommodatior, togâ & bello poſſint, perficiendo; Quoſvis meliorum Scriptorum, neceſſe *lecturi*, non ſemel, *ſed tertiò*; Qui ſemel legit, neſcire vult. Prout enim, tres ſunt potentiæ animæ rationalis; *Memoria* videlicet, *Intellectus* & *Voluntas*, ſic niſi terna lectione impleantur, illiſquè ſatis fiat; *Prima lectio*, ſimplicem mentis intuitum, velut incognitæ rei admirationem, & *memoriam* movet; Altera penitiùs *intelligere* facit. Demùm *lectio tertia* voluntatem, ad imitandum intellecta, ſi bona ſint, ſeu ad vitandum, ſi mala, permovet; Repetita igitur eſſe debet lectio; ut rectiſſimè

 ſacræ

ſacræ paginæ verbis dictum ſit. *Accipe librum, & devora illum.* Undè pro Methodo noſtri ſæculi, conſilia matura, recentium præſertim lectione, hauriuntur, nam vetera, eòquè à nobis remotiora, admirationem pariunt, recentiora màgis ſerviunt ad praxim; tùmquè primùm mens humana & judicium, ſupra res humanas, & caſus aſcendens, probè decernendo ſeipſum noſcat, & miretur; Verùm ſcire, ad rem applicare, is demùm lectionis, & per univerſum cujuſquè ſcientiæ fructus eſt, animum præſertim promptum & facilem in exequenda, firmumquè ſi habeas; memoriâ nudâ tenere, quod legiſti, quid jùvat? aut cui bono eſt? præterquam curioſitati, vel confabulationi menſarum ſervit, præſtat pauca ſcire, in rem applicare, quàm multa meminiſſe tantùm, hoc eſt beneficium ſimplicis memoriæ, illud recti judicii; velut alibi copioſiùs egimus. Non improbem Polonam militiam, cùm paſſim hic Nobilitas, bonorum ſtudiorum cultrix, equo mereret, rari ſunt in equitatu, qui non Latinè, & utrâquè linguâ concinnè loqui ſciant, nec tamen illis ad fortia, quidquam obeſt, immò felicem Patriam milite, cui ex bonis artibus, major notitia honeſti ineſt, ut generoſiùs agant pro gloria, quàm ſi aliàs fex populi, *ſervilis, non filialis obedientiæ,* rudis, popinaria, brutalis, recti & honeſti neſcia, in militiam legeretur. Vidimus hac ætate, cùm per diutina bella exhauſto ærario, ſine ſtipendio promptè militarent, periclitarentur, vincerent, & cùm multas emeritas æſtates deberi docerent, vix trientem, à Republica ſolvi peterent. Immò, quod in gloriam gentis dictum ſit. Cùm anno Dei nati *M D C L V I I.* tranſlato Suetico bello in Pruſſiam, poſitis propè Dantiſcum caſtris, penuriâ rerum, ac præſertim equorum defectu, miles laboraret, ex eoquè ſtipendium, à Rege, ſolvi peteret ardentiùs, ille verò, prævio *reſidentis Senatus* conſilio, pecuniam apud Dantiſcanos, creditò habendam quæreret, milites confeſtim ad Regem, Senatumquè miſêre. *Malle ſe inopiam bellando ferre, quàm eò rem deducere* (nam Dantiſcani, ſupra privilegia Poloniæ Regum, novum aliquod cum adjectione terræ, in vim creditæ pecuniæ, petebant) *ut ſui causâ, palmus terræ alienaretur, pro cujus commodis, virtute militari tantoquè periculo contenderent.* Tandem, ut concludam; Verum quidem eſſe, ſi paſſim ſtudia (præ-

(præſertim quæ ſeculativæ ſcientiæ, & diſputationi Scholarum, non politicæ praxi ſerviunt) in vulgus inferantur, emollitura vulgi animos, verùm Ducibus, altius ſtudium quid obſit? aut quare non juvet? in quorum capite, ſumma rerum vertitur; neceſſe ſumma ſciant, qui omnia regunt. Idquè *cum modo,* nè fiat, prout ſuccenſitum, *Alphonſo ſapienti Hiſpaniæ Regi. Correxit Alphonſus motum trepidationis in cœlo, at Regnum ſuum, emendare non potuit, orbes cœleſtes ingenio penetravit, at oblatum ſibi (à fama ſapientiæ) Romanum imperium, dein coronam hæreditate partam, domi tueri non noverat. Sultanus Ægyptius, famâ illius permotus, legatos ad illum miſit, cum ampliſſimis muneribus, interim in proprio ipſius Regno, omnes propè Caſtellæ civitates, ab obedientiæ officio deſcivêre. Sic fieri aſſolet, ut Principes, ſtudiis, plus æquò dediti, exiſtimationem apud exteros (qui ſuperficialia niſi vident, & mirantur) ſibi concilient, perdant apud ſubditos, dùm facta hæc aut illa, penitiùs introſpiciunt è proximo, nec concordari cum ſapientia vident.* Tales enim libris immerſi, *praxim intermittunt,* quæ regendo màgis præſtat, quàm ſpeculatio; Axiomata & maximas regendi, ex libris ſibi ſtatuunt, præſumptione doctrinæ pertinaces, alieni conſilii contemptores, dumquè illis à fœcunditate ingenii, multæ rationes pugnantes inter ſe occurrunt, timidos reddunt, & libertatem exſequendi confundunt.

Proximùm addere, Quod ſequitur.

RES cadit in quæſtionem. Quid ſit majoris prudentiæ bellicæ? Potenteſvè urbes expugnare, an aperto prælio, ſcire hoſtem vincere. Qui rem altius penſat, poſteriori parti, plùs eſſe ſtrepitus & nominis, anteriori fateatur, plùs ineſſe rei, nam altiorem requirit belli Ducis prudentiam; ut neceſſe, per omnes belli artes, ſit prudentiâ & ingenio, Dux, univerſali. Qui expugnat, ſupra & intus terram, luctari contra hoſtem debet, contra foſſas, vallum, munimenta, aquam, ignem, quaſi contra elementa pugnaturus, ſimul contra homines, & contra ingenia, conſtantiâ deindè bellandi opus, nec horarium ingenium,

nium, aut accommodata in tempus furia, obſidendo valet; contra injurias cœli pugnatur, & contra tempora; Frigus, calor, autumnus, hyems, non obſtant expugnanti, ſed perpetuus adeſt labor, contra aperta, multòquè màgis agitur, contra hoſtium occulta, nec labore vinci, nec perſeverantiâ fatigari neceſſe. Diu, noctuquè ſimul in hoſtem agendo, ſimul ejus molitiones & prudentiam eludendo, ut per omnia, obſidendo plùs poſſit virtus, quàm fortuna. In præliis campeſtribus, non item; aperta omnia ſunt, ideòquè ſimplex audacia prodeſt, adhibita modò inſtruendæ aciei, & ordinandorum ſubſidiorum arte: Plùs agit fortuna, velocitas, & belli furia, quàm prudentia, plùs occaſio & impetus, quàm conſilium. Æqualia ſunt omnia, non obſtat murus, aqua, foſſa. Non longâ deindè opus perſeverantiâ, ſed aliquot horarum labor ſufficit, & decidit de ſucceſſu. Manuum plùs, quàm ingenii res eſt, terror adhæc pannicus, caſus inopinatus, error, & levia in ſpeciem inſtructa, multùm ad prælia conferunt. Qui habent ſcientiam campeſtrium præliorum, velut multos nobis videre licuit, non perindè ſequitur, ut expugnare munimenta ſciant, nam is inferior militaris prudentiæ gradus. Scythæ ad campeſtria prælia nati, per levia munimenta, facillimè contemnuntur, quæ verò gentes, aut qui viri, expugnare munimenta ſciunt, his in campeſtria prælia, ſcientia par eſt, & terrorem majorem ſecùm ferunt. Nihil illis reſiſtere poteſt, cùm tota virtus bellandi, eò concurrit, ut ſit Dux belli, obſidendo perſpicax, cautus, cunctator, perſeverans, audax, prudens, inventioſus, ſe defendere, & alium offendere, poſt caſum aſſurgere ſciens, nec vanis terriculamentis eludendus, vigilans, diſciplinam ſervare gnarus, contra occulta & aperta, agendo promptus, annonæ comparandæ providus, armorum & apparatus belli curam habens, architecturæ militaris, ducendo ex arte vallo, tùm promovendis acceſſibus peritus, acquirendo & retinendo inſtructus, igne, machinis, manu, cominùs, eminùs, militem agere, & exercere valens, hic tormenta muralia, hic cuniculi valent, hic præliari ſimul per excurſiones, & expugnare, cavere ſimul, & agere oportet. Julio Cæſari, tantùm nominis peperit, expugnatio *Alexiæ*, quantùm reliqua omnia, licet ingentia, totâ vitâ geſta, ait

ait Vellejus. *Ad Alexiam à Cæſare ſunt geſta, quæ incipere vix hominis, perficere niſi Deorum foret.* Solimani ſecundi Turcarum Principis, plùs inclaruit nomen, & diſciplinata militia, per expugnationem Rhodi, Budæ, Belgradi, Albæ Regalis, Zigeti, munitiſſimorum locorum, quàm ejus anteceſſorum, per ſubjecta (præliis campeſtribus) pro inſolenti fortunæ eventu, regna. Alexander Pharneſius, per omnes belli artes æmulus illius magni, ſola tamen expugnatione Antverpiæ, ſeipſo extitit major, ut quaſi unicum ejus geſtorum, orbis in admirationem circumferat; Ambroſii Spinolæ nomini, totum adſtruxit ad hominum memoriam *Oſtendæ* expugnatio, & *Bredana.* Ludovicus XIII. Rex Galliæ, circa obſidionem Rupellæ, in exſtruendis operibus, & ſubjugando mari, nomina victoriarum ſuarum ſupergreſſus. Noſter Joannes Zamoyskius, expugnatione *Polociæ*, *Velilukorum*, *Zarrolociæ*, *Velizæ*, & (nè multa commemorem) obſidione *Pleſcoviæ* in Moſchovia, ac deinceps in Livonia, tot arcium ex arte militari captarum nominibus, plùs ad famam rerum ſuarum contulit, quàm aliàs vigeſies (aut plùs) apertis præliis victor.

Huic cognatum addere. Quid præſtat màgis? *Virtusnè togata, an militaris? Conſervativa, an Acquiſitiva.* Artes *pacis*, an artes *belli.* Velut caput præſtat manibus, & reliquis membris, velut ad clavum ſedens Navarchus, valet ſupra operarios, & remiges, & Architectus, ſupra fabros, ſic togata prudentia, eſt ſupra militarem. Uti cerebri aut intellectus, ſic *togæ*, quaſi inſenſibiles ſunt operationes, manuum motus evidens, ſed tamen inferior eſt, nam ab illo dependet. Hic valet fabula Menenii Agrippæ, ad tumultuantem populum Romanum, de jurgio artuum, contra deſidem, & velut nihil agentem ſtomachum, cùm poſtea languente ſtomacho, artus languere, ut per conſequens, ſedentariam ejus operationem, præferrent ſuæ.

Ut deinde *Acquiramus* Prudentia in eo proficit quærentis, ſed pleraquè affert occaſio, caſus, hoſtium ignavia, diſcordo, diſſenſus; *in retinendo*, totum ſibi vendicat virtus; Caſus, occaſio, nihil in eam partem juris habent, non enim contra vitia, ſed màgis contra virtutes hoſtium providendo, nè ſubvertamur, immò pugnandum, ſimul contra vitia ſuorum, rem in ordinem redigendo,

do,

do, ut ideò, contra utrasquè causas, simul agendum sit, externas, & contra internas. Res conservantur sola virtute & prudentia, *acquirenda*, in audaciam, etiam licentiosis, & scelestis (pro impetu) jus esse potest, ac plerumquè succedit. *In turbas & discordias, pessimo cuiquè plurima vis, pax & quies, bonis artibus indigent.* Acquirimus deindè per partes, conservamus simul per totum, quod majoris operis & prudentiæ. Alexander magnus, intra paucas æstates, subegit Orientis orbem, quem retinere non potuit, quærebat, unam ex alia Provincias, à quibus profectus est, in surgebant contra, undè meritò illusus, quasi nesciret, *majoris esse, quàm quærere, parta tueri.* Cùm fortè novum sibi orbem, non offerri doleret. Fabio cunctatori, totum quod postea magnum fuit, debuit Roma, huic soli *Maximi* adstruxit nomen, posthabito *Marcello*, *Scipione*, & aliis magnis Ducibus, qui Annibalem vicerunt, Carthaginem, hostium sedem subjugarunt, cùm Fabius non vicerit, sed vinci ad extremum Romanos præpediverit, ideòquè *Conservatoris*, & *Maximi*, solus nomen meruit, invalescente dicto: *Unus homo nobis, cunctando restituit rem.* Utiquè præstantiùs, leges & libertatem conservare, quàm parare, multi populi eam peperêre sibi, pauci qui diu servare potuêre. Conducibiliùs verò, si leges sint in observatione, quàm ut mutuæ, in legum volumina, & velut nihil valentes inferantur, in speciem veriùs partæ immunitatis, quàm ut verè habeatur. Quia verò plùs nominis habent in vulgus, qui bello acquirunt, quàm qui conservant, fit, quia tacita consilia, sunt conservantium, acquirentium actus manifesti, & cum strepitu fiunt, ideòquè in oculos vulgi, màgis incurrunt. Conservationis natura consistit, in secreto agendi, consulendi, tùm obviandi, quæ uti vulgus non advertit, nec etiam pensat, nisi posterior ætas, successum detegit, in gloriam conservatoris, idquè in prudentiorum animis. Adde, quia ex novitate victoriæ, & acquisitorum, màgis moventur animi, quàm ex diutina conservatione, cui dudùm inhabitat vulgi animus, naturale verò, ut præsentia bona, non sentiamus homines, nisi amissa. Sic delectamur parvorum torrentium aspectu, ex novitate ludentium per saxa aquarum, quàm aliàs magnorum fluviorum tacito cursu, cùm ditem aquam ferunt, fructu hominum majore,

n

in commercia & navigationes, portandis navibus. Denìquè, in acquirenda facilè quisquè fertur, dùm plausus populi sequitur, invitat præda, multi juvant, & ipse sibi animus agentis, in acquirendo, contentamentum parit. *Conservatio* secùs, sine vulgi favore est, ut tristis, invisibilis, & incognita, immò sæpiùs ingratitudinem meretur, aut quasi necessariò post se trahit, civium odia, dùm in vitia populi, severitate legum pugnatur, pleraquè habet impedimenta, & molestias, ex collisione partium; Ideòquè perfectioris hominis est, ea in parte desudare, amore solo & intuitu virtutis, boniquè publici, quàm ut pro captanda vulgi aura, laboretur. Nec omittam addere, dùm in acquirenda avidiùs ferimur, vertente se fortuna, (quæ inconstans est) hostem potiùs irritamus, bellis implicamur, immò quandoquè, nostra prodimus. Veneti, dùm in artes *Pacis* sunt intenti, & *conservando* quàm *acquirendo*, plùs laborant, florent diu, ut eorum rationes, confundi sit necessum, qui conversionem statuum, intra certa tempora ponunt, cùm illi, artibus pacis intenti, tot sæcula supergressi sunt, florentes, & incorrupto statu. *Acquisitio* quidem, màgis audax, sed *Conservatio*, màgis cauta, ideòquè securior & certior sibi, minùs impetus, sed plùs considerationis habet. Plùs utiquè, apud prudentiores valet, non ægrotare (conservare id est sanitatem) quàm sanari. Quia verò, per ora hominum æstimatiùs incedunt, qui ægrotis, acquirendæ sanitatis prompta præcepta ferant, quàm si fortè, eò profectionis venirent, ut nunquam ægrotare, sed inconcussam sanitatem ducere, certissima munirent nos per antidota; fit, non quod sanari, quàm non ægrotare, sit præstantiùs, sed vitio non sat perspicacis in solidiora ingenii, verùm per superficialia rerum diffusi, dùm enim ægroti sanamur, convalescere alieno beneficio nos putamus, benè valere, nec ægrotare, tantùm credimus nostro, & non potuisse sanari, nisi cum aliena ope, cumquè medico, potuisse verò non ægrotare, nec cadere, etiam sine illo, facilè creditur, nihilquè illis debere, nos ideò putamus. Deindè, dùm benè valemus, non æquè pensamus præsens bonum sanitatis, absentiâ mali & contrarii, quàm secùs appetimus ægroti sanitatem, tædio præsentis morbi, & absentiâ boni, non ægrotare verò, sed retinere sanitatem, est pri-

Z 2 mæ

mæ felicitatis, posterioris verò, amissam nec habitam, aut acquirere, aut reparare. Priùs & securiùs est, non cadere in puteum, posteriùs extrahi, priùs nostræquè virtuti, vel prudentiæ màgis debitum, *non delinquere, nec errare*: Ultimarium verò (& in aliena jam potestate) *Absolvi;* Quis ideò cecidit, ut extraheretur? quis ut sanaretur, ægrotavit? quis deliquit periculosè, ut absolveretur? Priùs item & nobilius est, in statu politico, conservare, nec amittere sua, quàm acquirere, vel petere, aut rapere aliena. Demùm vis Conservativa, utrasquè complectitur artes, Togæ & Belli; Acquirendo, sola belli ars, in rem confert. Plùs ideò nominis, in orbe sibi peperit, & de re Polona mereatur *Sigismundus primus Rex*, qui (bellando felicissimus, nec nisi vincere sciens, nam universi Principum Christianorum belli, contra Turcas, Dux & caput, à Pontifice Leone X. destinabatur, sed tamen artibus conservandi, & consilio pacis, plùs potens) florentem administravit rem Polonam, quàm *Boleslaus Krivoustus*, solo acquirendo potens, licet ad stuporem orbis, quadragesies septies, in diversas gentes, Germanos, Bohemos, Russos, Pomeranos, Moravos, magnis præliis victor. Sed tandem rem claudam, testimonio Livii. *Excellentibus ingeniis, citiùs defuerit ars, quâ Civem regant, quàm qua hostem superent.* Dixerim adhuc. Conservationem creaturarum, non minoris esse omnipotentiæ, tùm Majestatis Divinæ, quàm creationem. Immò pluris stetisse *Conservare*, vel *salvare* hominem, quàm creare.

SUPER HÆC.

REm exteris ignotam, & nostris hucusquè non discussam, omittamnè? Minimè; videlicet. *Militiam Polonam Equestrem, non Monarchicâ, Verùm Aristocraticâ formâ regi.* Miraris dictum & modum? loquor clariùs. Ordo militiæ pedestris, ab exterorum more & norma, nuper mutuatus Polonis, exterorum quoquè ad modum, absoluta lege habetur, dùm scilicet gregarius miles, Præfectorum jussis, monitis, pœnæ, gladio, sine ulla exceptione subjectionis, corpore & vita subest, vel (ut rem verbo expediam) planè Monarchicâ, seu Despoticâ potestate habetur. Equestris militiæ, nobis altior sors est, dùm Aristocraticum ad modum regendi, per ingenuitatem, componitur illa. Nobilitas hic, equo meret, non gregariorum, aut *Turmalium*, sed *Commilitonum* sub nomine, sic à Præfectis turmarum, sic à belli Ducibus vocitantur. Primi ordinis igitur (seu *Commilitoneus* ut hoc nomine commodiùs utamur) Eques, binos, ternosquè famulos, prout cum Præfecto turmæ, pacto stipendii, conventum habet, post se ducit, armis, equo, pro usu belli, æquè pares, dignitate & ordine certè subalternos, quasi dicas *subequites*, ut hi, gregariorum, seu posterioris ordinis, vel *Turmalium* nomine, commodè indigitentur. In *Commilitoneum* equitem, monita Præfectorum generosa, nec extra honestatem dicti valent, aut si quid graviùs, in ordinem militiæ, tùm immodestiam frumentandi peccatum, convocatur turmæ commilitium, assidetur Præfecto, per sententias discutitur delictum, rectioris disciplinæ ordo, ex assensu mutuo, statuitur. Reprehenditur commilito, deprecatur ille palam collegium, dein pecuniariâ mulctâ, vel abjudicatione stipendii, injunctione alicujus gravioris operæ militaris, aut denìquè notâ aliquâ ignominiæ, punitur, sanguinis tamen pœna, solis Ducibus belli reservatur. Ut in formam militaris senatuli, convenire dicas, si personas, ingenia, belli consilium, si honestiorem equitum (præsertim hastatorum) cultum, per omnia videas. Levem tunc pœnam, & judicium aie? falleris; Altior nostri equitis nascendi sors est, quàm ut ignominiam, ipsumvè judicium, levis pœnæ loco, habere possit; Non Urbium quisquiliæ, aut popinaria turba, vel ruricolarum vulgus, in equestrem militiam legitur, (quibus pro servili ingenio, ferè jumentorum in morem, nisi pugno aut verbere, gravitas correctionis, necessitas jussorum, tùm honestas facti innotescat, aut secùs turpitudo distinguatur) verùm honoratam militiam, ditis patrimonii pubes, & senatorum filii sequuntur, post literariam arenam, debita primæ ætati martis exercitia, pro genio gentis practicaturi, togæ posthac, altioribus consiliis, & officiis, per gradus adhibendi. Quid mirère igitur, in equite nostro, vestem holosericam, argentea passim frena, equos pretiosè phaleratos, arma per omne decus, & belli oppor-

opportunitatem expedita, dùm hæc ditis patrimonii, & ingenuitatis, non luxuriantis castrorum disciplinæ, signa. Immò adituri prælia, in altitudinem quandam animi compositi, compti militaribus armis & ornatu, hostium in oculis, haberi malunt, si capiventur, æstimandi, si moriantur, pompam, sibi non inglorii funeris, præmiumquè periculi, dùm cadunt non inulti, percussori laturi, aliàs deserturi ingloriam militiam, si serviliter, aut neglectiore cultu haberentur. Sic non ab Umbraticis gladiatorum, pugilorumquè Scholis, & urbana mollitie, in ostentationem affectatam, verùm practico periculo castrorum, usum armorum contrahunt, sibi exercitio, communi Patriæ, servitio profuturi, ut milites, & exercitii in hostem, prodeant pugiles. Dicam altiùs. Commilitoneus eques, non Præfectis turmæ, sed belli Ducibus, est honori, non removetur à mensa, & Ducum liberaliore in tempus à convictu, idquè incorrupto potestatis honore; Alloqui cum honore nominis, non est infra Ducis Majestatem, ut suprema Ducum potestas, non in vitam & corpora modò, à puniendi potestate, verùm ab altiore cultu, extendatur in intimos animos. Amat eques gratiosam Ducis urbanitatem, pro ingenuitate, simulquè pro sorte militaris subjectionis, irati pœnam reveretur, idquè filiali cultu & obedientia, non autem servili pavore. Nec subindè mirêre, si passim nostrorum in annalibus videas, pauco Polonorum numero, magnos confectos hostes, & finita bella, cùm sua cuiquè ingenuitas, ab intra, monitoris loco, dein ab extra, timetur ignominia, dùmquè respicit miles, Ducis punituri potestatem, duplici incitatus stimulo, fortia meditatur & exercet, dùm inquam nobiliores & honoratæ animæ, suæ libertatis gratiâ toto periculo vincendum contendunt, signa & bellum, pro gloria, spontè sequentes, præmium victoriæ paterna ex fortuna, & ex quiete abundè habituræ; Plebejæ aliàs & collectivæ per fora manus, ingenuitate minimè attolluntur, dùm sibi post victoriam, eandem servitutem, vel ignotam sortem, & inopiam, restare sciunt, quibus nulla post bellum domus, nisi fornices, anguli, vel popinæ; pacem ideò sine præda, intraquè legis normam, otiosam & *Novercam*, turbas ac bellum, lucrosam & *Matrem*, per usurpatam licentiam vocantes; ideòquè trahi, quàm geri,

geri, unicè præcupiunt, aliud ex alio quærunt. Intuere hodie nostras (externæ militiæ sub nomine) legiones, & fateare. Itaquè pro curiositate aliquorum, aut potiùs pro intuitu pedestris militiæ, increbuit ratiocinatio, conducibiliùs forè expeditiori militiæ, sublatâ Aristocraticâ regendi formâ, reddi Præfectis turmarum, Monarchicam potestatem; sed maximè falluntur, cùm seu bella spectas, non obstante hoc, tot olim, & nunc felicitèr gesta reperias, labores militares, inediam, frigora, & per universum, incommoda belli (cunctando, seu celeritate promovendis armis, intra penuriam sæpiùs detenti stipendii) patientissimè obedientiam intra, tolerata: Nam Præfecti, in tantum ductandis equitibus absoluti, in quantum intra prudentiam, & cum authoritate amorem, regendo dextri. Si ad ingenium nationis, militem nostrum habeas, sunt velut generosi & domiti equi, spontè levi freno reguntur, nec molestiam sessori facessunt, aut si contigit, armis succubuisse, belli capitum errori, non militum adscriptum ignaviæ. Adde, Monarchicâ Præfectorum in milites potestate, non modò supprimi generositatem militis, dum serviliter habetur, sed castrorum vires distrahi, numerum ordinum minui. Sæpè, avaritiâ Præfectorum, intervertuntur militum stipendia, dein commeatus, & hybernorum commoditas, sibi tantùm arrogatur, legionarius verò, querulari veretur, aut si liberiùs proloquatur, seditiosi nomen, & tumultuantis imponitur, non quia verè sit, sed quo sub prætextu, ab iratis (ulciscendæ querimoniæ) in corpora liberiùs sæviatur. Exindè, peditum Præfectos, communitèr, sagis militaribus, apparatu, epulis, luxuriari videas, cùm peditatus, centone sæpè tegitur, aut subitarius panis, pellendæ fami, tùm ægris debitâ cura deest, hinc pro alimentorum penuria, velut concessa è proximioribus stativis, in commeantes, itinerum latrocinia, furta, rapinæ, rari deindè ordines, signa numero mutilata, disjecta, dùm quotidie deseruntur, novi interim substituuntur tyrones; Rarò veteranum legionarium videas, tùm hi, eodemmet, conficiuntur defectu, non Martis, sed Præfectorum avaritiæ, victima casuri. Atquè hic est fructus, Despoticæ in legionarios potestatis, placet tamen aliquibus illa, certè non ex publico usu & bono, sed à superba potestate in milites, ab odio parita-

paritatis, & à peculatu privato. Equitum Ariſtocraticus ordo, aliter fert ſtipendia, commeatus, hyberna, mutuo cum Præfe-ctis ſcitu, ordinantur, dividuntur; inſtructior exindè eſt, armis, equo, veſte, commeatu, ut cunctatione gerendo bello, facilè ſufficiat indefeſſus, adeſt illi pro ingenuitate virtutis amor, & ſpontanea militaris modeſtia; Cum legionariorum ægris, & cadaveribus, paſſim caſtra, viæ, ſternuntur, Equites integri redeunt; Immò, ſtatus Politici ratio, in eo (quod mirêre) verſatur, non enim nobilis eques, inſtrumentum poteſt eſſe, invertendæ per vim, aut occultas machinationes, publicæ libertatis, ſecùs legionarii, in quos Monarchicum Præfectorum jus eſt, quo trahuntur, & tranſeunt Præfecti, æquam, iniquam partem, & factiones, neceſſe iſti ſequuntur, nec (duriùs etiam, & iniquè tractati) hiſcere audent contra; Obedientiam legionariorum promptam, nonnulli tunc vocant affectatè, cùm potiùs, vis ſervitutis, & neceſſitas ſilendi adeſt. Immò, placet illa, quod eo prætextu, priſci vigoris Poloni, exercituſquè virtutem infringere, aut (pro numero advenarum) præponderare, inter artes ſit. En peſtem novam libertatis, ab ingeniis *pſeudoſtatiſtarum.* Mira credo exteris loquor, ænigmatis velut ſub nomine, verùm non noſtris, hodierna qui ſciunt. Dicerem exempla. Præſtat obductas recentèr, non ſcalpere ampliùs, nec exulcerare cicatrices.

Iterum

Iterùm LECTOR ſalve, & vale.

EXtra Materiam belli; Verùm non erit extra fructum, apponere Epiſtolam: Complementum, *Politico-Moralium (typo nuper vulgatorum) Lectori ferentem. Quanto fructu legentium feratur, vel (abſit) damno reticeatur? Vide, lege, nec inficiare.*

ANDREAS MAXIMILIANUS FREDRO,
CASTELLANUS LEOPOLIENSIS
Illuſtriſſimo

CASIMIRO FLORIANO

Duci in Czartoryisko & Cleuan, Epiſcopo Cuiaviæ, Senatus collegæ, & confratri, ſalutem.

PLacuiſſe tibi Illuſtriſſime Præſul, operæ meæ Politico Moralia, non amori modò mihi, ſed etiam eſt honori, illud amici pectoris ſignum, accepto, hoc judicii tui & prudentiæ, documentum; vel iterùm, non pigeat (ſi quæ paro) proferre in palam, ſi mea in Lectorem talem incurrant, ſi Lector talis, in mea viſenda, lubens feratur. Vel tuo ſolùm judicio, contentus ſum, qui ſenatui noſtro, facem conſilii præfers & doctrinæ, pro Eccleſia Dei verè præſul, & pro libertate, incorruptus ſenator; Expers odii, expers ſtudii privati; Regis

 gratiæ,

gratiæ, quà licet cupitor, quà non licet, etiam offensæ infractus lator; Deus, Lex, Libertas, *dùm tibi agendi, dicendi est scopus; Tales consulant, & Respublica diu felix esto. En igitur, gratitudinis meæ, erga Virtutem, nomenquè tuum, quà civis, quà senator, quà pars sum Reipublicæ, documentum; Complementum videlicet Politico Moralium, breve ut otium capere potuit, indoctum vel quoquo modo probandum, prout mens in se retracta, incaluit, prout rectior genius suggessit, prout scribendi occasio suasit, prout cura Reipublicæ, quam vivimus, agimus, & privatorum casus, materiam subministravit. Lege igitur sospes, vive diu, & me Ama.*

ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO, CASTELLANI LEOPOLIENSIS,

Politico-Moralium, *Complementum.*

I. DIssimulatio & Taciturnitas, authoritatis parandæ, servandævè, Mater est, & compendium, prout secùs garrulitas, causat levitatem, damna, nimiam familiaritatem parit, & contemptum; Qui tacet, non proditur, utrùm excipiendis rebus adversis, dictisquè, sit mollis, vel ignavus, aut per magnanimitatem erectus, fortis & audens, non tristis, impotens, confusus, obliquus, metuensvè. Nescitur remnè intelligat, sciens respondendo, aut faciendo potens, vel secùs hæsiret stupens, sic per omnia tegitur ignorantia; Neminem offendit dicto, rerumquè inani censurâ (improbans audita, visaquè, & facilè succensens per levitatem, aut ex malignitate) nec vicissim seipsum prodit, cui offendatur, undè alienentur amici, loquendi contra, tùm agendi, habituri causam, vel necessitatem, irritati. Sæpè loquendo, & nostros prodimus, & alienos irritamus affectus, undè

undè causa hinc, illinc, respondendi, immò contra insurgendi acerbiùs, in læsionem authoritatis, vel periculum comparationis. Dùm verò subticemus offensi, infra magnitudinem nostram intervenientium levia ducentes, sat grande habituri, si non vindictæ, saltim dissimulationis præmium, namquè specie inoffensæ amicitiæ, prout alienas facilè retinemus, aut provocamus amicitias, etiam authoritate tacita, cohibemus dictorum, factorumquè offensas, non enim in eum facilè insurgit quis, sed verecundè quoquo modo respectat, quoädusquè putat sibi amicum. Nemò gratuitò, cuiquam malus est, vel secùs, nemò non alienatur, aut offenditur, quem offensum putat. Iterum dico. Taciturno, non tam properè parantur inimici, dùm non irritat materias & personas, nec proindè accelerat sibi mala, tùm offensas, dein facta & facienda, non prodit, verùm secretò habet totum; Non facilè scitur (dùm occultari præstat) quibus affectibus regitur, quibus expugnatur, amore ne? odio, ambitione, levitate, metu, cupidine habendi, aut vaniloquio. Impetu nè præterea in facta ruit, an tardiùs per desidiam vadit. Verbo dicam. Juvat per omnia ignorari, quæ imperfectè intelligendo penetramus, dicto scimus, aut facto possumus, undè faciliùs æstimamur, dùm tacentes, non intelligimur, quam in partem perfectionis, aut secùs, inclinamus, ut interpretetur potiùs & divinet vulgus, de nostris actibus, interiorisquè mentis divitiis, & venustate, prout semper in personis honoratioribus, capit omnia in melius (nam quæ non visa latent, quoquo modo bona, pro Magnifico habentur) quam ut plenè intelligat, aut penitiùs sciat. Si igitur monstrare non possumus perfectas virtutes, saltem taciturni, tegamus imperfectionem; aliquando, loqui prudentia, nobis videmur, cùm dictorum facilè arguimur, in prudentiores viros ex inopinato fortè incurrentes. Multa effata, rariùs opinionem prudentiæ pararunt, sæpiùs detexerunt imprudentiam. Tandem, ut omnia percurram; *Taciturnitas* intra prudentiam adhibita, compendium est habendæ, servandæquè authoritatis, æstimationis Mater, velamen defectuum, prudentiæ tùm virtutis alumna, consilii & executionis anima, quietis cognata fautrix, levitatis & odiorum fuga, contemptuum evitatio, altioris amicitiæ ingressus, & custos fidelis, facit

 admi-

admirari homines, ut plùs rerum exſpectemus, quiddam altiùs, illis ineſſe opinaturi, quos nondùm plenè intelligimus. Dicam verbo. Tacere, pauca requirit, prudentèr loqui, multùm. Ergònè tacendum inquies? tacendum dico, non ſemper, verùm ſæpiùs, intraquè gravitatem màgis, quàm triſtitiam, ut audiendo & reſpondendo (dùm opus) ſimus prompti, eloquio venuſti, idquè in materiis familiaribus, aut ſi occurrant ſeriæ, benè priùs, animo concoctis, nè dixiſſe màgis, quàm tacuiſſe pœniteat; Immò, pro paranda amicitia & urbanitatis fama, aliquos etiam ultrò laceſſes verbo, facilem tui copiam facturus, qui aliàs, verecundiâ magnitudinis, arcentur ab acceſſu. Novi hominem, non certè è poſtremis, cùm in ſermones & familiares diſcurſus effunderetur, taceret verò ſeria, quæ præſertim effata, magnas ſequelas poſt ſe traherent, non rectè intellecta, in alios diſcurſus, aut ænigmaticam ambiguitatem non intelligendorum, ſermonem deflectebat, & involvebat ſtudiosè, *validus ſenſibus, & conſultò ambiguus*, pendulis ſæpiùs, quàm limitatis ſermonibus uſus, rerum authoritatem, ſuſtentaturus taciturnitate; Habebat amicos, promptos clientes, cùm nemo ſciret, cui ex falſo, aut verè màgis, minuſvè, eſſet amicus, aut quem verè odiſſet, peræqualem ſe omnibus, amæna fronte & verbo præſtaturus. Tegebat defectus animi, fortunæ, virium, mentis impotentiam, nec ſatis frenatarum paſſionum, dùm maluit haberi tacendo & diſſimulando velut neſciens, quàm experiri judicia & cenſuras, ſi loqueretur. Si quid præterea difficilè, aut adverſi narraretur, tacebat, velut ex profeſſo, nova non viſa, magna, repentina, non mirabatur, immò læta, & ſibi commoda, non multo exſultantis animi ſigno, ſed excipiebat tacendo, quaſi tranſitoriè totum audiſſe, aut meminiſſe mallet, quàm rem ſcire penitus vellet; immò non animadvertebatur, utrùm obliviosè rem caperet, ſeu altiori reconderet memoria, penſaturus; Velut de *Themiſtocle*, ſed in rectiore ſenſu Thucidides (lib. I. Hiſtor.) *Nè quidquam aut antè, aut poſtea didicerat, quod eum augeret.* Sic cùm nullum proderetur * vitium, omnia in meliore ſenſu, pro intuitu magnitudinis, & æſtimatione prudentiæ, capiebantur; Cùm aliàs, qui penitiùs hominem noverant, interiora mentis (ſed recludendæ taciturnitati,

* *Vide Symbolum VI. Periſtromatum meorum.*

tati, exagitato priùs ſtudiosè affectu) introſpicientes, haberent, undè magnitudinis opinionem arguerent, dùm inerat animo ſuperbia, dolus, ambitio, tacita invidia, mens offenſioni quàm gratiæ pronior, & per occulta, nocendi ſtudium; Deindè, ſub prætextu maturioris deliberationis, agendi tarditas, turpis adverſus inania formido, animi impotentia, ſtudium habendi, & per omnia hypocriſis inerat politica. Quæ tamen, pro taciturnitate, & animi ſecreto, apud non intelligentes, in ſpeciem modeſtiæ, pacatæ mentis, tùm in ornamentum virtutis, & in authoritatem, valebant; Nam etiam publicis populi in conſiliis, rarus ſermonis, & propior erat taciturnitati, per ſubſtitutos niſi amicorum, rem impugnans, aut inferens, quam noluit, aut habendam præcupivit, nè fortè authoritatem loquendi, licentiâ popularitatis altercantium cum minimis, conſociaret, tandem ex rariori ſermone, ipſe valentior, ſubſidio ſui affuturus; Vel metu comparationis ſubticebat, ſi plerique in populo facundi, eloquii venuſtate præferrentur. Ideòquè niſi præmeditata, & longè antè quæſtionum prævifa, cultiore paratoquè ſermone, certus probandorum efferebat. Quod authoritati parandæ fuit, quaſi per totum, ſimili facundia & arte ſuadendi potens, ſi ſæpiùs loqueretur; ſimulquè altercandi offenſas, dextrè in alios declinabat, velut nullius ſtudiis obſtans, aut quidquam in partem ſuam appetens ipſe, ſed omnibus amicus. Præſertim, cùm parandæ popularitati, adeſſet velut ex præparato, hoſpitalis domus, lautior menſa, ad eruditum luxum compoſita, aderat jocus liberior, diſſimulata in tempus authoritas, & velut negligentia honoris, tùm variæ bibendi formæ, & hamatorum tituli commeabant poculorum, vinolentiæ illicia; Velut facilè indulgent etiam prudentiores, aut ignoſcunt pro tempore, *vitiis blandientibus*, nè dicam vulgus, quod ejuſmodi fallaciis, promptè capitur, immò ſe offert illaqueandum ſtudiosè. Deindè, excipiendis amicis & clientibus, obvius non deerat ſermo, parati amplexus, & capitis oſcula, familiaris acceſſus, dicta in ſimplicitatem & candorem declinantia, ingeniiſquè perſonarum & tempori accommodata, frons amæna, offenſarum aperta diſſimulatio, & velut ſupina incuria, deindè geſtus ſubmiſſus, quò verò à majori veniebat, eò venuſtate omnibus ſe ingerens

 gra-

gratiore, non levia vitæ civilis condimenta. Cùm per omnia inesset, sui obtegens animus, contrarium quàm quisquam speraret, effectum pariturus. Velut de quodam dictum alibi. *Bonus erat, si tàm amicus ad regulam, quàm cui erat infensus, ad omnes inimicitiæ modos, dicto, facto, se componens; Ingeniosissimè simul & subdolè, amici sub specie, & ex tacito hostis, cujus subridentem frontem, secretum, ac silentium, màgis timeres:* & quod amænitatem vocares, malè factorum larva erat. Hæc dico, non quod in fallaciam taciturnitatis aliquem vocem, & obliqua doceam, verùm ut dignoscere sit promptum, quantùm astutia, distat à vera virtute, & prudentia, obliqua mens, tùm actio, à rectis, nè nimium fidas, eòquè volens decipiaris.

II. Is optimè de rebus judicium ferre potest, & agendo valet, qui simul utraquè, boni aut mali extrema, sub intuitum mentis vocat, mollitiem animi, aut secùs rigorem, in potestate recti judicii habiturus, nè partem in alteram præponderet affectu. Inquam; cui rectioris naturæ, aut perspicacioris judicii beneficio, non universalia modò, sed rerum particularia, eventuum possibilia, remota, proxima, obstantia, contraria, speciosa, dein probabilia, vera simul, consulenti veniunt in mentem, ut quid facto opus? ex vero promptè statuat, compendio probè * conclusurus. Verùm cui unicum, aut alterum tantùm considerandorum (velut particularibus & imperfectis ingeniis suetum) occurrit, & per partes, non per totum, *materiam* rectorum consiliorum habenti, necdùm *formam*, is hæsitat, disquirit, contendit, circa verum vagabundus, deceptus ipse, aliosquè decipiens, res & personas inquietat, garriendo potiùs, quàm ut tangat rectè agendorum scopum, prout sunt contentioni, non conclusioni aptiora ingenia. Æquitatem recti judicis, imitari oportet, qui actorem simul & reum, sisti coram, testes utrorumquè vocari, rationes & documenta proferri, nec reticeri quidquam jubet, nè si promptior in illum sit, qui aurem & animum judicis præoccupare, tùm accusare (prensando & imponendo artifex) prior studet, partem alteram inauditam, innocentèr plectat. Sic ferè in occursu materiarum, non eam statim vir prudens probabit, quæ prima fronte se ingerit, plausum vulgi, tùm rationum post se ducens, sed in opposi-

* *Velut chimici, quintam essentiam medicabilium, extrahi posse ajunt, artis compendio.*

positam partem, mentem convertet, momenta temporis, rerum (vel maxime consequentium) expensurus; Plerumquè verò accidit, ut pejora eventu sint, quæ intuitu priora, animo grata, suavitèr se ingerunt, aut meliora videntur, tùm quæ opinio vulgi, statim probat. Sed exemplo res pateat. Cupido gloriæ, aggredi quidpiam te jubet, pensabis identidem, an possibile sit, *nec dubium* effectu, an rem periculosiùs irritare, & debilitatis prodi, periclitari item frustra, nec adipisci, quàm nunquam tentasse. Aliqua obtenta plùs in occasionem sunt mali, quàm nusquam habita. Hæc aut illa difficilia, tùm periculosa videntur factu? age nihilominùs pro tempore animosè, & tenta, quæ mox dùm inceperis, seipsa ingerunt faciliùs, non despondenti animum, sed in rem constantèr incumbenti, multa (secùs) respicientem, nihil agere, & timida, sæpè falsò pro cautis haberi. Inquirere vis, in res aliquas curiosè? & in ordinem legis, aut debiti, tùm honesti normam, vocare, immò nonnunquam vindicare. Præstat tamen non raro, tutiusquè, ut aliqua studiosè nesciantur, quàm in palam, levitèr (aut ardentèr) vocata, non coërceantur, nec ad regulam redigantur. Remedii sæpè vicem tenet, nullum rebus adhibere remedium, sæpè optata spontè veniunt, aut secùs quæ mala, spontè senescunt, & cessant cum tempore, immò sanantur neglecta, contemptimvè habita, dein fragilitati hominum, aut tempori condonata, quæ secùs, in pejus irritentur, revelata, exprobrata, deprehensa, dùm obviando, satis non sumus, aut fortè dextrè nescimus, eoquè remoto velut obice, incitamentum continuandorum, in pejus damus. Falluntur ideò, quibus dissimulatio, despectui, exsequi statim, heroicum videtur, tædet *eminùs* per lenta & cautè meditata; Verùm, *comminùs* rem aggredi, per abrupta placet, dùm pro ardore mentis, cujuscunquè moræ impatientes. Cunctationem vel moram, inter servilia & damna, non inter cauta, & præmeditatata ponunt, eoquè casui, & lubricis, quàm firmis propiores; quibus agendi, quàm sibi providendi, majus inest studium. Prout è contra, dissimulatio nimia, quandoquè sub incuriæ nomine contemnitur, causam damni fert, & ignaviæ notam habet. Aut quæ mille talia; Quæ nisi tempus, occasio, res, personæ, locus, eventus, necessitas, màgis aut minùs,

minùs, citiùs aut feriùs in rem fervire, vel obeffe docent, ad lancem judicii, omni procul affectu librata.

III. Stoica fapientia, verè Ethnica, prudentiæ Catholicæ contrariatur; Immò rectiùs fi perpenderis, ipfiffima occultæ mentis, fuperbia eft. Hinc illa orta, Stoicorum paradoxa. *Sapientem omnia fcire*, *Non errare*, *Nihil illi præter opinionem accidere poffe*, *Non admirari*, *Non dolere*, *Non triftari*, *Non egere*, *Diis deniquè parem effe*. Quorum mens, occultam ad fuperbiam inclinat, mirùm, quàm cupidè, Stoicam prudentiam & mores, in fpeciem gravitatis æmulentur, fubtriftes, aufteri, illatorum ex præfumptione pertinaces, immò quoquo modo cœptorum, fub nomine conftantiæ, perfeverando morofi, nec moneri, nec corrigi ferunt, dùm fibi complacent, & fuper alios haberi præfumunt, populari præfertim Reipublicæ, minimè apta ingenia. Vel fecùs, fcire fe omnia ut videantur, pleraquè levi intuitu tranfeunt, opportuna non fcifcitantur, ad pleraquè non refpondent, immò agenda fubterfugiunt, affectata taciturnitate utuntur, honefto quietæ mentis nomine, fegne otium velantes, metu nè parùm aptè agendo, refpondendoquè, opinionem prudentiæ amittant, vel quia res & perfonas, cum quibus negotium intercedit, infra animum habent. Taciturnitas quidem, potiffimam partem prudentiæ occupat, fed affectata illa, ad fuperbiam vertit, velut de Tiberio Tacitus (*Annal. VI.*) *Silentium ipfius, non civile ut crediderat, fed in fuperbiam accipiebatur.* Cur taceam? cur non agam? cùm rebus in magnis, bonus zelus, cùm urgendi, obviandiquè neceffitas, os loqui pro abundantia cordis, (ut ajunt) & aptare manus operæ, jubet. Verùm offendetur ille, modò nè virtus, modò lex, refvè Principalis nè offendatur, adipifcendi dùm adeft opportunitas, vanum tibi (nifi re habita) modeftiæ nomen. Optatiffimum malis, ut rectiores, modeftiæ vel probitatis nomine, teneantur quieti, cedant fibi, interim ipfi, pro ambitu, impetum faciant in vacuam Rempublicam, licentiosè facturi, quæ legi, quæ virtuti, haud confona funt. Tamen intra moderationis terminos, bono zelo prudentioribus utendum, tempus, perfonas, rerum occafiones, infpectando, nè contra ipfa fata, ex irrito pugnes, & illudaris. Quo cafu, in partem fe *maturè* fubtrahere (ut faltem non affentiaris) unicum

unicum rectis confilium adeft. Nè fortè pro importuno zelo, eveniat, velut Thrafeæ (*apud Tacitum Annal. XIV.*) cui abfentia profuiffet màgis, quàm contra prædominanten in placita Principum, corrupti jam fenatus, recti honeftiquè incuriam, nimis apertè, irritoquè agere conatu. *Thrafæa Pætus, filentio vel brevi affenfu, priores adulationes tranfmittere folitus, exiit tùm Senatu, rem ut improbans, ac fibi caufam periculi fecit, cæteris, libertatis initium non præbuit.* Quàm præterea præfumptuofa Stoico-fapientum opinio. *Nihil Præter opinionem, fapienti poffe accidere.* Immò verò accidit, ut feipfos ftultâ opinione involvant; Famam Stoicæ prudentiæ, affectatè retinere dùm cupiunt, quæcunquè evenerint, velut dudùm prævifa, fæpè neglectim, contemptimquè habent, non fatagentes, quærendo, videndo, curando, obviando, quare in præfens? quomodo fiat in pofterum, quafi omnia pro debito, immò ad nutum eventura. Sæpè deindè *triftis* Stoicorum *gravitas*, civili vitæ & focietati obeft, dùm pro levi habent, bona & bonos laudare, tùm applaudere rectis, *nè res ut novas, admirari videantur*, aut fecùs, quidquid mali privatim, aut in publicum, fibi vel alteri acciderit, contriftari, vel dolere, intra gravitatem Stoicam ducunt, undè axacerbant neceffe multos, velut levi intuitu, læta, triftia, adverfa, refquè amicorum contemptim tranfmittentes. Cur ego bona, bonofquè ftudiofiùs non laudem? cur? excitandæ in melius virtuti, pro bono affectu, amæniore tùm copiofiore verbo, geftu & fronte (intra tamen gravitatem, nec extra rectam ingenuitatem) non adblandiar. Cur? meum alteriufquè dolorem (fed infractus animi, nec penitùs dejectus, aut mollis) pro confeffione infirmitatis humanæ, non exaggerem, nec agnofcam, nec foler. Nemini utiquè, fuper cafus humanos, afcendere licet. Cur? (deindè) fi erraverim, errorem non faterar ingenuè, cur non trifter de aberrato, quod ut propiùs pœnitentem, etiam proximè corrigentem eft, humanum eft labi, *qui autem nefcit fe errare, corrigi non vult.* Qui non triftatur, non apprehendit, dùm non apprehendit, differt, contemnit, nec corrigit, nec obviat, in pejus malum recurratur. Scio quidem, Stoica ingenia, ad triftem feveritatem & rigorem, naturalitèr inclinare, fæpiùs arguunt, quàm laudant, puniendo quàm præmiando promptiores, damnando,

nando, quàm ſublevando, ſæpiùs affectatè, quàm opportunè, in ſpeciem conſtantis animi, & pro fama juſtitiæ, etiam diſſimulanda, & quoquo modo excuſabilia, non indulgentes, implacabiles & immoderati; contractæ ſæpiùs frontis, quàm amæni, undè, rariùs amicos habent, quaſi ſe contenti, dùmquè efferri videntur ſuper alios (pleriſquè ſuccenſentes) ipſi contemnuntur. Dicas hinc. *Stoico-ſapientes non errare*, immò errant, ſed præ ſuperbia non fatentur, in alios malè actorum cauſam, aut in neceſſitatem fati transferentes, malunt quidvis mali, in opinionem fortis animi & conſtantiæ, patiendo ferre, quàm aliena ope eluctari, nè infirmitatem fateantur. Verbo rem claudo. Dolere & triſtari; contra ſapientiam Stoicam, ſed non contra Catholicam eſt. CHRISTUS ad obitum Lazari, dolentium lachrymis ſuas conſociavit, Flevit ſuper Hieruſalem, & condoluit venturis malis, ſalvari cunctos cupiens, immò impenſiùs ſtudens. Sæpè dolor & lachrymæ, non mollitiei vel fractæ mentis, ſed ingenui pectoris, recti animi, & propitiæ voluntatis, ſignum ſunt, aut ſecus, velata ſuperbia, & animi obſtinata malitia, tùm rerum ſupina incuria, aut levitas vocanda, quam infractam generoſitatem, falsò intitulamus. *Triſtari* igitur, pro ſuis, & pro amicorum malis oportet, ſed intra modum, *Ut enim non ſentire mala, non eſt hominis, ſic non ferre, non eſt viri*, dolor & triſtitia, ſæpè cos eſt activitatis, dùm eo ſtimulo, promptiùs obviando, pellendiquè malo admonemur. Quod deniquè Stoico-ſapientes, *nunquam egere ſe dicant*, immò egent non fortunâ modò, ſed ipſa rectiori virtute, tùm remediis occultioris ſuperbiæ, dùm inter ærumnas, cor ipſum exedentes, fronte ad amænitatem coactâ, neceſſe ſibi imponunt, agere felices. Crediderim exindè nec fortunam, nec homines rectos, talibus poſſe fieri amicos, ut pauci neceſſe ſubveniant cadentibus, ſed tantùm opinio quorundam Pſeudo-politicorum, aut vanitas ſæculi, titulum fortitudinis animi, tùm infractæ generoſitatis, talibus abſtruit. Non igitur jactent, *ſe diis pares*, ſed veriùs, præſumptam ſapientiam, ſuperbiamquè niſi temperarint, rectis quibuſquè hominibus, ſciant ſe multò inferiores.

IV. Impertinentia qui petit, fallere aut jubere præſumit, aut habet levipendio, cum quibus res intercedit, vel demùm rixæ, cauſam venatur.

V. Quibuſdam pro virtute, intraquè prudentiam modeſtè agere, titulum puſillanimitatis, & ignaviæ parit, atquè ideò, vitio ſæculi contemptui ſunt. Secùs feroces, linguæ nimii, verſuti, ſuperbi, & ex occulto, vindictæ cupidi, nomen prudentiæ vel magnanimitatis ferunt, ideòquè honori, & reſpectui habentur, verùm apud eos, qui ipſi tales, *pudorem atquè modeſtiam pro ſocordia æſtimantes.* Sed valdè falluntur, cùm virtus & modeſtia, nec prudentiam, nec fortitudinem excludit, immò illam peniciùs habet, verùm cautam, intraquè honeſti & licitorum legem, lentiùs agentem, ut non ſtatim prodatur, ſed tandem meliore eventu. Illi priores, pro impetu dùm agunt, tandem impingunt in errores, quorum mox pœniteat. Horum amicitiam, & vitæ commercium, prudens caveris, apud eos enim, *beneficia* (ut ille ait) *pro maleficiis, maleficia pro beneficiis habentur*, quem metuunt, reverentur, quos non metuunt, contemnunt. Quærunt, quos nondùm habent, negligunt amicos quos habent.

VI. Depravati ſæculi, parùm capit corruptam fidem, decipi volens cupiens, aut pro teneritudine propriæ, alienam conſcientiam metitur incautus, qui juramento, vel ſcriptis ligaminibus, teneri ſatis hominum fidem, properus credit; nàm ſecùs hodiè fit, dùm ſcripta, vel juramenta, pro ſtratagematis fallendi habentur. Da homines aſtutos, laxioris conſcientiæ licentiâ, tùm joco, rem & ſcripta eludentes, da ſciolos, ſub velamine liciti & honeſti, interpretatione æquivoca, ſenſuumquè diſtinctione varia, (prout conducit) huc illuc, verba intorquentes, ut niſi certiùs *pignus fidei* manu teneatur, vel cogere in promptu ſit, ſervari tibi fidem, à diſcretione ſervantis, non merito cauſæ, vel pro debito rei & commodo, habeas, ſi tamen habiturus es. Corrupta paſſim civili fide, norma *contractus nundinalis*, hodiè probatur; Merces hic in forum, pecuniam ille, bona fide donandam ferunt; dat hic, aut non? retrahit ille, aut *ſtatim* elargitur; Cætera fori, peſſimè ad fidem aguntur; Ut planè (negotiis præſertim in gravibus, ſi apertè rem & commercium vitare non poſſis, ſaltem prudentèr, in molliora deflectere, conducibiliùs putes, aut ſecùs, volens, decipiaris ipſe, non illi te decipiant, quibus fallere in poteſtate eſt,

eſt, dùm velint, facilè qui credis, & cùm illis commercium habes. Antea juramentum & ſcripta, habebantur roborandæ fidei, apud bonos, nunc fallendis rebus, ut conceſſum elabendi beneficium, apud malos uſurpatur. Immò antea pro natura priſcæ ingenuitatis, non peccabatur *virtutis amore*, nunc abſtineatur, apud malos, formidine pœnæ.

VII. Magnis in erroribus, tùm caſibus periculoſis, & conatibus Principum, vel populi, privatis & in publicum, quos declinare omninò non poſſis; minorem (velut ſponte, in ſpeciem excuſabilis liciti) admittere, modò ut majorem quoquo modo præoccupes vitaturus, loco grandis prudentiæ habebis. Patieris potiùs verucam, quàm ut admittas, irritando gangrenam. Si tamen errorem majorem, æquè ac minorem, vitare in poteſtate ſit, mollis aut iners nimiùm videare, ſi admittas. Non improbaverim Othonis factum & ſolertiam, apud *Cornelium Tacitum*, dein *Senecæ & Burrhi*; Otho ad occupandum imperium, favoribus militum ſubnixus, nec vetando adhuc potens, minacem inſolentium animum, quædam indulgendo, dextrè temperabat, nè in pejus erumperent. Ait Tacitus. *Marium Celſum conſulem deſignatum, ad ſupplicium miles expoſtulabat, induſtriæ ejus innocentiæquè (quaſi malis artibus) infenſus, ſed Othoni, non dùm authoritas inerat, ad prohibendum ſcelus, jubere jam poterat, ita ſimulatione iræ, vinciri juſſum, & majores pœnas daturum affirmans, præſenti exitio ſubtraxit.* Dein Nero, in omne genus licentiæ, tùm flagitii effuſus, cùm ſiſti non poſſet, *Senecæ & Burrho viſum, nè utrumquè pervinceret, alterum concedere.* Sed *Burrhus* Principis malè actorum màgis diſſimulator, *mœrens, ac laudans.* Et Julius Agricola malo ſub Principe, ſatis prudentèr, non enim factorum, dictorumquè contumaciâ, *tùm inani jactatione libertatis, famam ſibi fatumquè provocabat.* Verùm moderatione ac prudentia res leniendo, maluit ſuperſtes eſſe temporibus, ſaltem in molliora quoquo modo declinans, quàm eò inſolentis jactationis venire, velut pleriquè minùs prudenter, *eundo per abrupta, in nullum Reipublicæ uſum, ambitioſa morte inclaruerunt*, quorum vita, plùs profuiſſet occaſionibus aliis, ſibimet & civibus. Depravatis paſſim in Republica rebus, minore vexa tùm periculo, tolerantiam in tempus, quàm remedium

dium cogites, aut cauſam erroris, cum offenſa perſonarum edisſeras, tempori Deoquè màgis, ſananda commiſſurus: Incertum levamen mali, vel remedium, certum aliàs (dum obſtas) periculum adeſt, in occaſiones tamen intentus eris: Depravati homines ac tempora, aſſenſum non conſilium, nec remedium quærunt. Sic ferè prudentioribus ſuetum, dùm totum declinare non poſſunt, ut aliqua, per incuriam velut tranſmittentes, nec in omnia, advertendo curioſi, indulgeant, nè contraveniendo; in pejus irritent, potentem vel obſtinatam malitiam. Abſit hinc Stoica prudentia, ſingula ad regulam legis, ſcrupuloſè vocans, ſed politicum & amænius ingenium præſtat, velut pictores, adumbratione colorum, & ſcita rerum diſpoſitione, ejuſdem tabulæ in plano, propiùs aut remotiùs, majores vel minores, repræſentant nobis figuras, non quod hæ aut illæ, verè ſint, ſed niſi dextra ac rudi opera, dùm fallunt intuentium viſum; ſic tenaces propoſiti hominum animos, & affectus, arte fallere, aut eludere in rem conducit. Non tamen (abſit) te merum Politicum ſic volo, quaſi eo documento, Catholicum te obliviſcaris, laxioris conſcientiæ licentiâ, in illicita vadere fas ut ſit, ſed eâ normâ, ut pejoribus flagitiis, dùm occurris, minoribus ſaltem non aſſentiaris, negativè te (Logico utar verbo) habiturus, immò velut factum non intelligas, ſomnum ac inertiam ſimulaturus. *Unicùm malorum remedium, ſi non intelligantur. Evulgatus pudor, non ſatietatem ut multi rentur, ſed incitamentum adfert.* Imiteris prudentes coäctores aquarum, qui obſtacula & clauſtra, tumeſcenti aquæ, impetum eludendo, vel minuendo demunt, nè ſi niſu toto reſiſtant, obſtando augeant vim, rumpendis obicibus, & inundandis agris periculoſam.

VIII. Eludere legem, nunc pro nota libertatis, & prudentiæ habetur, quod è contra bonis, ſervitus & impudentia vocatur.

IX. Cum norma ædificatio, lentè; ſine regula deſtructio citò peragitur. Deſtructio pauca requirit, rectè facere, multùm.

X. Proprium eſt ingenii humani, odiſſe, quem læſeris, & promptiùs amare, cui benè feceris. Quia fortè, obſtricti beneficio noſtro, pro amicis dùm habentur, proximùm, ut fidentiore propendeamus (velut non fruſtra facturi) in eos affectu; ſecùs ab

ab illis prioribus, facilè alienamur, congressum vitaturi, dùm non amare nos, pro accepta injuria creduntur, etsi nondùm planè amare desinant, sed quia pro nostri conscientia demeriti, sic imaginamur. Spontè ideò sæpè amittimus amicos, aut paramus infensos, nostrâ veriùs causâ & occasione, dùm non abrumpimus stylum offensæ, pertinaces, (irritamenta potiùs amicitiæ, per incuriam velut, sed revera studiosè ostentaturi) quàm ex alterius voluntate.

X I. Stultum rectiùs vocaveris, non qui errat rectæ mentis ex *defectu*, sed màgis, qui stulta facit, *ex abusu*. Excusabiliùs utiquè *illi errant*, hi *peccant* scientèr, & affectatè, ideòquè culpam ferant graviorem.

X I I. Prout hominum dona, gratiora sunt nulla, quàm levitèr data, vel contemptim projecta, sic acceptior *nulla amicitia* nobis, id est non præsentata, immò penitus ignota, quàm haud sincerè, sed levitèr, joculatorièvè oblata. Illa, utiquè non parat amicos, sed nec inimicos quoquè, hæc màgis irritat, & offendit, falllax, umbratilis, vexatoria, quàm si haberetur planè remota. Ignotos, nec odio, nec amore prosequimur, velut ad nos injuriâ vel beneficio, agendo vel patiendo vicissim, minimè pertinentes, secùs notos, nobisquè proximiùs adhærentes, nisi enixiùs amemus, certè odio prosequimur curatiore, nec tertium datur.

X I I I. Aliud est debitum vel ordo honoris, aliud insolentia, & titulus superbiæ; sicut Parentes à filiis, sic majores à minoribus, justè honorari præcupiunt, ac debent, non ex superbia, Verùm ex *ordine honoris*, modò ipsi vicissim honorent; Authoritatem perdit, qui negligit levitèr honorem. Qui non habet authoritatem, nihil, aut precariò potest.

X I V. Dicti aut factorum injurias, non fortiùs excipies, quàm opposito *lentæ Gravitatis*, seu Dissimulationis, immò contemptus nonnunquam scuto; Cautus tamen, valens, & ingenuus (arguendo) *intra virtutem*, undè sequi amat, rubor delinquentis, & pœnitentia. Falluntur, qui minas, aversionem, jurgia, odia, iras suadent, quàm ut in pejus irritent odia, non finiant, dictis dicta, factis facta, & vindictam provocaturi. Intra dissimulationem tacendo, utiquè nullum inconveniens incurratur, loquendo secùs, aut agendo, possunt fieri multa. Velut mollia non faciunt sonum, mollitèr dùm recipiunt ictum, dura cùm resistunt, latè sonant. Satis utiquè ingenuæ superest vindictæ, sufficientes modò ut videamur, vindicare potuisse, dùm velimus.

XV. Exsequenda rectè jubere, vel obtinere qui vult, induat personam ac penetret statum, naturamquè *patientis* potiùs, quàm *agentis*; Id est, non màgis, quomodo jubeamus, sed quàm grave sit, aut qualitèr institutum laturus exsequendo (cui imperatum) consideraturi. Facilia sæpè alieno periculo, tùm labore, & levia videntur, ferentibus legem, jussa, ordinem, impensas in alios, quæ secùs, accipientibus, per omnia temporum, rerum, personarum, casuum, difficultatum, ac eventuum momenta, transmissuris, difficilia & acceptu gravia sunt, ut nec successum, nec amorem, sed excusantium gravia in post odia, & diffidentiam experiamur. *Jubeo*, verbo & momento definitur unico; *Exsequi*, ratione, tempore, impensâ, labore, auxiliis opus habet, & fortunâ. *Patientis* igitur naturam, non meliùs assequitur & noscit, quàm cui ferendum est, proprio enim malo hic angitur, *Agens* alieno. Libertatis etiam dona, non penetrat, vel casuræ momenta veretur acriùs, nisi ad quem, ex amissa, servitus proximiùs pertinet, aut periculum restat. Hinc plerumquè, aulæ clientes, tùm incauti juvenes, casuum inexperti, favoribus modò in præsens imbuti, quò propiùs fortunam & gratiam Principis, eò remotiùs sunt à metu ruituræ libertatis, privatam sibi, dùm quoquo modo habent, negligunt publicam. *Abundè rati, modò ut præsentibus fruantur, nec in longiùs consultantes, posterorum incurii.* Præsertim verò eloquentuli, quorum unicum omnium certamen, qui blandissimè legem fallat, aut per artem subvertat. In tantum sacrosanctæ leges, ubi serviunt ad arbitrium, dùm hæ obstitêre, mox adsunt novi juris repertores, vel interpretes, eòquè per omnia, non lex, sed voluntas est pro regula. Quibus inquam, per ignaviam, perindè est, turpe nè per obsequium, alienaquè discretione, an beneficio avitæ Libertatis, tùm propria virtute, esse securos, vel emercari deformi submissione, an habere per ingenuitatem, quæ sibi debentur, parùm differt. Tyrannis verò, igna-

ignaviam non petit, inertia vel parvitas, securissima est, adulatio placet & obsequium, sola *virtus & Magnitudo, nomenquè Libertatis*, periculum habet, deniquè ibi crimen, ubi ingenuitas, vel opes. Rectè Tacitus Annal VI. *Haterius, somno aut luxuriosis vigiliis marcidus, & ob segnitiam, quamvis crudelem Principem non metuens.* Sic ferè mali Principes, segnem cujusquè innocentiam præcupiunt, activam oderunt. Dicam clariùs, serpens, serpentis necem, vipera viperæ casum, non appetit, aliis cùm periculum ferunt, sibi non obsunt, dùm sibi similes, & ejusdem sunt naturæ; Sic aulæ clientes, ferunt plerumquè, laudant, excusant, immò juvant, Principum æqua perindè ac iniqua, velut sibi minimè nocitura, pro familiaritate Principis, dùm velut ejusdem cum ipso sunt naturæ, & intenti, nec ideò verentur; Fortunam potiùs stabilientes, & procurantes messim suam, dùm Principis, calamitate publicâ crescunt, calamitatem provehunt. Secùs ab aula remotis, adversa omnia eveniunt, quæ gravi Domino prosunt, sibi nocent, ejus lucra, sua damna sunt, ipsius errores, sua pericula, quod illi accedit, sibi priùs demptum sit oportet, eòquè meritò, rerum momenta excutiunt, suspecta timent.

XVI. Partium adversarum res discordes, non meliùs componas, quàm si *ex ratione & justitia*, non ex inclinatione ad partes, aggredieris componendas, commodum unius, sine alterius injuria pensaturus, & vera utriquè propositurus, ex æquitate. Secùs ubi partem in alteram inclinaveris, alteri jam noces, eòquè, amittes componendi confidentiam, & artem, ut si velit pars una, rejiciat altera. Nemò vulnus promptiùs offert curandum, quàm cui confidit. Cura igitur, ut æquus videaris, utriusquè amicus componendo, non *partis assecla*: Undè compones, haud difficultèr, resquè probè dignosces, judicaturus.

XVII. Novis moliminibus, aut cœptis, actione prima, authoritatem parare necesse, in majus sequentium robur, dùm aggredimur rem, cum *virtute, prudentia, audentia, & valore.* Mox aperiet se ipsam occasio & fortuna, tùm fautores validorum amici, animum ex eventu sumpturi; Recens fervor, validissimus est, eòquè utendum, antequam senescat, rarissimè invalescit, sæpiùs est in decrescenti; Cum dubitas ipse, aut differs, eò magis hæsitabunt amici, æmuli erigentur in majus, dùm rem irritas, nec agis, velut impotens, iners, aut confusus, agendi prima tempora, parti adversæ proditurus, *nec audens satis, nec providus.* Magis verò malè tentata nocent, quàm nihil gesta. Secùs, multa videntur ardua, impossibiliaquè factu, quæ intra virtutem & prudentiam tentantibus, expedita fient, pervia, & volenti aperta. *Multa ausis, aliqua parte fortunam affore.* Qui magna petit, saltem assequitur media. Cavendum igitur, magna (sed in speciem) molituris, nè eveniat, velut avium terriculamentis, qualia frugum vel hortorum curatores, abigendis avibus, paucorum dierum commodo exponunt, ubi enim, vana statuarum hominumquè stantium sine motu, deprehenderint simulachra, proximiùs advolant aves, impunè phantasmatum inania contemnunt, oculos ipsos statuarum fossuræ.

XVIII. Misera conditio magnorum, quorum injuriæ, nec periculum creditur, nisi cùm perpetratum fuerit, vel apertum occidium sequatur. Inviolabiles creduntur, qui potentes, cùm secùs fit; sæpè musca, sæpè culex, dorsum impunè vexat, jubamquè invadit leonis, cùm parvitas ipsa offendentis obstat, abigendo. *Exigua gleba, ingentes sæpè arietat currus.*

XIX. Mira naturæ, virtutumquè hominis œconomia, defectum unius, cùm recompensat, transcendens in admirationem usquè hominum altera, quod subtravit parte una, reparans per alteram. Nemò per omnia bonus, nemò per omnia malus est. *Severitatem* in hos, attemperat *comitas*, & munificentia in illos, nec sibi ipsi parcens, aut se mollitèr habens rigor, deindè juvat, per reliqua rerum agendi prudentia. *Melancholiam seu tristem & insociabilem vitam*, compensat rectæ mentis probitas, actio non obliqua, morum & vitæ decentia, tùm sedatus & gravis animus. *Superbiam & exacerbationes* supplet, aut excusat quoquo modo, animi fortitudo, audentia & valor, item magna per reliqua morum & officiorum authoritas. *Turpem tenacitatem*, velat utiquè in cæteras vitæ partes, actionum honestas, & si quæ insunt animi, ingeniiquè dotes. *Iram properam*, rependit prompta (intra tamen gravitatem) recollectio, comis sermo, dissimulationis virtus, & recompensans bonitas, cui rei, secessus beneficium & ars, non levi-

levitèr prodeſt, ſciens præſertim cùm ſis, non ſatis frenatarum tibi paſſionum, ut primos affectuum motus, iræ dico, triſtitiæ, dein lætitiæ, vel amoris, ſecretioris cubiculi in receſſu, deferveſcere primum ſinas. Immò ſecedas, aliquantulum ſtudiosè, per alios, ſecurè dùm licet, tractaturus, quæ affectum movent, ut compoſita niſi fronte, geſtuquè, viſendum te præbeas, egreſſurus, nè impotentiæ animi arguaris. *Animi mollitiem*, velat ſuavitas agendi, rectitudo, tùm cætera virtus. Omnia verò, compenſat *prudentia*, aut obtegit diſſimulatio, taciturnitas, vel ſubticentia, immò maximè, alloquii ſuavitas, & liberalior (*ſed attemperatus morum gravitate, citraquè levitatem*) convictus, quo velut melle, temperari poteſt, quidquid in actione hominis amarum eſt. Ideò abdita mentis, introſpicere neceſſum, quod vitii genus, ad civilem vitam, & amicitiæ parandæ obeſt, ut ſi fragilem naturam flectere, corrigendo vitio, vix poſſis, ſaltem contendas, ut altera parte virtute rependas, non ſecùs perſeverans, in ulteriora dehoneſtamentorum, morosè & per contumaciam. Si pars abſtraxit una, attrahat ſaltem altera. Sed verbo rem claudo, & in pauca conferam. Alii agendo, alii conſulendo, vel ſaltem aliena probè dignoſcendo, aut exſequendo, præſtant; Immò, eloquio tantum hic, ſcripto ille, ingenio, vel recto judicio alter, facto niſi & opere, tacitè potens alius; Dico adhuc, uno alteroquè præſtat aliquis, ſed rari admodum, aut nemo ſimul, per omnia valet. Tardus hic inceptu, vel hebes apprehendo, ſed cùm aggreſſus fuerit, agendo perſeverans, animo infractus, nec vanis terriculamentis, eludendus, nec ceſſans, niſi perficiens, tarditatem incepti, vel negligentiam, præponderans & penſans agendi perſeverantiâ. Temerarius hic aggrediendo, ſed fortis & valens, faciens ipſe ſibi occaſionem, & fortunam, levitatem conſilii, fortis cùm ſupplet actio, aut ſaltem recollectio, velut inſtructiſſimi in gyros formandos equi, accurrunt, recurrunt, huc illuc vertuntur, curſu inoffenſo. Projectus hic in intricata & periculoſa, ſed mirus evadendo, immò adipiſcendo, ſciens occaſionum, ſciens animorum, in adverſis recollectus, audens, fortis, nec deſperans, nec confuſus, conſtantia, inſtandoquè ſuperans totum. Deindè ſtupet in repentinis, & confunditur alter in adverſis, ſed in proſperis,

ris, tùm per pacata, lentè agendo, & ex tacito potens. Hic per privata, minutiorum velut incurius, non valet, ſed in publica, tùm gravia, erectus, toga & bello commendatur, defectibus per omnia obtegendis, condimentum ex aliqua trahens ſtudiosè, attemperanſquè, aut ſuſtentans virtute, vel *adjunctis*, velut veteris aulæ Neronis, tùm novæ ſub Galba, inducit mala, Cornelius Tacitus, *æquè gravia, non æquè excuſata*, cùm *ipſa ætas Galbæ, ac novitas, irriſui & faſtidio erat, aſſuetis juventæ Neronis, imperatores forma ac decore corporis, inſitaquè dudùm Cæſarum domus Majeſtate, (ut mos vulgi) comparantibus*. Sæpè *minora* vitia, in pleriſquè damnamus, cùm ſecùs *majora*, facilè condonamus, iis, qui amænæ & ſubridentis faciei, tùm reſponſi, convictuſvè, procul ſunt omni triſtitia, vel morum ſeveritate, malè dictorum actorumquè, condimentum, ac recompenſativum ex eo habentes, quoquo modo excuſati, ſeu, dùm molliùs, ſub ea larva tolerantur. Manlium Torquatum, ſeveritas nimia, non in odium exercitus, ſed in admirationem dedit; ſecùs lenitas & indulgentia, Valerii Corvini, non in contemptum, ſed in amorem verſa (velut non improbè obſervat Machiavellus) ut nec ille amorem apud ſuos, nequè hic perderet, propter alias quæ inerant partes eximiæ virtutis, authoritatem, æquilibrium, vel *Contrapondium* (ut ſic loquar) adhibendo rebus, ex alteriùs actionis venuſtate. Falluntur ſecùs, qui falſarum virtutum nomina, aut imagines, parandæ amicitiæ, tùm velandis vitæ probris aſſumunt, ipſi planè falſi, obliqui, eòquè vitandi; ſpecie non natura boni, vitia blandientia, rebus obtendentes, umbram virtutis, non ipſam virtutem habent, immò plùs formæ, quàm virtutis. Ineſt obvia commeſſatio, & ſolutior in hilaritatem affectatam convictus; congreſſus & alloquii, reſponſorumquè hamata facilitas. Officii, (ſed non ultra verba) promptitudo, putares, non alium meliorem, non màgis rectiorem reperiſſe te amicum. Parata promiſſa, ſed quò effuſiora, eò minùs certiora. Horaria confidentia, & in aurem (velut tibi ſoli crediti) ſuſurri, amicitiæ venandæ illicia; obvius, comis, ſed fucatus ſermo, prout *luſciniæ, nunquam ſua deeſt cantio*; Facies aut amæna, aut ad modeſtiam coäcta, malitiosè vel ſubdolè, mentis larva: Non prompta ex levibus offenſa,

Vitii grande compenſativum ex aliqua virtute.

ſa, ſed ex pari, jocum joco eludens argutia; liberior, ultroquè laceſſens jocus, lepidi mendacii tùm æquivocationis ſale, in aulicam venuſtatem, novorum ſtylo politicorum, reſperſus; Omnia in familiaritatem compoſita, dùm ineſt animo fallacia, malignitas, ſpecie modeſtiæ occulta aut ſubtriſtis ſuperbia, ambitio, amor, quæſtus, & avaritia, levitas, tùm actionis inconſtantia, ut ſi turpes ideò in errores, ac perſonarum offenſas, (velut ſæpè fit) talibus incurrere contingat, adeſt ſui erroris, velut ex parato, in alios dextra retorſio, tùm evadendi mira praxis, & qui ultimus malè agendi gradus, ubi pudere ſeriò deberent, jocantur. Negant, fatentur, amant in ſpeciem, ſimulquè oderunt, pollicentur, ſubtrahunt, laudant, vituperant, incipiunt, negligunt; idquè totum, ſui, non mutui boni cauſa, pari licentia, prout conducit, ac levitate, immò & ſuperbia, velut impunè malè agere liceat, eòquè liberiùs, ut in poſt peccetur; Quæ bonis flagitia dicuntur, iſti venuſtatis vel prudentiæ, aut cautionis loco, ſibi habent. Quò màgis amicitia talium ſtare te credis, quidni? pœnitendum dejectus jaces. Tamen iners vulgus, fallaciis talium, velut ſpontè capiendum ſe offert, ut corrupto præſertim ſæculo, & populo, ſtudia vulgi, bonis rectiſquè artibus, quæſita, raro perindè aliquibus meliorum adſint, quàm talibus, actionum per obliqua.

XX. Velut in nobis facilem compenſat, aut ſuſtentat virtus, quæ forte, ad reliqua perfectionum defuère, ſic è contrario, annexa vitia, detrahunt non levitèr famæ honeſtati, & parandis vulgi favoribus obſtant, niſi corrigas. *Bonum* juſtiquè amantem *animum*, arguit ſubtriſtis & incivilis vita, dein morum actio inveniuſta, tùm parcitas, ac præſertim properus in iram, ulceroſuſquè in levia offenſionum animus. *Authoritati* multum detrahit levitas, aut ſpecie comitatis, multiloquentia, parva deindè cura, aut taciturnitatis, aut diſſimulationis. *Divitias ingenii*, dehoneſtat pauca in exequendum activitas, mollities animi, tùm intra linguam ſubſiſtens vis, & vigor. Omnia verò deturpat ſuperbia, exſultans actio, malignitas, inconſtantia, ſubdolum ingenium, aut ſi qui ſunt dehoneſtamentorum, vel obliquæ mentis nævi, prout màgis vel minùs, hominis animo inſunt, aut prædominantur. Vel dicam clarius, prout hæc, tùm illa virtus, aut vitia, ſuperiore, vel inferiore in nobis intenduntur gradu.

XXI. In ambiguis materiarum, vel ſuſpectis, quibus deprehendi damnum, vel periculum adeſt, prudentiùs agunt, qui tacent, quàm in partem meliorem (bona ipſa licet) qui loquuntur, dùm præſertim, in imperitos, aut obliquæ mentis auditores incurritur. Dicta hic, ſenſum ille, intentumquè ſermonis, non intelligit, alius pro malignitate, æquivocationibus laborat, dicti affectum intorquet, ſecùſquè interpretatur, aut imponit. Immò, licet intelligat alter, bonus ipſe, mihiquè benè velit, eo ipſo tamen nocet, quia per inertiam narrandi, aut per incuriam, aufert verbum, addit, mutat, vel tranſponit, undè immutatur natura dicti, in perdendam rei venuſtatem, præſertim ſi occaſionum neſciens, aut incurius perſonarum. Parùm verò intereſt, utrumnè ignem comburentibus ædibus, infert aliquis ſtudiosè, an per inanimadvertentiam, facem malè extinctam angulo ingerit, vel tollendam negligit, in alimentum ignis; Vel ſi medicus, mutata per errorem pixide, loco pharmaci melioris, medicatæ, imponat cicutam, vel aconitum potioni, ſic parùm refert, ſtudio nè an per ignorantiam aliquis mihi noceat, ſi tamen nocet, nullo ad corrigendum regreſſu. Tace igitur, quiſquis es, tace; minùs ſic in Deum peccabis, minùs offendes perſonas, minùs ipſe tibi nocebis. Taciturnitatis vix quidam, loquentiæ arguuntur multi, illa nemini, dicacitas pleriſquè periculum fecit. Sermones noſtri, alphabeti literis ſimiles, undè quot verba, quot linguæ, libri, ſcripta, dictaquè formantur, laudes & vituperia, recta vel obliqua, fidei dogmata, hæreſeſquè, blaſphemiæ, aut preces, vitæ vel mortis ſenſus, amores vel odia, prout verba combinantur, componuntur, ſonant; Sic eodem noſtrò ex ſermone, non prout loquimur, ſed prout bonus, maluſvè adeſt, qui audit, aut interpretatur, tales ſenſus experturi, & dicta noſtra habentur. Verè ille ait: *Liberè dicta, frequentiùs alienâ veniâ, quàm noſtrâ prudentiâ tuta.* Qui tacendi igitur, non novit artem, nec loquendi ſcit, opportunitatem. Adjicere hoc loci non obſit, ultimum illud eſſe in ſervitute, atquè ideò in tyrannide, dùm in ſecreta populi, inquiritur à Principe. Ipſa rectitudo & virtus, non extra periculum tunc ſunt, dùm non ex merito ſuo, verùm pro arbitrio delatorum, prout in hunc, aut

aut illum affecti, vita & fortuna populi pendet, vel prout in obliquum res trahuntur. Optimi Principis titulo, donatus Trajanus, qui submotis delatoribus, secretorum libertatem, populo donavit, non habuit causam irarum, & sæviendi, quia non quæsivit. Secretè dicta, factaquè nostra, interioris mentis imaginem habent, prout non omne datur (à Deo) crimini, quod mentem primam incurrit, verùm nisi consensu decernitur, sic pro libertate secreti, levia sæpè, hæc aut illa cadunt, sermonem intra, & in actionem, quæ risum vel indulgentiam judicis potiùs, quàm reprehensionem mereantur, eoquè recollecta mente, ipsi in bonum promptè flectimur; Ut igitur non aliquis hominum, verùm Deus, mentes in nostras, sic in secreta, rectum judicium, idem ferat, quæ in meritum, aut quæ cadunt in reprehensionem, homines secùs judiciis falluntur. Certè in secreta populi, non inquirunt Domini, nisi qui mali, & odium se meruisse putant. Rectè similia temporum incusat Tacitus (*in Agricola*) *Dedimus profectò, grande patientiæ documentum, & sicut vetus ætas, vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones, loquendi audiendiquè commercio. Memoriam quoquè ipsam, cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quàm tacere*: *&c.* Et Annalium IV. *Non alias magis anxia, & pavens civitas, congressus, colloquia, notæ, ignotæquè aures vitari, etiam muta & inania, tectum & parietes circumspectabantur, &c. Corrupti in Dominos servi, in Patronos liberti, & quibus deerat inimicus, per amicos oppressi &c. &c. Seu loquereris, seu taceres, crimen ex silentio, crimen ex voce &c. Ut quis districtior accusator, pro sacrosancto habebatur.*

XXII. Qui non fatetur, sed excusat protervè, aut negat *fatenda*, non excusat satis, sed irritat in majus ad comprobandum objicienda. Negando, prodimus pertinaciam, augemus contentionem; *fatendo modestè* facimus utiquè quæstioni finem; Rectæ hoc enim, tùm ingenuæ mentis, signum est; illud secùs, temeritatis contentiosæ, vel superbæ, tùm obliquæ aut inquietæ mentis (immò malignitatis) certum documentum.

XXIII. Temerariis ingeniis (vel objectis) quæ præsertim pertinaciâ substruuntur, aut superbiâ, opportuniùs tacendo, vel Ironicè, quàm pro ratione respondeas, permittendo velut absurdum, & majus venturum inferendo, ut in sua temeritate, deprehendantur. Secùs facturus, contentionis materiam, non finem quæstioni quæris. Fuste, non ratione trahendi, aut impellendi tales, non suadendi. Apage, qui multùm contentionis, parùm rationis, in consilium ferunt. Demonstrandæ veritati, priùs ferè ac màgis, animo non pertinaci proboquè, suscipientis opus est, quàm ut requiratur, summa prudentia inferentis. Etsi non obtineas, si tamen proba intulisti, officio rectè dictorum, satis datum putabis. Etiam in Divinis, ut non consentiamus bono, non inspirantis DEI, sed non suscipientis hominis, defectus est, & pertinaciæ vitium.

XXIV. Non illud laudatum plerisquè, benè quod factum est à nobis, & ex virtute, sed reprehenditur, quod fortè supra fieri non potest. Atquè sic benè facere, & non facere *ingratis*, perindè est, dùm benè facti gratia corrumpitur. Defectum potentiæ, & mediorum in reliqua per malignitatem adscribunt, defectui nostræ voluntatis. Ideòquè, justo velut ex prætextu, sine fine requirunt, nec unquam satis habent; privatim, publicè, amici, Princeps, populus.

XXV. Tria *T.* publica, privataquè probè conficiunt. *Tunc*, *Taliter*, dein *Talia faciendo*, quæ in rem serviunt. Tempus id est, Modum, & Rem prospectando. Aliàs manca fit actio.

XXVI. Mali Domini, habent æquè suos laudatores, ac boni, multos dùm requirunt, flagitii ministros, sæpiùs verò minores, quàm nobiliores in exequendum adhibent, facilè multos inveniunt. Quoniam *magni* per ingenuitatem, recusant, immò pro conscientia adversantur, nec facilè quærunt ejus amicitiam aulæ, cujus favor, nonnisi scelere habetur. *Minores*, prout accipiendorum egentiores, facilè flectuntur, operam offerunt & ausum, flagitia dominorum, obligatius excusantes, quorum fortunâ crescunt & subsistunt, præsertim civium multos dùm metuunt, quos causâ Principis offendêre. Deindè sueta opprimentium ars est, nè omnibus simul, sint terrori. Aliquos modò sibi obstantes, velut nocentissimos, sub pallio justitiæ, seligunt opprimendos, primis oppressis, non quod in alios boni, aut pepercère, sed quia distulerunt, dùm hos subverterint, reliquos aggressuri. Sic Tiberius, Cali-

Caligula, Nero, pessimi dùm sunt aliis, tamen plerisquè (sed flagitiorum asseclis) laudati. Aliàs boni Domini, per conscientiam generosæ virtutis, dùm universim omnibus sunt boni, nec introspiciunt astutè, corruptelarum per artem, interiores singulorum in affectus, immò intuitu communis commodi, dùm castigant multos, sæpè ideò multis sunt illaudati. Commune verò bonum, velut in plures spargitur, remotiùs est, nec tamen notabile in singulos. Secùs privatum bonum, vel donum, quò propiùs est quemque, faciliùs agnoscitur à privatis, eòquè sui causâ malum in alios Dominum, promptè quisquè laudat, cùm sibi bonus. Dicam amplius. Uti publicum bonum, sic bonum Dominum, pauci ingenuorum noscunt, & amant, immò rari bonum procurant, aut volunt, cùm turbæ & disordo quæstui, pax & ordo, damno sunt.

XXVII. Injuriam pati, nec cohibere statim; *in parvis* impotentia prohibendi, vel metus; *in magnis* verè clementia, dissimulationis virtus, tùm magnitudo animi vocatur. Impotentem enim, aut metuentem frustra voces, qui ulcisci & prohibere malum, potens est, dùm velit. Rectè Plinius in Panegirico Trajani. *Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo, crescere potest, si se submittat, securus tamen magnitudinis suæ, neque enim ab ullo periculo fortuna Principum longiùs abest, quàm ab humilitatis.* Parcere igitur inimicis, infraquè animum quædam habere, viri magni, & sibi fidentis Principis, certum documentum. Aut secùs, si ulciscatur, impotentiam animi, viriumquè prodit, immò metum, nisi contemnat. Promptior igitur semper est, esseque debet, viros apud *magnos*, aut clementia, aut offensarum dissimulatio, & ex alto animi contemptus; Minimi siquidem è vulgo, exprobrando, & ulciscendo, projectiores, nè dùm prima levitèr transmittunt, ipsi velut impotentes agendi, contemnantur. Tamen Politicum æquè ac Catholicum ad morem, dissimulatio injuriarum prodest, minimis & maximis.

XXVIII. Prodesse Reipublicæ, dicto, facto, ac præsertim impediendo, nè quid in legibus, vel populo fiat, quod non expedit. Prima ratio est, nullius sceleris aut probri, ut conscius sit, qui factum aggreditur, prudens occasionum, sciens rerum; Instat enim audactèr, vetando, reprehendendo, corrigendo, aut

aut secùs sibimet timet, hebescit & confunditur, prout integer ipse ante, vel notatus. Sequitur alterum; perfecti in Rempublicam ut sit amoris, tàm proximi, quàm Dei, res enim Dei, verè curat, qui Reipublicæ, qua in, Religio & Ecclesia, proximorum res & amor, pœna in malos, præmia in bonos, deniquè per omnia, justitia, pax, & universorum bonum. Jam secùs pro se, aut suis, qui timet, vel connivet, aut blanditur, parùm is proderit; ut scripturæ verbis, cuiquè civium, Reipublicæ nomine, rectè dictum sit. *Si quis non odit Patrem suum, & Matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Inquam, si quispiam in gratiam publici, non futuri tantùm spem commodi, negligere promptus, sed dudùm habitorum, jacturam, immò periculum ipse pati, est paratus, amans Dei & proximi, is demùm publico bono proderit; Aut secùs facturus, non proderit, sed oberit.

Hoc igitur fraterni pectoris, amicum pignus, epistolæ sub nomine, lubens cape, utiquè inter publicas turbas, solatium esto privatis, bono affectu, secum reciprocari. Quid dico privatis? ambo publici senatus è numero sumus. Altius credo te, uti Præsulem, & me quà Castellanum, hæc mala Patriæ feriant, quò altiora quietis publicæ pignora, cuiquè insunt, aut condimenta, fama, nomen senatus, consanguinei, patrimonium; Sed tibi uti bono Præsuli, quid majus, ovilis CHRISTI, id est, sancta inter quieta, cura. Mihi autem profani, sed tamen casti amores, uxor, & colludentes in oculis liberi. Salva hæc sint omnia. Utinam tu quoquè Præsul Illustrißime, salvus.

Kormaniciis Die X. Aprilis, Anno
Dei Nati, M DC LXVI.

Prærogativa Popularis status repræsentatur. Monarchiam sæpiùs, nisi Regnanti bonam.

NOn absurdum hoc loci dicto excurrere, & utilibus scitu, nonnihil immorari. Primas inter, contra veteres, politicorum novis, ratio placet, tantò màgis præstare Monarchiam, Reipublicæ statui, quantò certiùs, unius mente, ad formam Divinæ Monarchiæ (ut putant) benè id est, perfectissimèquè, regitur illa. Verùm iimet, obliti imperfectionis humanæ, tot affectibus & vitiis in obliquum abeuntis, falluntur, si ab Rege unico, eandem prudentiam exspectent. Potiùs, quantùm humana distant à Divinis, tantùm (utar communi verbo) proportionem claudicare necesse. Ecclesia quidem Catholica, Monarchicâ potestate regitur, sed DEI vicaria, cui CHRISTUS, assistentiam spiritus sancti, infallibilem perpetuamquè promisit, ut Pontifex (*idquè ex Cathedra docens*) *errare non possit*, ut homo, possit; res verò humanæ, seu Reges, laxius arbitrio politico relicti, errant sæpiùs, non tantùm ut homines, sed graviùs multò, ut Reges, dùm insolescunt, nisi adsit vicissim, uti Politicis, Politica (ex libertate) non insolescendi custodia, utpotiùs documento Ecclesiasticæ Monarchiæ, firmiùs statuatur, nisi Divina, dùm sunt absolutissimæ prudentiæ, Monarchica potestate benè regi, cùm necessaria tamen, dùm ad homines referuntur, infallibilitatis assecuratione. Jussa Divinorum, æqua, suavia, eòquè onus obedientium leve, politicas potestates, perfectam in emergentes casus perspicaciam, ex collatione virtutis multarum personarum & prudentiæ, nisi posse habere, velut fit in Rebuspublicis Monarchico popularibus, ubi nec populus sine Rege, nec Rex sine Senatu, Comitiorumvè consensu, quidquam potest, Comitia suadent, ac tuentur populi salutaria, Rex præit, ac unit per authoritatem, disgregata; Quasi necessaria hominis cum homine, & status superioris cum inferiore, requiratur animorum societas, immò unius in alterum amor, eoquè nexu, *velut concordiâ partium, justè imitentur, immò ut coalescant in unitatem.* Minor deindè adsit præsumptio sui, & in alios contemptus, dùm unus alterius opis indigus, superior sine inferioris auxilio, prudentia & consilio, subsistere non potest, immò nè erret, conferre tenetur. Rectè Aristoteles in Politicis. *In Republica, quod singuli præstare nequeunt, solent universi, hic suam, alius suam virtutem adfert, omnes utiles sunt. Plures enim, quorum singuli boni non sunt, si conveniant, paucis illis, virtute poterunt esse potiores, non ut singuli, sed ut omnes, sapiunt enim ampliùs multi, quàm unus.* Aliàs absoluta Principum potestas aliorum ut plurimùm consilia contemnit, nè opis alienæ indiga videatur, & agit non rarò per insolentiam, remoto libertatis custode; Undè, in grandes incurritur errores, in populum certa promanat pressura, & calamitas, dùm absolutam potestatem, in Principe moderari, aut coërcere per legem difficilè, potiùs (velut Gramondus Gallicæ Historiæ lib. V.) *Si perstat Rex, propositi tenax, superesse cæcam obedientiam.* Exindè obstupui, Reipublicæ, sortiquè meæ gratulatus sum, dùm apud eundem Gramondum legi. *Sub finem Martii parandæ Rex pecuniæ, edicta ad Parlamentum Lutetianum mittit, actis inserenda, quia populis exitiosa erant, procrastinare Parlamentum, Rex iterare jussa* (quid pluribus) *Per Verræum Procancellarium, jubet edicta, non intellecta, sed nè lecta quidem, in acta redigi. Deprecatur per Verdunum (Parlamenti præsidem) Senatus. Tandem excanduit Rex, nec alia causæ cognitione, summo jure in acta referri, edicta mandat.* Aie, nunc, semel fortè factum, & excusa, non omninò, cùm similis edicti gravitatem, apud eundem Historicum, posteriori cursu ætatis legis (*Lib. XV.*) Verùm nè in longum abripiar, apponam pauca, videlicet; si habendos consiliarios, Monarchico Principi, quisquè prudens suadet, quasi per se in omnes partes, (vitio non per omnia perfectæ humanæ prudentiæ) parùm valituro, cur negent quoquè, nec procedant ultra? si idem Princeps, rectis consiliis abutatur, si suaderi nolit, quis eum (sublata libertatis authoritate & custode) in meliùs cogat, quis collapsa corrigat? quòd in Republica libera, tùm in Regno misto populari, faciliùs, intraquè publicum amorem præstatur, ut necesse fatendum sit, bona, malaquè Regnorum, opes, & potentiam, màgis à fortunæ discretione (prout bonum, malumvè Principem, fors

ſors naſcendi populis obtrudit) dependere, quàm ex ſubſtantia cauſæ. Falluntur quoquè, & contra ſeipſos ratione luctantur, qui à Dictatura Romana, argumentum trahunt, expeditioris Monarchiæ, cùm ex eo, non ſequatur ratio in contrarium, ſed immò ex vi libertatis factum ſit, potuiſſe pro temporum neceſſitate, novam abſolutamquè poteſtatem (tamen à vi libertatis dependentem) creare, circumſcripto tempore coërcere, iterumquè priſtinam ad formam, pro arbitrio redire, dùm intra breve tempus, abdicare ſe, periculoſo libertati officio tenebantur, dùm inquam erat Dictatura, ſub libertatis poteſtate. Poſtquam verò, in Julio Cæſare, Auguſto, Tiberio, & conſequentèr aliis, perpetua dictatura (nec poteſtate, nec tempore circumſcripta, ſed diuturnitate in ſuperbiam verſa) adolevit, Reipublicæ libertas, nuſquam reditura abiit, dùm eò inſolentiores fierent Cæſares regendo, quò màgis eſſent unici & ſoli, poteſtatem ſuperbam exercendo. *Non unitatem ideò Numericam, in unico ſolo, ſed unitatem animorum, licet in pluribus*, màgis ſpectari, eſſequè fundamentum recti regiminis, & libertatis populi, quod in Veneta Republica, noſtraquè Polona, & (ſi quæ dantur) aliis, facilè videas, ubi non interrupta regendi ſorte, tot ſæculis, continua populi felicitas eſt, ex libertate, cùm in Monarchicis ſtatibus, pro genio niſi regnantium, per alternantes vices, ſæpiùs verò mala, quàm bona (immò precaria) populis eveniat? Hiſtorias Regnorum revolve, & fateare. Vel ſi tamen obſtinatiùs, Monarchiam præferant aliqui, ſupra Reipublicæ ſtatum, utiquè Politicorum conſenſu, cadentis Reipublicæ, non alter deſcenſus eſt quàm ſub regimen unius, quaſi ex altiori ſtatu in inferiorem. Immò, ſi tædeat popularis ſtatus, & corrigere, vel inſanire lubet, adeſt remedium in proximo, dùm momento (pro populi voluntate) facilis transgreſſus, ad Monarchiam datur, non autem ſecùs, in ſtatum popularem, ſi diſpliceat iterùm gravis Monarchia; Ut enim in præceps ſemel datis corporibus, nullum ampliùs ſui arbitrium eſt, etiam illud, extra poteſtatem populi, ſed erit in regentis ſuperba, & nuſquam de jure ſuo remittente voluntate. Veritatem hodie, experiri placet, fortè Principem gravem nactus, pro aſſerenda libertate, & populari ſtatu palam loquere, & contende, niſi cras, periculo capitis, conſilium luas, falſa me tunc

tunc dicere aie. Nemò igitur tàm inſanus, qui non liberum ſtatum malit, aut volens amittat; Immò dixerim, nemo ſanæ mentis, ſub Reipublicæ & libertatis nomine vivens, puram Monarchiam optavit, aut volens, in eam transgreſſus eſt, ſed aſtu, aut per potentiam circumventus, plures verò ſub Monarcha libertatis ad nomen, & Reipublicæ, altiùs ſuſpirarunt, modò illam parare, partamvè conſervare ſcirent. Verùm dixeris, abſoluto ſub Dominatu, benè pleriſquè agi, præſertim cùm in bonum Principem incurritur; Tamen illam etiam, precariam màgis, quàm veram libertatem vocem, dùm in confinio ſervitutis ac periculi, vita & ſanguis populi quotidie manet, ſub domino, cui dùm iratus, momento ſævire pro arbitrio, & impunè licet. Tutiùs utiquè, plena Reipublicæ in libertate, tùm authoritate legis, perire non poſſe, quàm pro diſcretione modò regentis & juxta periculum non periiſſe. Appoſitè in rem Divus ſcriptor. *Nemò mortalium, juxta viperam, ſecuros capit ſomnos, quæ etſi non percutit, certè ſolicitat.* Dicam clarius. In Republica dùm vivitur, libertas velut in manu mihi, & eſt ſub mea poteſtate, jam Monarchico ſub ſtatu, ſecuritas eſt manu in aliena. Hic opportunè ſervit, fabuloſa, ſed non extra rem, philomelarum quæſtio, alterius, liberè per aëra volantis, alterius in deaurata cavea, ad Palatium Principis, præ foribus expoſitæ, cùm hæc Principem locum, domunculam pictam, vivendi commoditates, non ſuo labore, ſed alterius operâ & induſtriâ quæſitas, tectumquè tegendis cœli injuriis oſtentaret, interim tamen, ad placitum Domini, cantum vocemquè intendendam, ajebat, nè parciorem, vel abſit iratum, experiretur; Reſpondit, vicitquè illa prior: *Ego verò nemini obnoxia vivo, curâ propriâ, nec apparenti domo, ſed non dependenti libertate.* Utiquè dixerim adhuc. Ab omni ævo, quiſquis populus, meliori ſorte fatorum (extricatus abſoluta Regum de ſub poteſtate) Reipublicæ nomen, ſibi aſſeruit, omnium ſcriptorum calamo, & interpretum ore, felicitatem nactus ille dicitur, cùm vero ſecùs, poſt nomen Reipublicæ, lapſus ſub unius dominatum, cur? nemo hominum, libertatem vocet, ſed amiſiſſe potiùs eam dicat, & animitùs condoleat? velut (nè Græcas, aut alias Rerumpublicarum commemorem) Roma, poſt exactos Reges, ſervitutem pepuliſſe, libertatem ſibi aſſeruiſſe dicitur, dein

 ſub

ſub Cæſarum Dominatum, & Monarchiam redacta, amiſſæ libertatis & Reipublicæ deploratur. Ore deniquè DEI, in pœnam hominum, Monarchiam dari, teſtatum ſatis. Populus olim Iſraeliticus, ſub judicibus, in formam Ariſtocraticæ Politiæ, liberè vivens, experiri tandem Regium dominatum præcupiit, ſed indignatus Deus, populo libertatis ingrato, inſolentiam petitionis reprehendit, promittens ſe daturum, abſoluti formam Regni, malaquè Monarchicis ſtatibus agnata, recenſuit (I. Regum, Cap.VIII) *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet &c. Filias quoquè veſtras, faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas, Agros quoquè veſtros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis, & ſegetes veſtras, & vinearum reditus, addecimabit &c. Et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiiſtis vobis Regem;* aut ſi quæ ſunt alia ſacri textus, plena indignationis verba. Licèt ille populus, non aliquid mali, verùm ſpeciem optimæ Monarchiæ obtendebat. *Noluit populus audire vocem Samuels, ſed dixerunt: Nequaquam: Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoquè, ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Undè non tantùm in pœnam populis dari abſolutam Monarchiam, ſed illud quoquè animadvertatur, ab ignavia populorum fieri, dùm vigor ingenuæ mentis conſenuerit, ut ſui negligentes, alienâ curâ mollitèr haberi, jam præcupiant, ut videlicet, *Rex pugnet bella*, reliquam curam ſtatus, pro illis quoquè ſuſcepturus; Licèt carò conſtet populis, dùm amiſſam lugent libertatem, immò deformem, dùm ſerviunt ſervitutem; Non prius inquam liberum ſtatum, in Monarchiam inclinari, quàm dùm inſolentiâ, mollitie, ignaviâ, ſtudio privati, & incuriâ publici, populus corrumpitur, ut verò ex corruptione ſanguinis, morbus aut ulcera in corpore, ſic abſoluta *Monarchia*, certè in populis, non ex ſanitate, nam & illa, ingenui populi, tùm Libertatis, *morbus eſt.* Et crediderim facilè, occulta ordinatione Numinis, pro ingenio populorum, abſolutam Monarchiam, in has aut illas Occidentalis Europæ gentes, neceſſe immitti, quæ niſi terrore, abſoluti dominatus teneantur, plenam inſolentèr vivant libertatem, ut ſic ægrotare, màgis ſanum & conducibile illis ſit, quàm planè ſanari; Velut plura duella, occulta parricidia, venena, raptus, adulteria, & reliquos inquietæ mentis, priva-

privatim & in publicum (nè dicam adverſus Divina) auſus, alibi vidi, & notavi, quàm in noſtra Polonia, cui per malignitatem ſcriptorum, ſolutior (imperitè certè) exprobratur Libertas, aut diſordo imputatur. Fatear quidem, Polonorum etiam in ſtatu, fato rerum, nunquam in humana ſtabilium, aliquid diſordinis, non rarò commiſſum, non id tamen populi & ſtatus, verùm regnantium vitio fieri, in quorum unica perſona, *primi ordinis*, tota incluſa Majeſtas, & velut concentrata exequendi activitas (verùm fœda quorundam ſcriptorum; in Reges fecit adulatio, aut in noſtra malignitas, vel certè ſtatus imperitia, ut errores aulæ, inſontis Populi, adſcriberent vitio, tàm rectè ſibi ſcribere putantes, quantò atrociùs, Libertatem populi, Remquè publicam proſcinderent judicio, & calamo.) Secùs *ordo Senatorius* ex multis, dein *Equitum ordo tertius*, adhuc ex pluribus componitur, undè diſgregata ineſt, nec tàm expedita actio, ſed occaſione Comitiorum, intimare, quid in obliquum deviatum, quid in meliùs fieri oporteat à Principe, immò contravenire, nè quid fiat in pejus, unicum officii habeat; *Actio* verò boni, tùm vis *uniendi*, tota penes Regem *exequentem* eſt, qui ſupra invidiam poſitus, inchoare bonum, urgere, diſgregata unire, valorem rebus dare, & inſtare potens, illum officii admonendo, hunc & alterum, ex vi legis, & populi placito (ſequè neceſſe) corrigendo. Fecère id plurimi, ac præſertim optimus Regum, noſter Stephanus Bathoræus, (& poſt alii) qui dùm ipſe bonus, ad ordinemquè legis, & genium populi ſe componens, quàm in Polonia, pace, *bello* totum ordinatum, quàm Populis benè. Quod ſi, nè ſic quoquè, authoritate Populi, Rex coërceatur, dein pro inſita genti bonitate, lex *obedientiæ* protervo Regi *non præſtandæ*, condonetur, *comparatione* tamen *pejoris*, felicem adhuc ſtatum dixerim, dùm plùs nocere-tur, ſi nulla populi authoritate, ille coërcitus, in placita modò ſua ruens, voluntatem pro lege, impetum juſſorum pro edictis haberet: In eligendo dein, in poſt optatiore, fortunam temporum præſentium, exſpectatione futuri melioris, ac proxima ſpe, facilè penſari, & eo condimento, reddi molliorem. Quia verò ſuper hæc, parvum conſilii ſecretum (ut ſingula eodem impetu percurram) Populari ſtatui exprobratur, neſcio quare ſit? præſertim rebus in magnis, quæ concernunt univerſorum bonum, vel dùm meliorum civium paucio-

Præpeditio mali aut intimatio melioris, *eſt penes* Senatum *&* Populum.

Actio boni & executio, tùm vis uniendi, eſt penes Regem.

Authoritas ergò Regis, velut cæmentum rerum eſt.

paucioribus, res promptiùs agenda creditur. Nisi fatear, secretiùs haberi Monarchiæ consulta, dùm pressuram universim omnibus, aut civium præcipuis, casum ex occulto coquunt, cadunt, machinantur, quæ non ante produntur, quàm dùm manum injecerint, & elicuerint innocuum sanguinem. Dùm verò terrore, aut extrema vi pressis, tacere necesse, mæstam ac silentem servitutem, falsò pacem aut quietem appellant, immò dùm cessatio temporaria servitutis est, falsò libertatem vocant. Secùs depulsio, per legem injuriæ, clarumquè nomen *Libertatis*, seditionis, & turbarum nomen habet, non quod verè sit, sed causâ oppressioni, civium contra promptiores. Pavidi secùs, segnes, otiosi, socordiâ innocentes habentur, & pacati; Gloria modestiæ tunc, vel gratia vocatur, turpis per ignaviam servitutis, dùm pretium est. Quidquid adferant, pro sua Monarchico-politia, ingeniosi scriptores, non ex animo videntur facere, verùm æmulari vulpis argutiam, (apud Æsopum) quæ fortè, amissâ caudâ, cæteris consororibus, idem mutilationis genus, in decus & ornamentum, suadere dùm venustè contendit, fecit frustra, nam aut irridebatur deformitatis, aut arguebatur, frivolæ rationis.

EJUS-

DE IMPUDENTIA, EJUSQUE CAUSIS UNDE FONS MALI.

TUM, QUI SUNT IMPUDENTES?

I. Parvi Judicii homines, qui rectè dijudicare non possunt, quid decorum, quid honestum, sunt in aliquibus impudentes. Verùm hi quoquo modo excusantur. Nisi aliàs, affectata sit rerum inscitia.

II. Viri temerarii, qui non ratione, verùm impetu ac stultitiâ ducuntur. Huc spectant Morosi, Importuni, Intrusores non vocati. Dein viri leves, multiloqui, assentatores, etiam Joviales & faceti, qui sibi nimium indulgent, usquè ad impudentiam, præsertim in familiaritatem se ultrò intrudentes, prout enim (dicto vulgari) *in multiloquio*, etiam in familiari facto, *non deerit peccatum.*

III. Audaculi, etiam Eloquentuli, ac evadendo periti, qui putant quidvis sibi impunè (vel ad excusationem) licere, præsertim si quid ante tentatum, ex optato successit.

IV. Viri passionati. *V. G.* Qui promptè laborant, Ira, Odio, Amore, Invidia, nam affectu in quemvis ausum obcæcantur.

V. Viri arrogantes, feroces & superbi, qui (sibi nimium fidentes) ex alto despiciunt, contemnuntquè res & personas, labuntur facilè in insolentiam, vel impudentiam, quidquid enim malè egerint, falsæ titulo generositatis, (nè confundi videantur) ignominiam erroris non agnoscunt, verùm sibi complacent, recti & liciti sub nomine, totum venditantes. Immò pergere in majores ausus, dùm pertinacia est, constantiam, infractumquè robur animi, falsò putant, aut imponunt, aut certè pervincunt, præsertim si quædam morum blandimenta, reliquis inescandis adhibent, cùm in alios mali; Hinc sibi quisquè metuit, nè in se quoquè peccetur, nisi malint esse blandientes amici, quàm redarguendo veraces, eòque malitiam irritantes: Miram corrupti sæculi pravitatem vel errorem, cùm promptè totum defert, eorum fortunæ, tùm amicitiæ, qui ulcisci nocereque possunt, dùm volunt; Nolle, seu non posse nocere, despectui habetur; Nec adeò amatur beneficium, quàm timetur ultio, vel injuria: Verùm hæc mollis, obliqui, & impotentis animi signa; Rectus, altior, fortis, sibiquè fidens animus, irritatur, vel erigitur adversis, non frangitur.

VI. Præpotentes & summæ authoritatis viri; nam putant se excusari, & quidvis sibi licere, dùm redargui vix possint, ac sperent impunitatem.

VII. Notatæ personæ, proclamatæ & infames, sunt in ulteriora impudentes, non ampliùs enim habent famam, quam perdant, juxta illud *Taciti. Apud prodigos famæ, novissima voluptas est*. Et Suetonius de Nerone. *Nihil*

hil eum patientius, quàm maledicta populi tulisse, vel contemptu omnis famæ, vel nè fatendo dolorem, irritaret in pejus ingenia.

Huc pertinent viri Umbratici, latebrosi, etiam solitarii, qui nec sciri, nec aspici sua probra putant; Magna verò peccatorum pars tollitur, si peccantibus testis assistat.

VIII. Avari & quæstuosi, sunt impudentes, quia lucri causa, totum agunt, & facilè dispensant honestatem.

IX. Fatui & rationis expertes, sunt plerumquè impudentes, non enim sciunt, quod agunt. Etiam *Ebrii*, hoc loco commodè ponuntur, nam *ebrietas voluntaria insania est*. Sed differt malefactum ebriorum, à fatuis, quoniam fatui, defectu rationis, errant perpetuò, (compassione aut excusatione, non accusatione digni) Ebrii secùs, peccant voluntariò. Licèt verò abeant à ratione, & insaniant dùm sunt ebrii, tamen sunt rationales, antequam inebriati, sic ebrium non peccare, est in nostra plena, libera, & sobria potestate, nam si quæ inest insania, non est ex antecedenti causa, sed ex consequenti vitio ebrietatis, nec ideò peccantes excusantur. Eques non ascendit duri oris cervicisquè equum, qui semel duxit in præcipitia, nec sobrius, & rationalis homo, capiat Scyphum, mentem, rationemquè sibi auferentem, & causantem mala. Nisi fortè ebrietas, ex aliquo casuali, nec satis deliberato actu, (ipseque malè sanæ ebrietatis affectus) sequatur.

X. Etiam consanguinei, & qui pro diutina familiaritate, secum fidentèr agunt, plerumquè in impudentes actus devolvuntur, vel ex eo, quod sibi putent, totum, amicitiæ lege convenire, vel parcendum sibi facilè sperant, etsi offenderint. Ex eo sequitur. *Nimia familiaritas* (vulgari dicto) *facit contemptum.*

XI. Illi quoquè impudentes fiunt, quibus si casu aliquid facere malè contigit, impunè cessit, nec pœnam tulere, nequè (saltem) redargutionem, vel casu, vel ob potentiam & impedimentum, respectu errantis, vel ex gratia, aut incuria, cohibere potentis.

XII. Necessitate pressi, aut desperati, quidvis putant sibi licere, sequè facilè (quidquid egerint) excusari. Huc pertinet extrema paupertas, & defectus.

XIII. Etiam ignorantiâ, vel errore, fit sæpè aliquid contra debitum honestatis.

XIV. Qui in alios, (aut saltem in *necessitatem*, vel *occasionem*) causam malè facti transferre facilè possunt, aut sciunt, tùm habent praxim evadendi, sunt plerumquè impudentes. Hi verò, publicè privatimquè, sunt periculosissimi.

XV. Qui gratiam multorum, lauto tùm familiari convictu, (fucata amicitia, dictis factisquè in speciem apertæ simplicitatis, solutionibus, aliisquè parandæ amicitiæ aptis rebus) paravisse se putant, ad insolita & actionum illicita, sæpè decurrunt, quod se excusandos ab amicis sperent, vel defendendos; vel quia, civilitatis & beneficentiæ fuco, multa vitiorum, facilè aut obteguntur, aut condonantur. Huc referuntur homines, amænæ & subridentis faciei, tùm responsi, quibus pleraquè ab eo condimento vel recompensativo, licèt aspera, excusata, undè facilè in dictorum actionumquè illicita, indebita, minore verecundia delabuntur, specie molliorum duri, & graves, specie amicitiæ fallaces, tantùm absunt à malefacto, quantum à prætextu, rebus adstruere vel imponere scientes, publicè privatimquè honestatem extra, vel actionis debitum, facilè committunt.

XVI. Viri vindicativi, implacabiles, & nocere per occulta scientes, etiam factiosi, (aut qui per litigia potentes) dùm se metuendos reddunt, non facilè sibi putant, à quopiam rem malè actam exprobrari, cùm metuuntur, & quos offendere periculosum, undè multa indebitè audent, & committunt.

XVII. Qui judicia in potestate habent, non se promptè lege petendos sperant, quam in alios exercent, suamquè gratiam & favorem, ab aliis quærendam putant, non ut ipsi aliorum quærant. Huc pertinent Regum gratiâ pollentes, quorum arbitrio res stant, & beneficia dispensantur, cuicunquè prodesse aut obesse, dùm velint, satis potentes.

XVIII. Ignorantia Dei, & Divinorum, tùm laxior conscientia, Impudentiæ maxima causa, prout enim colentes Deum, sunt virtuosi, etiam virtutis incurii, sunt agendo impudentes. *Impius cùm in profundum venerit, contemnit.*

XIX. Qui ex aliquo adjuncto virtutis, vel ex justitia morali, tùm politica, speciosum agendi prætextum habent, sæpè privatim publicèquè, actus impudentes & illicitos committunt, in favorem vel odium alterius, sæpè sub prætextu justitiæ exercent severitatem, Aut secùs, sub nomine clementiæ, nocivam inducunt impunitatem; Deindè ex occasione honesti tributi, vel debiti, spoliant subditos vel amicum. Aut sub prætextu licitæ defensionis, inducunt bella, hostilitatem, oppressionem, actus injuriosos, rapinas, & in alios occidium. Quod vitium, in aulis Principum, & in ministris statuum, præcipuè dominatur, quibus sub specie curationis, velut *medicis, impunè occidere licet*. Sic prætextu liberalitatis, sæpè sunt multi prodigales, prætextu authoritatis superbi, prætextu Justitiæ litigiosi, invasores, usurpatores, oppressores; specie virtutis detractores, tùm censores rerum ac personarum injusti. Sub velo pietatis, aut virtutis, hypocritæ; amicitiæ tùm negotiorum fallaces. Demùm specie servandi aut faciendi in publicum ordinis, populo, aut singulis graves, novitatum invectores, plerisquè injuriosi, vel prout est potens, ac ingeniosissima nequitia eorum, qui *specie remedii nocent*, rebus larvam quam volunt, inducere scientes.

Huc proximè referuntur, honorum & commodorum ardentes æmuli, nam obcæcantur animo. rectè Tacitus. *Pessimum veri affectus venenum, sua cuiquè utilitas.*

Inter conscios, censentur etiam, Consanguinei, familiares, & Domestici.

XX. Fimus etiam facilè, dicto, facto, impudentes, coram iis, qui ejusdem sunt, prout nos erroris aut flagitii. Eoquè magis, si fiant adhuc nobis pejores, nostrorum verò defectuum, sunt antè conscii. Prioris causa, quia similia, prout sibi cognata, non facilè accusantur, aut exprobrantur, in eandem de semet culpam, vel experiendam censuram; Causa posterioris, quia nostra utcunquè minora flagitia, vel errores, minùs probrosi videntur, pejorum comparatione; dumquè nostra priora flagitia, dudum sciuntur, nihil novæ ignominiæ, ex præsenti facto, accessurum nobis metuimus, eoquè perseveramus impudentes.

XXI. Etiam simplices, innocentes, nec in rebus versati, tùm ignorantes, aliquid indebitum committere possunt, sed hi facilè excusabiles. Etiam homines non ingenuè educati, & parvæ politiei, rurani, tùm à cultiore vivendi cætu segregati. Deindè peregrini & advenæ, gentis morem, legemquè prorsus nescientes, nequè assuefacti, pleraquè committere facilè (contra debita morum, rerumquè) possunt; sed facilè excusantur.

F I N I S.

A D D E N D A.

Pag. 28. *lin.* 21. *post verb.* lintea, *adde*, aliaquè. Tùm ob eam causam, quia in operatis opus simul & materia, duplici lucro incolarum venduntur, in occasionem ditandæ Provinciæ, & artificum in varias operas, nec otiosam vitam, provocando ingenio.

Pag. 83. *post lin.* 22. causâ sunt, *adde*, vel fortè, dùm populus, bonos dominos nactus, totam sui curam, in eos reponendo, sibi negligens redditur, non ad suam culpam, si quid ex se mali, verùm ad incuriam dominorum, parandæ invidiæ totum refert.

Pag. 91. *circa finem post* vulgus pensat, *adde*, ut malit sæpè lucrosam servitutem, quàm sine lucro, ac pauperem libertatem.)

Pag. 163. *lin.* 16. *& seq. lege*, vires tuas, suasquè cognoscat hostis, & superbus reddatur, ideo non prodes impotentiam, temerè provolando, verùm prudenter declinabis, simulando interea, omnia tibi esse fortiora, ante paciscendum.

Pag. 166. *lin.* 10. *& seq. lege*, persistant in acie, hastis aliquo sublimiori colle (à retrò) inter arbusta defixis in terram, &c.



Hist. Polon

a, genu